ad 35373. VII, B, e.

ENCHIRIDION LITURGICUM

in usum

Clericorum et Sacerdotum

in sacro altaris ministerio.

△ ▽ △

Ex libris liturgicis,
S. Rituum Congregationis decretis
et probatis auctoribus

collegit

Josephus Erker,
Ecclesiae Cathedralis Labacensis Canonicus.

△ ▽ △

Editio altera emendata et aucta.

Labaci 1910.

Sumptibus Librariae Catholicae Labaci in Austria.
Literis Typographiae Catholicae.

Enchiridion Liturgicum

in usum

Clericorum et Sacerdotum

in sacro altaris ministerio.

Ex libris liturgicis,
S. Rituum Congregationis decretis
et probatis auctoribus

collegit

Josephus Erker,
Ecclesiae Cathedralis Labacensis Canonicus.

Editio altera emendata et aucta.

Labaci 1910.

Sumptibus Librariae Catholicae Labaci in Austria.
Literis Typographiae Catholicae.

K. k. Studienbibliothek Laibach

Cum approbatione Reverendissimi Ordinariatus Labacensis.

030017935

Approbatio primae editionis.

Rev. Domino ***Josepho Erker,*** *Consiliario Consistoriali et Directori Spirituali in dioecesano Seminario clericali*

Labaci.

„Enchiridion Liturgicum", multa cum sollertia et diligentia a Te compositum, non probamus tantum imprimique permittimus, sed pro merito laudamus etiam universoque Clero Nostro summopere commendamus, desiderantes quam quod maxime, ut sancta sancte, proindeque semper debita cum observantia et obedientia erga ea omnia tractentur, quae S. M. Ecclesia pari cum sapientia ac pietate pro cultu divino rite obeundo praescripsit.

Datum ex Curia Nostra Pr. Episcopali

Labaci, die 16. Julii 1896.

(L.S.) † Jacobus m. p.

Eppus.

Praefatio ad primam editionem.

Ut ea, quae ad sacrum altaris ministerium rite decenterque obeundum tam Clericis quam Sacerdotibus scitu necessaria sunt, quaeque in libris liturgicis et apud diversos auctores dispersa reperiuntur, Compendio comprehendantur, hocce opusculum concinnandum putabamus.

In quo exarando principia quaedam generalia statuere juvabat, partim ut doctrina proposita facilius memoria teneatur, partim ut ejusdem ad similes casus expeditior fiat applicatio. Regulas igitur certas capitibus nonnullis adjunximus, praemisimus aliis.

Totum opus in quatuor divisimus sectiones, in quarum prima agitur de quibusdam caeremoniis fundamentalibus occurrentibus in sacris functionibus, in secunda de officiis Ministrorum inferiorum, in tertia de officiis Ministrorum sacrorum, in quarta denique de ipso Celebrante. Quum vero, uti patet, officia quaedam Celebrantis et Ministrorum ita invicem cohaereant, ut neque explanari separatim facile potuerint, factum est, ut quaedam ad secundam et tertiam sectionem pertinentia in sectione quarta occurrant.

Fontes, ex quibus hausimus, genuinos vocare licet omnino. Sunt etenim libri liturgici: Missale, Caeremoniale Episcoporum, Rituale; deinde S. Rituum Congregationis decreta; sunt denique auctores in Liturgicis optimae notae et probatissimi, tum anti-

quiores: Gavantus, Merati, Cavalieri, Gardellini, tum recentiores: Baldeschi, Martinucci, Carpo, Herdt, Schober aliique.

Ceterum totum opus Ecclesiae judicio humiliter submittimus et si quid, lector benevole, in eo negligentius scriptum deprehenderis, id culpae des nostrae et memor imbecillitatis humanae benigne indulgeas. Quidquid vero ad cultum divinum promovendum aptum in eo inveneris, opitulanti gratiae Dei tribuas ac Divo Numini nobiscum gratias agas. Vale et memento nostri ad altare!

Labaci, in Festo pretiosissimi Sanguinis D. N. Jesu Christi 1896.

Auctor.

Praefatio ad alteram editionem.

Accipe, lector benevole, novos in opere non novo labores!

Facta a Sacrorum Rituum Congregatione antiquae a cl. Gardellinio feliciter inceptae decretorum Collectionis diligenti recognitione et expunctis e nova ejusdem Congregationis decretorum authentica Collectione non paucis decretis aliisque essentialiter mutatis, emanatis insuper ultimis annis permultis decisionibus novis in rebus liturgicis: necessitas exorta est, etiam libros de re liturgica tractantes emendandi novoque rerum statui accommodandi. Quod circa Enchiridion Liturgicum factum conspicis in hac altera hujus operis editione emendata et aucta. In qua nova editione praeparanda novissima decreta S. Rituum Congregationis et Rubricas reformatas strenue secuti sumus volentes Confratribus tradere librum recentissimo juri liturgico apprime conformem.

Omnia ad majorem Dei gloriam et sanctae Matris Ecclesiae exaltationem!

Labaci, die 15. Julii 1910.

Auctor.

INDEX.

Sectio prima.

Instructio praeliminaris.

Tractatus I.

De quibusdam caeremoniis fundamentalibus occurrentibus in sacris functionibus.

Pag.

Caput I. De crucis formatione et manuum junctione 1
Caput II. De Reverentiis 3
A. De Inclinationibus 3
B. De Genuflexionibus 5
Caput III. De Bireto ejusque usu 10

Tractatus II.

De diebus liturgicis.

Caput I. Observationes praeviae 13
Caput II. De Feria et Dominica 20
Caput III. De Festis 22
Caput IV. De Vigilia et Octava 26

Tractatus III.

De Choro.

Caput I. De disciplina in choro servanda 31
Caput II. De modo in choro assistendi Missae solemni 34

Sectio secunda.

De Ministris inferioribus.

Tractatus I.

De Ministris inferioribus eorumque officiis in specie.

Caput I. Regulae generales 40
Caput II. De Crucifero 42
Caput III. De Ceroferariis 45
§ 1. Regulae speciales 45

Pag.

Caput III. § 2. De officio Ceroferariorum in Missa solemni 47
§ 3. De officio Ceroferariorum in Missa solemni de Requie 52
§ 4. De officio intortitia ferentium . . . 53
Caput IV. De Ministro de gremiali et de Syrmifero 55
Caput V. De Ministro de libro 57
Caput VI. De Ministro de bugia 59
Caput VII. De Ministro de mitra 60
Caput VIII. De Ministro de baculo 62
Caput IX. De Thuriferario 63
§ 1. Regulae speciales 63
§ 2. De officio Thuriferarii in functionibus solemnibus 66
Caput X. De Caeremoniario 71
§ 1. Regulae speciales 71
§ 2. De officio Caeremoniarii in Missa solemni 73

Tractatus II.

De assistentia substitutiva Clericorum in Missis cum cantu et de ministro Missae privatae.

Caput I. Observationes et regulae generales . . . 78
Caput II. De unius Clerici assistentia in Missa cantata 81
Caput III. De duorum Clericorum assistentia in Missa cantata 84
Caput IV. De Clerico munere Subdiaconi fungente in Missa solemni 87
Caput V. De Ministro inserviente Missae privatae 89
§ 1. De munere et qualitate ministrorum inservientium 89
§ 2. Regulae pro ministris inservientibus 91

Sectio tertia.

De Ministris sacris.

Tractatus I.

De officio Ministrorum sacrorum in Missa solemni.

Caput I. Regulae generales 96
Caput II. De praeparandis ad Missam solemnem . 101
Caput III. De Diacono et Subdiacono in Missa solemni 102
§ 1. De Ingressu et Aspersione usque ad Introitum 102
§ 2. De Introitu usque ad Evangelium . 106

Pag.
Caput III. § 3. De Evangelio usque ad Offertorium . 108
§ 4. De Offertorio usque ad Consecrationem 114
§ 5. De Consecratione usque ad Communionem 119
§ 6. De Communione usque ad finem . . 122
Caput IV. Conspectus genuflexionum a Ministris sacris faciendarum in Missis solemnibus . 126
Caput V. De Diacono et Subdiacono in Missa solemni cum planetis plicatis 130

Tractatus II.

De Incensatione, de Pace et de osculis manuum et instrumentorum.

Caput I. De Incensatione seu Thurificatione . . . 131
§ 1. De modo et ordine incensandi . . . 131
§ 2. De ductuum numero 134
§ 3. De incensatione in Missis solemnibus 137
Caput II. De Pace 140
§ 1. De modo et ordine dandi Pacem . . 140
§ 2. De Pace danda in Missis solemnibus 142
Caput III. De osculis manuum et instrumentorum . 145

Tractatus III.

De officio Ministrorum superiorum in Missa pontificali et in Missis coram Episcopo.

Caput I. Regulae generales 147
Caput II. De Missa solemni pontificali 150
§ 1. De Tertia cantanda ante Missam pontificalem Episcopi 150
§ 2. De officio Diaconi et Subdiaconi in Missa pontificali 152
§ 3. De Mitra imponenda et deponenda in Missa pontificali 158
§ 4. De Benedictione apostolica post Missam pontificalem 160
Caput III. De Presbytero assistente et de Diaconis assistentibus in Missa pontificali . . . 161
Caput IV. De Diacono et Subdiacono in Missa solemni coram Episcopo assistente in choro 164
Caput V. De Missis solemnibus coram Episcopo assistente in throno 165
§ 1. Regulae servandae in Missis solemnibus coram Episcopo assistente in throno 165

Pag.

Caput V. § 2. De Diacono et Subdiacono in Missa solemni coram Episcopo assistente in throno 170
Caput VI. De assistentia praestanda Episcopo praesenti Missae per alium cantatae 175

Sectio quarta.

De Celebrante.

Tractatus I.

De Missa ejusque Ministro generatim.

Caput I. De variis Missae speciebus 180
Caput II. De Applicatione Missae 183
Caput III. De Requisitis in Ministro Missae seu in Celebrante 189
§ 1. Intentio 189
§ 2. Status gratiae 192
§ 3. Jejunium naturale 193
§ 4. Matutinum cum Laudibus et Oratio . 195
§ 5. Cognitio et observatio Rubricarum . 197
§ 6. Devotio 199

Tractatus II.

De Missa privata.

Caput I. De praeparandis ad Missam in sacristia. 201
Caput II. De Egressu e Sacristia 205
Caput III. De Progressu per ecclesiam ad altare . 206
Caput IV. De Accessu ad Altare et Recessu ab eodem 210
Caput V. De Signo Crucis et benedictione in Missa 211
Caput VI. De Oculorum elevatione et demissione in Missa 215
Caput VII. De Osculis in Missa privata 217
Caput VIII. De Vocis modulatione in Missa 219
Caput IX. De Manuum positionibus in Missa . . . 223
Caput X. De Inclinationibus in Missa occurrentibus 230
§ 1. Regulae generales 230
§ 2. De Corporis Inclinatione in Missa . 231
§ 3. De Humerorum Inclinatione in Missa 332
§ 4. De Capitis Inclinatione in Missa . . 233
Caput XI. De Genuflexionibus in Missa occurrentibus 237
§ 1. Regulae generales 237
§ 2. De Genuflexione simplici in Missa . 237
§ 3. De Genuflexione duplici in Missa . 239

Pag.

Caput XII. De Orationibus et Commemorationibus in genere 241
§ 1. Notio et Divisio 241
§ 2. De Numero et Ordine Orationum necnon de Modo eas recitandi 242
Caput XIII. De Orationum Conclusionibus 248
§ 1. De conclusione singularum Orationum 248
§ 2. De conclusione plurium Orationum . 250
§ 3. De conclusione Orationum extra Missam et extra Officium 255
Caput XIV. De Orationibus et Commemorationibus in specie 255
§ 1. Commemoratio Sanctissimi 255
§ 2. Oratio A Cunctis 260
§ 3. Oratio ad libitum 263
§ 4. Oratio imperata 265
§ 5. Collecta pro Imperatore 267
Caput XV. De Precibus recitandis post Missam . . 269

Tractatus III.

De ss. Eucharistiae distributione et renovatione necnon de sacrorum Vasorum purificatione.

Caput I. De ss. Eucharistiae distributione 272
§ 1. Regulae generales circa s. Communionis distributionem 272
§ 2. De Communionis distributione intra Missam 277
§ 3. De Communionis distributione extra Missam 279
§ 4. De Benedictione post Communionem 284
Caput II. De ss. Eucharistiae renovatione 286
§ 1. Regulae generales circa s. Specierum renovationem 286
§ 2. De Hostiis minoribus consecrandis . 289
§ 3. De Hostia majore consecranda pro Ostensorio 291
Caput III. De Vasorum sacrorum purificatione . . 293
§ 1. Regulae generales circa Vasorum sacrorum purificationem 293
§ 2. De Modo purificandi 294
Caput IV. De sacris Vasibus Vestibusque attingendis et lavandis 296

Tractatus IV.

De Missa solemni et cantata.

Caput I. Observationes generales circa Missam solemnem 299

Pag.

Caput II. De Aspersione aquae benedictae in Dominicis 301
Caput III. De Celebrante Missam solemnem 308
Caput IV. De Missa cantata 321

Tractatus V.

De Functionibus coram exposito ss. Sacramento.

Caput I. De Expositione et Repositione ss. Sacramenti 324
§ 1. Regulae generales 324
§ 2. De Hostia et causis Expositionis . . . 328
§ 3. De Expositione et Repositione privata 330
§ 4. De Expositione et Repositione publica 332
§ 5. De Benedictione cum Sanctissimo . . 339
Caput II. De Missis coram ss. Sacramento exposito . 344
§ 1. Regulae speciales pro Celebrante Missam coram ss. Sacramento exposito . 344
§ 2. Ritus Missae privatae coram exposito ss. Sacramento 346
§ 3. Ritus Missae solemnis coram exposito ss. Sacramento 351

Tractatus VI.

De Missis et Functionibus pro Defunctis.

Caput I. Praenotationes generales 359
Caput II. De Orationibus et Sequentia in Missis de Requie 360
Caput III. De Missa privata de Requie 362
Caput IV. De Missa solemni de Requie 364
§ 1. Regulae generales 364
§ 2. Ritus Missae solemnis de Requie . . 364
Caput V. De Absolutione post Missam de Requie . 369
§ 1. Absolutio absente corpore 370
§ 2. Absolutio praesente corpore 374
Caput VI. De Missa pontificali de Requie 375

Tractatus VII.

De Missis votivis.

Caput I. De Missis votivis in genere 379
Caput II. De Ritu celebrandi Missas votivas 382
Caput III. De Missa votiva solemni 387
Caput IV. De Missa votiva privata 389
Caput V. De Missis votivis ad libitum seu per annum 392

Tractatus VIII.

De Missis quibusdam peculiaribus.

Caput I. De Celebrante Missam privatam coram Episcopo 396
Caput II. De Celebrante Missam solemnem coram Episcopo 399
Caput III. De duobus Capellanis in Missa privata ab Episcopo celebrata 404
Caput IV. De Missis Neosacerdotis 409
Caput V. De Missis in aliena ecclesia 412

Appendix.

Ritus celebrandi Missam privatam adnotationibus (in parenthesi) illustratus 416
Ordo servandus in celebrandis Missis votivis privatis 451
Expositio synoptica Ritus Missae solemnis 452
Ordo incensandi Oblata 482
Ordo incensandi Altare 483
Statio in Missa pontificali ad Confessionem 484
Statio in Missa pontificali ante Evangelium priusquam Diaconus accedat ad thronum ad accipiendam benedictionem Episcopi 484
Statio in Missa pontificali ad thronum infra benedictionem Diaconi ante Evangelium 485
Statio in Missa pontificali infra cantum Evangelii . 486
Statio in Missa pontificali post Orate fratres . . . 487
Statio in Absolutione ad tumbam absente corpore . 487
Statio in Absolutione ad tumbam praesente corpore Sacerdotis 488

Sectio prima.

Instructio praeliminaris.

Tractatus I.

De quibusdam caeremoniis fundamentalibus occurrentibus in sacris functionibus.

Caput I.

De Crucis formatione et manuum junctione.

1. Crux minor est et major. Prior formatur in fronte, ore et pectore, non ungue sed pulpa[1] pollicis manus dexterae, reliquis quatuor digitis extensis, invicem junctis et a pollice separatis, palma sinistra interim in pectore posita. In hac triplici cruce lineae rectae non excedant altitudinem frontis, lineae transversae vero non latitudinem oris.

Crux major efficitur modo sequenti. Manu sinistra posita paulum infra pectus, digitis dexterae manus extensis et invicem junctis palmaque ad signantem conversa,[2] summitate digitorum manus dexterae tangitur leviter frons dum dicitur *In nomine Patris;* demissa hinc eadem dextera ad pectus pari modo pectus tangitur in parte media inferiori dum profertur *et Filii;* translata dein manu ad humerum sinistrum, qui pariter tangitur ad verba *et Spiritus,* eadem manus demum transfertur ad humerum dexterum, ad cujus contactum dicitur *Sancti;* postremo absque mora intercedente junguntur manus ante pectus et dicitur *Amen.* Quae junctio manuum locum habet saltem tunc, quando id, quod subsequitur, dicendum est manibus junctis e. g. oratio.[3]

[1] *S. Alphonsus,* Lib. de caer. miss. cap. 6. n. 3.; *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 219. — [2] *Rit. cel.* miss. III. n. 5. — [3] Cf. *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 29. n. 2682.

Regulae generales:

1. Crux, sive major sive minor, semper formatur manu dextera, nunquam sinistra.

2. In omni cruce conficienda omnes digiti manus dexterae extensi invicem junguntur, etiam pollex cum reliquis, si facienda sit crux major, quatuor autem digiti excepto pollice, qui ab iis separatur, si formanda sit crux minor.

3. In cruce formanda, tam majori quam minori, palma sinistra non impedita extensis et junctis invicem digitis paulum infra pectus ponitur, non quidem infra locum cinguli, extra tamen limites crucis formandae.[4]

4. In formanda cruce majori frons, pectus atque humeri non tanguntur tota palma, neque omnibus digitis, sed summitate tantum trium digitorum, indicis, medii et annularis.

2. Manus junguntur ita, ut, ulnis non elevatis, sed demissis et leviter corpori admotis, palma et digiti invicem juncti unius manus exacte applicentur palmae et extensis junctisque digitis alterius manus, pollice dextero super sinistrum posito in modum crucis.[5] Manus taliter compositae ante pectus ita sustinentur, ut parum distent a vestibus, apices autem digitorum neque terram, neque faciem directe respiciant, sed naturaliter sint elevati ad coelum, nisi facienda sit profunda corporis inclinatio, quo in casu digitorum apices propius pectori admoveantur,[6] ne infra inclinationem prorsus sint conversi ad terram.

Regulae generales:

1. In stricto altaris ministerio ab omnibus ad altare assistentibus manus ante pectus junctae teneantur, nisi forte sint occupatae, vel nisi alia positio sit praescripta aut saltem tolerata.

2. Si alterutra manus sit occupata, altera non occupata digitis extensis et invicem junctis pectori applicetur, palma ad ipsum conversa.

---

[4] *Carpo*, Caerem. pars 1. cap. 2. n. 6. — [5] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 19. n. 1. — [6] *Herdt*, l. c. I. n. 136.

Caput II.

De Reverentiis.

3. Reverentiae sensu liturgico sunt quaedam honoris exhibitiones in sacris functionibus praestitae vel Deo vel personis vel rebus venerandis. Duplicis generis sunt juxta Rubricas, videlicet inclinationes et genuflexiones. Utraque species potest pro objecto habere cultum latriae, si reverentia refertur ad Deum, vel cultum hyperduliae, si refertur ad beatam Virginem Mariam, vel cultum duliae, si refertur ad Sanctos Sanctasque Dei.

Regula generalis: Omnes reverentiae, sive inclinationes sive genuflexiones, regulariter faciendae sunt capite detecto.

A. De Inclinationibus.

4. Triplex[1] distinguitur inclinatio: profunda seu corporis, mediocris (media) seu humerorum, minima (simplex, infima) seu capitis inclinatio, quatenus inclinatur vel corpus vel humeri vel caput. Capitis inclinatio in tres subdividitur species, nempe in minimarum maximam, minimarum mediam, minimarum minimam, videlicet in capitis inclinationem maximam, mediam et infimam.

5. Corporis profunda seu simpliciter profunda inclinatio tali fit corporis incurvatione, ut, extensis[2] vel cancellatis i. e. in modum crucis dispositis[3] brachiis, digitorum extremitate tangi possint genua. Ad decenter hanc inclinationem faciendam necesse est, ut simul cum corpore paulisper inclinetur et caput.[4]

6. Humerorum seu mediocris corporis vel simpliciter mediocris inclinatio mediat inter

[1] Sciendum est, ait *Merati* pars. 2. tit. 2. n. 2, inclinationes ab auctoribus peritioribus ad tres reduci classes. — [2] *Martinucci*, Manual. lib. 1. cap. 1. n. 5. — [3] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 121.; *Bouvry*, Expos. Rubr. tom. II. § 2. pct. 2. n. 8. — [4] *Hartmann*, Repert. Rit. § 74.

corporis profundam et capitis inclinationem et tali fit humerorum depressione, ut curvatis humeris conspici possint pedum extremitates. Etiam in hac inclinatione facienda caput nequaquam erigatur, sed decenter incurvetur.

7. Capitis inclinatio profunda seu minimarum maxima est ea, quae absolvitur tota capitis et modica humerorum incurvatione. Practice ergo haec inclinatio fere aequiparatur inclinationi mediocri.[5] Tam in hac quam in aliis capitis inclinationibus modeste caput est demittendum et lente erigendum, ne fiat praeceps capitis nutus.

Profunda capitis inclinatio etiam extra Missam facienda est in actionibus liturgicis, quotiescunque inclinatio capitis rationem habet cultus latriae, ergo dum dirigitur ad ss. Trinitatem, et tres divinae personae simul nominantur cum formula aliqua glorificationis, ut in fine psalmorum,[6] hymnorum[7] et alias, praesertim in doxologia *Gloria Patri etc.*, in qua inclinatio fit usque ad verba *Sicut erat etc.* exclusive;[8] deinde dum dirigitur ad ss. Sacramentum, ad s. Crucem, ad Reliquiam ss. Sanguinis vel Crucis Domini reconditam in custodia[9] et dum pronuntiatur ss. Nomen Jesu cum laude.[10]

8. Capitis inclinatio media seu minimarum media fit inclinando ex toto caput tantummodo et locum habet, quando inclinatio capitis rationem habet cultus hyperduliae, ergo ad prolationem s. nominis Mariae non solum intra sed etiam extra Missam.

9. Capitis inclinatio minima seu minimarum minima consistit in levi tantum capitis depressione et habet rationem cultus duliae. Unde quum hic debeatur Sanctis Dei, haec inclinatio facienda est in functionibus liturgicis ad nomina Sanctorum, quo-

---

[5] Cf. *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 1. Soc. Sales. (*Eph. lit.* 1906 pg. 208. sq.) — [6] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 1. n. 8. — [7] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 6. n. 8. — [8] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 1. n. 6. — [9] *S. R. C.* 7. Maji 1746 ad 7. n. 2390. et 22. Sept. 1827. n. 2660. et 18. Febr. 1843 n. 2854. — [10] Ergo non, dum dicitur e. g. S. Theresia a *Jesu*, vel S. Stanislaus e Societate *Jesu*.

rum fit specialis memoria et ante insignes Reliquias Sanctorum expositas.[11] Insignes Reliquiae sunt: corpus, caput, brachium, sive integrum sive pars ejusdem tantum anterior vel superior, crus (non tibia), aut illa pars corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra, et non parva, et legitime ab Ordinario approbata; item cor, lingua, manus, si ex miraculo intactae conserventur.[12]

B. De Genuflexionibus.

10. Altera species reverentiarum est genuflexio. In se spectata genuflexio majoris observantiae signum est quam inclinatio; plus enim honoris tribuo illi, coram quo genuflecto, quam illi, cui tantum inclinationem exhibeo. Genuflexio duplicis generis est, simplex et duplex; prior fit unico, posterior utroque genu.

Regulae generales:

1. Omnes genuflexiones, sive unico sive utroque exsequantur genu, modeste et reverenter fiant, non praecipitanter neque cum strepitu.

2. Quando per aliquod temporis spatium flexis genibus orandum est in loco altiori quam locus est pedum i. e. in genuflexorio vel gradu altaris, oraturus prius se inclinat vel in plano genuflectit, quatenus alias transeundo sese inclinare vel genuflectere deberet; deinde se erigit, genuflectit et genuflexus orat: oratione finita surgit et eamdem facit reverentiam, antequam discedat.[13] Si in hoc casu oratio facienda sit coram ss. Sacramento exposito, tunc ante et post orationem fit genuflexio utroque genu in plano.[14]

3. Si flexis genibus orandum sit in plano, ita ut locus genuflexionis (Kniebeugung) et adgeniculationis

---

[11] *Eph. lit.* 1908 pg. 699.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 200. ad 3. — [12] *S. R. C.* 8. Apr. 1628 ad 3. n. 460. et 13. Jan. 1631 n. 555. et 3. Jun. 1662 ad 2. n. 1234. et 13. Febr. 1666 ad 3. n. 1334. et 27. Jun. 1899 ad 1. 2. 3. n. 4041. — [13] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 2. n. 5.; cap. 15. n. 5.; cap. 18. n. 1. 2. — [14] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 12. n. 9.; *S. R. C.* 7. Maji 1746 ad 4. n. 2390; *Eph. lit.* 1900 pg. 449.; *Carpo*, pars I. n. 20.

(Knien) sit identice idem, tunc non ante, sed post orationem, quum discedendum erit, reverentia conveniens facienda est: inclinatio scilicet, si alias transeundo caput inclinandum, genuflexio simplex, si alias unum genu flectendum esset, genuflexio duplex autem, quatenus oratio facta sit coram exposita ss. Eucharistia.[15]

4. Si duo vel plures genuflectere simul debeant, sive unico sive utroque genu, advertant, ut uno eodemque tempore, pari modo atque ea motus uniformitate genuflexionem absolvant, ita ut adhaerere invicem humeris atque unam quasi personam efficere videantur.[16]

§ 1. De Genuflexione simplici.

11. Genuflexio simplex fit demittendo genu dexterum usque ad terram juxta talum pedis sinistri (nisi facienda sit in gradu), erecto tamen corpore, erecto capite, non hinc non inde, non ante vel retro deflexo. Genu deflexum nullo modo pavimento insistat, sed vix demissum ad terram, confestim i. e. sine mora quidem, debita tamen cum gravitate inde erigatur.

Regulae speciales:

1. Genuflexio simplex regulariter facienda est capite detecto.

2. In ipso actu genuflexionis manus nequaquam ponantur super genu sinistrum, sed junctae ante pectus teneantur, nisi sint impeditae.

3. In perficienda genuflexione simplici caput et corpus directe convertantur versus objectum, cui exhibetur haec reverentia. Quapropter v. g. in transitu ante medium altaris genuflexio minime fiat transeunter, sed genuflecturus prius sese convertat ad altaris medium et subsistens genuflectat.

4. Genuflexio simplex, utpote majus obsequium, includit obsequium minus, quod est inclinatio. Unde omnis genuflexio simplex fiat absque capitis aut cor-

---

[15] Cf. *S. R. C.* 10. Maji 1895 ad 10. n. 3855.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 4.; *Eph. lit.* 1905 pg. 432. — [16] *Martinucci*, lib. 1. cap. 1. n. 6.

poris inclinatione, etiamsi infra genuflexionem pronuntiandum esset aliquod verbum aut nomen (v. g. Jesu, Mariae), ad cujus pronuntiationem praescriberetur inclinatio capitis.

12. Genuflexio simplex facienda est extra Missam:

1. A transeuntibus quibuscunque ante tabernaculum, in quo inclusum est ss. Sacramentum,[17] exceptis iis, qui in processione theophorica transeunt ante tabernaculum hujusmodi, quippe qui versantur in actuali adoratione ss. Sacramenti, quod in processione defertur.[18]

2. A transeuntibus ante altare, in quo celebratur, si tunc Missa sit a Consecratione usque ad Communionem inclusive.[19] Quoad Celebrantem transeuntem ante altare hujusmodi consule dicta in sect. IV. tract. II. cap. 3.

3. A transeuntibus in publica processione ante altare, in quo fit elevatio Sanctissimi, quae per campanulae sonum significatur (quod tamen fieri non deberet). Bini unicum genu flectunt, statim surgunt et processionem prosequuntur.[20]

4. A transeuntibus quibuscunque ante altare, super quo in loco principali palam exposita est Reliquia s. Crucis,[21] pretiosissimi Sanguinis[22] vel Instrumentorum Passionis Domini.[23]

---

[17] *S. R. C.* 14. Dec. 1602. n. 117. et 7. Jul. 1876 ad 2. n. 3402. — [18] Cf. *Cavalieri*, tom. IV. cap. 10. Decr. 7. n. 2. — [19] Ratio est, quia ss. Sacramentum ob Sacerdotem celebrantem est in altari quasi esset absconditum in tabernaculo. *Eph. lit.* 1889 pg. 227. — [20] *S. R. C.* 21. Nov. 1893 Dub. 2. n. 3814. — [21] *S. R. C.* 7. Maji 1746 ad 7. n. 2390. et 23. Maj. 1835 ad 2. n. 2722. et 27. Aug. 1836 n. 2747. et 18. Febr. 1843 n. 2854. et 20. Mart. 1869 ad 7. n. 3201. Reliquiae Sanctorum et ss. Crucis in eadem theca non debent includi et exponi, sed in thecis separatis. *S. R. C.* 25. Maj. 1906 (*Eph. lit.* 1909 pg. 359.) Nullae prorsus Reliquiae, nec. ss. Crucis, exponendae sunt super tabernaculo ss. Sacramenti inservienti pro basi. *S. R. C.* 3. Apr. 1821 ad 6. n. 2613. et 12. Mart. 1836 ad 1. n. 2740. In expositione ss. Reliquiarum ardere debent saltem duo lumina. *S. R. C.* 22. Jan. 1701 ad 9. n. 2067. et 12. Aug. 1854 ad 13. n. 3029. — [22] *S. R. C.* 22. Sept. 1827 n. 2660. et 27. Jun. 1868 n. 3176. — [23] *S. R. C.* 17. Sept. 1897 n. 3966.

5. Ab omnibus Clericis et Sacerdotibus, exceptis Celebrante et Canonicis ecclesiae cathedralis, in actu functionis transeuntibus ante Episcopum proprium vel ante altare majus, quamvis ibi non adsit Sanctissimum, sed sola Crux.[24]

6. Ab omnibus Clericis et Sacerdotibus, Canonicis ecclesiae cathedralis non exceptis, etiam non in actu functionis transeuntibus ante Crucem altaris majoris Feria sexta in Parasceve post adorationem Crucis usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive.[25]

7. Genuflexiones praefatae faciendae sunt non solum a transeuntibus ante altare hujusmodi, sed etiam ab accedentibus ad altare et recedentibus ab eodem, imo non solum ab iis, qui directe transeunt ante dictum altare, sed etiam ab iis, qui transeunt a latere ejus, dummodo in transitu videatur.

§ 2. De Genuflexione duplici.

13. Haec genuflexio fit utroque genu ita, ut usque ad terram demittatur prius genu dexterum juxta talum pedis sinistri, deinde genu sinistrum juxta dexterum, adjecta simul profunda capitis inclinatione, juxta dicta sub num. **7.** In surgendo, erecto jam capite, primo levatur genu sinistrum et ponitur pes juxta genu dexterum, dein levatur genu dexterum. Fieri potest vel cum mora, si interim aliquid sit agendum, e. g. orandum, ss. Sacramentum incensandum, vel sine mora, si statim sit absolvenda.

Ab hac genuflexione distinguenda est prostratio, quae adnexam habet profundam corporis usque ad terram inclinationem et ita efficitur, ut prius utrumque genu flectatur et subinde corpus prosternatur. Facienda occurrit Feria sexta Parasceves initio functionis, Sabbato Sancto et in Ordinibus conferendis infra Litanias omnium Sanctorum.

---

[24] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 3.; *S. R. C.* 30. Aug. 1892 ad 11. n. 3792. et 9. Maji 1857 n. 3046. — [25] *S. R. C.* 9. Maji 1857 ad 5. n. 3049. et 12. Sept. 1857 ad 4. n. 3059.

Regulae speciales:

1. In genuflexione duplici semper caput est detegendum.

2. Genuflexio duplex semper adnexam habet, non profundam, sed mediocrem[26] corporis inclinationem, quae aequiparatur profundae capitis inclinationi, et quidem toto tempore genuflexionis, si absolvenda sit sine mora, secus initio tantum genuflexionis, si facienda sit cum mora, nisi specialis inclinatio praescripta sit pro toto genuflexionis tempore.

3. Genuflexio duplex, quae fit cum mora, admittit quamcunque capitis inclinationem alias praescriptam. Quapropter respectiva capitis inclinatio facienda est etiam a genuflexis, quotiescunque requiritur a lege, e. g. ad ss. Nomen Jesu.[27]

14. Genuflexio duplex facienda est extra Missam:

1. In accessu, recessu et transitu coram ss. Sacramento, sive sit expositum in pyxide (ciborio) vel in ostensorio,[28] sive elevetur post Consecrationem,[29] sive transferatur processionaliter vel non processionaliter,[30] sive administretur pro Communione.[31]

2. Ab omnibus sine exceptione ad benedictionem a quocunque Sacerdote impertitam cum Sanctissimo.[32]

3. Ad benedictionem episcopalem tam privatam[33] quam solemnem, intra vel extra ecclesiam, exceptis Canonicis et Dignitatibus ecclesiae cathedralis.[34]

4. In adoratione sanctae Crucis Feria sexta in Parasceve.[35] Post adorationem et osculum sanctae

---

[26] Cf. *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 1. Soc. Sales. (*Eph. lit.* 1906 pg. 208. sq.) — [27] Cf. *Eph. lit.* 1909 pg. 377. — [28] *S. R. C.* 19. Aug. 1651 ad 6. n. 937. et 7. Maj. 1746 ad 4. n. 2390. et 24. Nov. 1899 ad 11. n. 4048. — [29] Cf. *Rit. cel.* miss. II. n. 1. et *Rub. gen.* miss. XVII. n. 5. — [30] Cf. *Eph. lit.* 1905 pg. 19. — [31] *S. R. C.* 9. Mart. 1711 ad 3. n. 2209. — [32] *S. R. C.* 28. Nov. 1739 n. 2352. et 23. Sept. 1837 ad III. 3. n. 2769. et 3. Aug. 1839 ad 5. n. 2791. — [33] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 2. n. 1. — [34] *S. R. C.* 23. Mart. 1641 n. 746. et 21. Mart. 1676 n. 1564. et 13. Jun. 1676 n. 1576. et 13. Febr. 1677 ad 1. n. 1594. et 13. Mart. 1700 ad 7. 8. n. 2049. et 21. Jul. 1855 ad 5. n. 3035. et 27. Maj. 1628 n. 456. — [35] *Rub. spec.* missal.

Crucis i. e. pedum tantum Crucifixi, Celebrans, Ministri, Clerus et populus surgant, genuflectant unico genu et redeant ad propriam sedem.[36]

5. Ab omnibus, qui genuflectunt cum mora.[37]

Caput III.

De Bireto ejusque usu.

15. Quale sit biretum et quomodo eo utendum?

1. Vox biretum a biro, cujus est deminutivum, derivatur et denotat tegumentum capitis, sicut birum tegumentum corporis. Formam prae se fert quadratam habetque in summitate tres apices seu tria cornua. Biretum quatuor cornibus instructum non est indumentum chorale,[1] imo nec indumentum ecclesiasticum sed civile, ob Magisterium et Lauream aut Licentiam in disciplinis theologicis vel sacris canonibus receptum, quapropter in functionibus ecclesiasticis ne Laureatus quidem eo uti potest, etiamsi episcopali insignitus sit dignitate.[2]

2. Color bireti est vel niger vel ruber vel violaceus. Color niger bireti communis est omnibus sacerdotibus simplicibus. Bireto rubro utuntur Patres purpurati, ex privilegio vel immemorabili consuetudine etiam alii.[3] Biretum violaceum competit exclusive solis Episcopis[4] iisque omnibus sine discrimine, etiam titularibus.[5]

3. Imponitur et deponitur regulariter manu dextera, sinistra posita infra pectus, qua in actione accipitur vel apice anteriori vel, quod melius, apice dextero. Imponitur capiti ita, ut pars apice carens sit a sinistra. Defertur non fronti vel temporibus inclina-

---

[36] *S. R. C.* 10. Maj. 1895 ad 10. n. 3855. — [37] Cf. *Cavalieri*, tom. V. cap. 7. n. 30.

[1] *S. R. C.* 7. Dec. 1844 n. 2877. — [2] *S. R. C.* 6. Sept. 1895 ad 5. n. 3873. — [3] Cf. *S. R. C.* 27. Jun. 1868 n. 3170. — [4] Litt. apost. Leonis XIII. die 3. Febr. 1888. — [5] *S. R. C.* 6. Sept. 1895 ad 5. n. 3873.

tum, sed capiti aequaliter impositum. Dum detecto capite standum est vel procedendum, biretum non tenetur nec sola dextera nec sola sinistra pendula, sed ambabus manibus, si sint liberae, ante pectus cum apertura versus pectus, pollicibus positis intra, reliquis digitis junctis extra biretum. Quando vero infra sessionem caput est detegendum, sola dextera biretum super genu dexterum sustinetur. — Ceterum biretum Celebrantis non est ponendum super altare neque super missale neque super calicem.

16. Biretum imponitur:

1. Generatim in accessu ad sacras functiones et in recessu ab iisdem, e. g. ante et post celebrationem Missae, ante et post administrationem Sacramentorum.

2. In processionibus sine ss. Sacramento[6] et sine Reliquia s. Crucis[7] aliorumve Instrumentorum Passionis Domini.[8] Clerus in ecclesia graditur capite detecto,[9] extra ecclesiam vero caput cooperit bireto; Celebrans (Officiator) autem et Diaconus et Subdiaconus aliique assistentes sacris paramentis vel saltem stola parati[10] etiam per ecclesiam contecto incedunt capite.

3. In choro, dum sedetur, caput tegi potest, modo Sanctissimum in altari chori non sit expositum; imo etiam exposito ss. Sacramento, si hoc coopertum sit velo; sed laudandi sunt Chorales, qui in hoc casu sedent detecto capite.[11]

4. A concionatoribus in concionibus, quae non fiunt coram ss. Sacramento, sive patenter exposito sive velamine obducto.[12]

5. Infra sessionem in Missis solemnibus et cantatis sine expositione Sanctissimi, uti suo loco dicetur.

---

[6] *S. R. C.* 2. Apr. 1667 n. 1352. et 31. Aug. 1872 ad 2. n. 3276. et 23. Jul. 1897 n. 3961. — [7] *S. R. C.* 2. Sept. 1690 ad 1. n. 1841. — [8] Cf. *S. R. C.* 17. Sept. 1897 n. 3966. — [9] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 1.; *S. R. C.* 18. Aug. 1877 ad 1. n. 3434. — [10] *S. R. C.* 28. Apr. 1708 ad 3. n. 2184.; *Eph. lit.* 1901 pg. 209.; *Herdt*, Prax. Pont. tom. I. n. 32. ad 6. — [11] *S. R. C.* 10. Sept. 1796 ad 1. n. 2552. — [12] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 22. n. 3.; *S. R. C.* 9. Dec. 1628 ad 4. n. 488. et 23. Sept. 1837 ad II. n. 2769.

17. Biretum deponitur:

1. Generatim loquendo, in functionibus quibuscunque coram ss. Sacramento exposito.

2. In celebratione Missae cum vel sine cantu, etiam Sanctissimo non exposito, extra sessionem.

3. In administratione Sacramentorum, excepto Sacramento Poenitentiae.

4. In benedictionibus impertiendis et accipiendis, in Aspersione aquae benedictae, in danda et accipienda thurificatione et Pace.

5. In accessu ad chorum et in discessu ex eodem ab omnibus, Canonicis et ipso Episcopo non exceptis,[13] praeter eos, qui paramentis vel stola saltem sunt parati.

6. In inclinationibus et genuflexionibus faciendis, nisi manus sint impeditae, e. g. per calicem, quem Celebrans defert ad altare, ut suo loco dicetur.

7. In processionibus, in quibus defertur ss. Sacramentum, Reliquia s. Crucis aliorumve Instrumentorum Passionis Domini, nemini unquam licet incedere tecto capite.[14] In aliis vero processionibus, tam intra quam extra ecclesiam, id vetitum est solummodo Crucifero, Ceroferariis, Caeremoniario,[15] iis, qui deferunt Reliquias vel statuas Sanctorum,[16] et Clericis, qui processionem moderantur.[17]

8. In concionibus ante ss. Sacramentum palam expositum,[18] licet Sanctissimum velo sit obductum.[19] In aliis concionibus potest adhiberi biretum, praesertim si talis vigeat consuetudo.

---

[13] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 1.; *S. R. C.* 18. Aug. 1877 ad 1. n. 3434. — [14] *S. R. C.* 23. Jul. 1897 n. 3961. et 2. Sept. 1690 ad 1. n. 1841. et 17. Sept. 1897 n. 3966. Potest tamen Episcopus in processione deferens s. Crucis Lignum uti mitra, quam vero deponere debet in danda cum dicta Reliquia benedictione. *S. R. C.* 18. Aug. 1877 ad 4. n. 3434. et 23. Sept. 1837 ad IV. 1. n. 2769. — [15] Cf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 3. n. 1. — [16] *S. R. C.* 1. Dec. 1657 n. 1043. et 2. Apr. 1667 n. 1352. et 2. Sept. 1690 ad 1. n. 1841. et 13. Febr. 1892 Dub. 30. ad 13. n. 3767. — [17] *S. R. C.* 23. Sept. 1837 ad VI. 1. n. 2769. — [18] *S. R. C.* 9. Dec. 1628 ad 4. n. 488.; *Instr. Clement.* § 32. — [19] *S. R. C.* 23. Sept. 1837 ad II. n. 2769.

Tractatus II.

De Diebus liturgicis.

Caput I.

Observationes praeviae.

Explicantur vocabula quaedam in rebus liturgicis tractandis saepe saepius occurrentia, non omnibus sat perspicua.

18. Officium triplici sentu accipi potest, sensu latiori, strictiori et strictissimo. In sensu latiori nomine Officii intelliguntur preces et caeremoniae in singulis functionibus liturgicis a quocunque ministro pro munere suo observandae. Unde sermo esse potest e. g. de Officio Diaconi, Subdiaconi in Missa solemni, de Officio Celebrantis Sabbato Sancto etc. In sensu strictiori nomine Officii comprehenduntur Horae canonicae (breviarium) et Missa,[1] utpote quibus memoria alicujus Mysterii vel Sancti certa die liturgice agitur. Quo sensu accipi debet, si e. g. aliquando novum Officium recolendum injungitur. In sensu strictissimo Officium dicuntur solummodo Horae canonicae, quae singulis diebus tamquam pensum diurnum a personis ecclesiasticis persolvendae sunt, quo sensu communiter accipitur, e. g. si quis diceret, se hodie Officium devotissime persolvisse.

19. Ritus appellatur complexus precum et caeremoniarum singulas actiones liturgicas constituentium. Unde dicitur ritus Missae, ritus baptismi, i. e. preces et caeremoniae, quae in Missae celebratione, in baptismi administratione observari debent. Nonnunquam vocabula „ritus“ et „ordo“ identice usurpantur, e. g. ordo Missae, ordo ad faciendam aquam benedictam, ubi ordo idem significat ac ritus.

Ritus dicitur etiam modus solemnior vel minus solemnis exsequendi sacras caeremonias vel recitandi

[1] Unde Missa a S. Concilii Congregatione die 9. Jun. 1714 et 1. Sept. 1894 nuncupatur nobilior, praestantior et potissima pars totius Officii.

Horas canonicas. Quo sub respectu distinguitur ritus duplex, semiduplex, simplex. Ratio hujus distinctionis est diversitas gradus, qualitatis et dignitatis Mysterii aut Sancti, cujus memoria celebratur; nam quo majus est Mysterium et quo dignior Sanctus, eo digniorem cultum exigunt. Unde patet, ritum duplicem esse solemniorem, minus solemniorem esse semiduplicem, infimum vero simplicem. Hinc Ecclesia primum assignare consuevit principalioribus Festis, alterum minori excellentia praeditis, ultimum infimis.

Missas quod attinet diversitas inter triplicem hunc ritum consistit solummodo in majori vel minori numero Orationum.

Officium vero recitari potest triplici modo: *a)* aut cum Matutino trium Nocturnorum et novem Lectionibus, cum Laudibus et minoribus Horis, primis secundisque Vesperis, duplicando (iterando) in Horis majoribus Antiphonas; *b)* aut praefatas singulas partes recitando, quin tamen iterentur Antiphonae; *c)* aut denique cum uno tantum Nocturno et tribus Lectionibus ad Matutinum cum Laudibus sine Antiphonarum duplicatione, item cum Horis et absque secundis Vesperis. Atqui primus recitandi modus est duplex, alter semiduplex, tertius simplex.

20. Concurrentia seu concursus est illa Officiorum successio, qua secundae Vesperae unius Officii simul obveniunt cum primis Vesperis Officii sequentis diei. Quum enim Officia ritus duplicis et semiduplicis jus habeant ad duas Vesperas, primas nempe et secundas, hinc, quando duo ejusmodi Officia sese proxime consequuntur, Vesperae secundae Officii praecedentis et Vesperae primae Officii sequentis de jure pariter recitari deberent. Datur igitur conflictus quidam inter duas istas Vesperas, ex quo necessario nascitur aliqua compositio, ne duae Vesperae integrae sint recitandae.[2] E. g. Die 26. Januarii celebratur Festum duplex s. Polycarpi, die sequenti 27. Januarii Festum duplex s. Joannis Chrysostomi. Festum s. Poly-

[2] Cf. *Eph. lit.* 1890 pg. 64. sq.

carpi dicitur concurrere cum Festo s. Joannis Chrysostomi; eadem enim die 26. Januarii Festum s. Polycarpi exigit suas secundas et Festum s. Joannis suas primas Vesperas. Concurrentia finientis Officii appellatur activa, incipientis Officii passiva. Itaque in casu nostro Officium s. Polycarpi active concurrit cum Officio s. Joannis, hoc autem passive cum illo.

21. Occurrentia seu occursus in Liturgia significat incidentiam alicujus Festi aut Officii in certam determinatam diem. Hinc dicimus Assumptionem B. M. V. occurrere die 15. Augusti, Festum ss. Nominis Jesu Dominica secunda post Epiphaniam.

Occurrentia oritur etiam, quando duo vel plura Festa in eandem incidunt diem, quae ideo eadem die sibi occurrere dicuntur. Occurrentia est vel perpetua vel temporanea seu accidentalis. Perpetua habetur, quando in perpetuum duo vel plura Officia eadem die coincidunt, e. g. Festum s. Augustini Ep. C. D. et s. Hermetis M., quae semper occurrunt die 28. Augusti. Temporanea seu accidentalis est occurrentia, quando aliquo anno per accidens duo Officia eadem die occurrunt, uti quando Festum s. Andreae Ap. simul incidit cum Dominica prima Adventus.

Effectus occurrentiae est, ut, quum una die nonnisi de uno fieri possit integrum Officium, alterum aliquo pacto hac eadem die cedere debeat. Quod diversis fit modis. Aut enim alterutrum Officium penitus omittitur, aut de altero fit tantum commemoratio loco Officii integri, aut integrum in aliam diem temporanee transfertur, aut ei alia dies perpetuo assignatur ideoque in alia die reponitur, aut mutatur. Hinc nobis sermo de commemoratione, translatione, assignatione, repositione et mutatione.

22. Commemoratio hic loci est quaedam exigua pars Officii in ipsius integri locum substituta et quasi vicem supplens.[3] Commemoratio locum habere potest tum in Horis canonicis tum in sacrificio

[3] *Guyet*, Heort. lib. 4. sect. 1. cap. 1. q. 1.

Missae. In Horis canonicis fit commemoratio in Laudibus et Vesperis, aliquando etiam in nona Lectione Matutini; in Missa autem in Orationibus et nonnunquam in ultimo Evangelio.

23. Translatio definitur amotio temporaria Officii integri (Horarum canonicarum et Missae) alicujus Festi accidentaliter impediti a die sua propria in aliam diem liberam, remanente Festo pro foro in die propria. Dies propria appellatur dies, in qua Ecclesia memoriam alicujus Sancti vel Mysterii celebrandam elegit.[4] Dies autem, in quam Officium alicujus Festi accidentaliter impediti a die propria transfertur, dies translata vocatur estque semper prima post impeditam libera,[5] nisi alia certa semel pro semper a lege ad hoc sit destinata, tamquam propria tunc dicta. E. g. Dies 19. Martii est dies propria s. Joseph, quia haec dies ab Ecclesia electa est ad celebrandam memoriam ejus. Nonnunquam vero hoc Festum incidit in aliquam Feriam hebdomadae majoris, quo fit, ut tali die duo Officia occurrant, feriale et festivum. Praevalet Officium Feriae, utpote Feriae majoris privilegiatae, quae respuit omnia Festa etiam duplicia primae classis, ergo etiam Festum s. Joseph. Quia vero hoc Festum est duplex primae classis, die 19. Martii non potest ejusdem fieri tantum commemoratio, sed, remanente Festo pro foro in die 19. Martii, ejus Officium integrum amovetur ab hac die sua propria in aliam diem, nempe in Feriam quartam post Dominicam in Albis, quae ideo vere est dies translata s. Joseph, sed in casu a Rubrica tamquam propria nuncupatur, utpote semel pro semper a lege pro transferendo Officio s. Joseph destinata, ita ut hoc Officium in casu impedimenti istam sibi quasi propriam vindicet. Est autem illa amotio tantum temporaria, quia non omni anno locus est huic occurrentiae accidentali, sed Festum cum Officio s. Joseph regulariter celebratur in ipsa die propria 19. Martii.

[4] Cf. *Eph. lit.* 1891 pg. 45. — [5] *S. R. C.* 21. Nov. 1893 ad 5 n. 3811.

24. Assignatio est amotio definitiva Officii integri (non Festi) a die propria perpetuo impediti in primam liberam diem sequentem.[6] Amandatur tantum Officium divinum cum Missa, non autem ipsum Festum, quod pro foro affixum manet suae propriae diei, cujus tamen Officio cum Missa ob impedimentum perpetuum i. e. quotannis recurrens alia dies libera assignatur, quae proinde dies assignata vocatur. E. g. Dies 13. Decembris in Kalendario universae Ecclesiae est dies propria s. Luciae. In dioecesi Labacensi vero hac eadem die quotannis occurrit dies octava s. Nicolai, Episcopi Confessoris, Titularis ecclesiae cathedralis Labacensis; adest ergo occurrentia perpetua utriusque Officii, ideoque impedimentum perpetuum, quominus Officium s. Luciae sua die celebretur. Praevalet enim Officium diei octavae s. Nicolai, utpote dignius, Officium s. Luciae vero, remanente ejus Festo pro foro in die propria 13. Decembris, reponitur in die sequenti libera 14. Decembris, quae proinde est dies assignata s. Luciae. Etiam dies assignata nonnunquam dies tamquam propria appellatur.[7]

25. Repositio est consectarium necessarium translationis et assignationis. Quia nempe Officium vel Festum aliquod vel temporanee a die propria transfertur, vel eidem perpetuo impedito alia dies assignatur, ideo necessario in certa die reponitur. Quo sensu ergo repositio non est nisi Offici alicujus a propria die amoti in alia die collocatio, sive ad tempus haec fiat sive perpetuo. Unde distinguitur repositio accidentalis (translatio sensu strictiori) et perpetua (assignatio); et dies accidentaliter reposita idem est ac dies translata, dies perpetuo reposita idem ac dies assignata.[8] Ceterum termini „translatio“ et „repositio“ in ipsis Rubricis promiscue usurpantur.[9]

---

[6] *S. R. C.* ibid. — [7] *Eph. lit.* 1898 pg. 670. — [8] *Stella*, Instit. liturg. pag. 414. n. 17. — [9] In Rubrica speciali tam missalis quam breviarii Festi s. Joseph et Annuntiationis B. M. V. dicitur modo „transferre“ modo „reponere“ ad significandum eumdem amandationis modum.

26. Mutatio dicitur amotio definitiva alicujus Festi a die sua propria perpetuo impedita et in alia die collocatio. Differt ergo mutatio ab assignatione in eo, quod *a)* in mutatione Festum ipsum et Officium in aliam diem liberam definitive amovetur, in assignatione autem tantum Officium Festi; *b)* in eo, quod mutatio pertinet ad Summum Pontificem exclusive, dum assignatio fieri potest ab ipso Episcopo. Unde patet, quid sit dies mutata. Est scilicet illa dies, in qua ex dispositione s. Sedis celebratur Festum alicujus Mysterii vel Sancti, quorum dies propria (sive natalitia sive quasi-natalitia) quacunque ex causa manet impedita. Festum ss. Cyrilli et Methodii usque ad annum 1899 celebrabatur die 5. Julii, quae dies erat eorum propria. Instituto a Leone XIII. in eadem hac die novo Festo S. Antonii Mariae Zaccaria, dies hucusque propria ss. Cyrilli et Methodii ab eodem Summo Pontifice mutata est in diem 7. ejusdem mensis, ita ut deinceps horum Festum absque indulto apostolico celebrari nequeat quinta, sed nonnisi septima Julii, quae facta est eorum dies propria. Pari modo Festum ss. Perpetuae et Felicitatis usque ad annum 1909 sub ritu simplici in universa Ecclesia celebratum die sua propria 7. Martii, dehinc ex dispositione Pii X. celebrandum est sub ritu duplici minori die praecedenti sexta Martii, quae nunc est dies mutata ss. Perpetuae et Felicitatis earumque propria.

27. Ex dictis jam eruitur, quid sit dies fixa, impedita, libera, vacua, propria et tamquam propria.

1. Dies fixa dicitur illa dies mensis, cui Festum aliquod immobiliter affixum est. E. g. Dies 26. Decembris est dies fixa Festi s. Stephani Protomartyris, quia dies ista perpetuo determinata est pro celebrando hoc Festo ita, ut ab hac die amoveri nequeat.

2. Dies impedita illa appellatur, in qua perpetuo occurrit aliquod Officium novem Lectionum sub ritu duplici aut semiduplici, quae proinde nunquam manet sine Festo aliquo celebrando, etiam translato.[10]

---

[10] *S. R. C.* 22. Apr. 1871 ad 6. n. 3248.

Quando vero agitur de occurrentia temporanea, impedita dicitur quoque dies illa, in qua occurrit vel Dominica vel Feria privilegata.

3. Dies libera seu non impedita est illa, in qua aut nullum Officium perpetuo assignatum est, aut si Festum occurrat, ritu tamen simplici recolitur, ita ut in ea aliud Festum mutari vel Officium assignari perpetuo aut tantum accidentaliter transferri possit. Sic e. g. libera dicitur in casu nostro dies 28. Januarii, etsi in ea occurrat Festum simplex s. Agnetis secundo.

4. Dies vacua est illa dies, quae in Kalendario universalis Ecclesiae a nullo Festo occupata invenitur. Hujusmodi dies usque ad annum 1909 erat dies sexta Martii, quia in ea nullum inscriptum erat Festum pro universa Ecclesia. Evecto vero ad classem duplicem minorem Festo ss. Perpetuae et Felicitatis eoque collocato in dicta die,[11] haec vacua esse desiit. Unde sequitur: *a)* Diem vacuam in Kalendario universalis Ecclesiae non esse semper vacuam in Kalendario Ecclesiarum particularium, quum in aliqua Ecclesia eadem die celebrari possit Festum aliquod particulare vel Octava; *b)* diem liberam non esse semper vacuam, diem vacuam vero semper esse per se liberam. E. g. Dies 28. Januarii est per se libera, sed non vacua, quia in ea occurrit Festum simplex s. Agnetis secundo.

5. Dies propria est dies ab apostolica Sede ad Festum aliquod liturgice celebrandum electa, sive sit natalitia sive quasi-natalitia sive mutata.

6. Dies tamquam propria est dies ab Episcopo juxta leges rubricales statuta ad Officium alicujus Festi perpetuo impediti recolendum.[12] In hoc sensu ergo haec dies idem significat ac dies assignata. Si vero agatur de Festis potioris ritus (primae aut secundae classis), quae aliquando impediri contingit, eorum dies tamquam propria est dies certa semel pro semper a Rubrica determinata pro eorum Officio accidentaliter impedito agendo. Recole n. **23.** et **24.**

[11] Per Decretum S. R. C. 25. Aug. 1909. — [12] *Rub. gen.* Brev. X. n. 1. et 5.

Caput II.

De Feria et Dominica.

28. Quid et quotuplex est Feria?

1. Dies hebdomadae Feriarum nomine distinguuntur, quarum prima et ultima Dominicae et Sabbati nomine veniunt, intermediae vero a Feria secunda usque ad Feriam sextam inclusive numerantur. Feria dicitur a feriando, non quod a necessariis vitae operibus sit feriandum, sed quia toto tempore a vitiis feriari seu vacare debemus[1] et ut significetur, Clericos abjecta ceterarum rerum cura quotidie uni Deo prorsus vacare debere.[2]

2. Feriae dividuntur in majores et minores. Majores sunt illae, quarum Officium nunquam penitus omittitur, sed vel integrum vel pro parte saltem in commemoratione admittitur. Quales sunt: Feriae Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum et secunda Rogationum. Minores autem sunt, quarum Officium, occurrente Festo aut Officio qualicunque, etiam simplici, ne pro commemoratione quidem admittitur, sed penitus omittitur.[3] Hujusmodi Feriae sunt omnes praeter majores.

3. Feriae majores subdividuntur in privilegiatas et non privilegiatas. Privilegium consistit in eo, quod prorsus inamovibilia sunt Officia earum. Feriae privilegiatae nulli unquam Festo aut Officio locum cedunt, nequidem duplici primae classis, sed quodcunque occurrens aut penitus respuunt aut pro commemoratione tantum admittunt. Huc pertinent: Feria IV. Cinerum et Feriae hebdomadae majoris. E. g. Quotiescunque Festum s. Joseph aut Annuntiationis B. M. V., utrumque primae classis, occurrit hebdomada majori, eorum Officia transferuntur, quia praevalet Officium Feriae privilegiatae. Similiter si e. g. Festum duplex s. Scholasticae, die 10. Februarii, occurreret Feria IV. Cinerum, Officium fit de Feria, quae est pri-

[1] *Eph. lit.* 1892 pg. 83. — [2] *Lect. VI. Fest.* s. Silvestri 31. Dec.; *Kozma*, Liturg. § 159. nota 2. — [3] Excipiuntur Feria III. et IV. Rogationum, quarum in Missa fit commemoratio.

vilegiata, de Festo autem fit tantum commemoratio. — Feriae majores non privilegiatae autem non cedunt Officiis simplicibus, sed tantum duplicibus et semiduplicibus, in quibus tamen earum semper fit commemoratio. Hinc e. g. tempore Adventus semper fit commemoratio Feriae in omnibus Festis, etiam in Festo Immaculatae Conceptionis, quod est Festum duplex primae classis. Feriae non privilegiatae sunt omnes Feriae majores praeter enumeratas.

29. Quid et quotuplex est Dominica?

1. Prima dies hebdomadae communiter nuncupatur dies Domini vel Dominica. Quoad dignitatem Dominicae dividuntur in majores et minores. Majores sunt illae, in quibus praecipua Creationis et Redemptionis nostrae Mysteria recoluntur; quales sunt omnes Dominicae Adventus et quae occurrunt a Dominica Septuagesimae inclusive usque ad Dominicam in Albis inclusive, dein Dominica Pentecostes et Trinitatis. Reliquae sunt minores et dicuntur etiam Dominicae communes vel per annum. Hae cedunt Festis duplicibus, etiam minoribus, earumque fit tantum commemoratio in Officio et Missa.

2. Dominicae majores sunt aliae primae aliae secundae classis. Dominicae primae classis sunt sequentes octo: Dominica I. Adventus, Dominica I. Quadragesimae, Dominica Passionis, Palmarum, Paschatis, in Albis, Pentecostes et ss. Trinitatis, adeoque sunt privilegiatae, ut nulli unquam Festo, ne primae quidem classis cedant. E. g. Si Festum s. Joseph, duplex primae classis, occurreret Dominica Passionis, locum cedit Officio Dominicae et Officium s. Joseph transfertur. — Dominicae secundae classis sunt minus privilegiatae, quum non cedant nisi Festo primae classis, vindicato tamen sibi in hoc casu jure commemorationis in Officio et Missa; quales sunt omnes reliquae Dominicae majores. E. g. Si Festum Immaculatae Conceptionis B. M. V., duplex primae classis, occurreret Dominica secunda Adventus, locum cedit Officium Dominicae et fit Officium Immaculatae Conceptionis cum commemoratione Dominicae.

3. Quoad ritum distinguuntur Dominicae, quae celebrantur ritu duplici, videlicet Dominica in Albis illaeque Dominicae, quae sunt simul Festa: Paschatis, Pentecostes et ss. Trinitatis; et Dominicae, quae celebrantur ritu semiduplici, quales sunt omnes reliquae Dominicae, sive minores sive majores, sive primae sive secundae classis, quae ita tantum dicuntur quoad exclusionem aliorum Festorum. Bene ergo distinguendum est inter dignitatem et ritum Dominicarum. Potest enim celebrari Dominica ritu semiduplici, quamvis sit secundae vel primae classis, e. g. Dominicae quadragesimales.

4. Datur denique distinctio inter Dominicas vacantes et non vacantes. Vacantes dicuntur illae Dominicae, de quibus nihil fit in Officio et Missa, quod tunc locum habet, quando Festa et dies octavae Nativitatis Domini, s. Stephani Protomartyris, s. Joannis Apostoli, ss. Innocentium, Epiphaniae hujusque Vigilia incidunt in Dominicam. Reliquae omnes sunt non vacantes et habent per se in ipsa die Dominica vel Officium vel saltem commemorationem in Officio et Missa.

Caput III.

De Festis.

30. Quid intelligitur nomine Festi?

1. Festum est dies, qua ab Ecclesia cultu liturgico aliquod Mysterium vel Sanctus recolitur. Mysteriorum Festa celebrantur vel die, in qua Mysterium ipsum adimpletum est, vel alia peculiaribus de causis ad hoc selecta die. Festum e. g. Apparitionis B. M. V. Immaculatae celebratur 11. Februarii, quia miraculum eadem die accidit. Festa Sanctorum regulariter non celebrantur die nativitatis, qua huic mundo nati sunt, sed plerumque die obitus, qua morte interveniente nati sunt coelis, quae proinde nuncupatur dies natalitia[1] seu simpliciter natalitia vel natalis. Ita e. g. dies 21. Junii est dies natalitia et Fe-

[1] *S. R. C.* 21. Nov. 1893 ad 5. n. 3811.

stum s. Aloisii, dies 29. Junii dies natalitia et Festum ss. Apostolorum Petri et Pauli.

A die natalitia distinguenda est dies quasi-natalitia, quae, etsi Sanctus in ea non occubuerit, nihilominus suis de causis ab apostolica Sede seligitur ad ejus Festum recolendum.[2] E. g. Quamquam s. Paulus a Cruce die 18. Octobris mortem oppetierit, quae dies prorsus esset ejus natalitia, nihilominus, quum Pius IX. ejus Festum die 28. Aprilis celebrandum decreverit, dies ista quasi-natalitia s. Pauli a Cruce censetur. Utraque dies, tam natalitia quam quasi-natalitia alicujus Sancti, dicitur et est ejus dies propria.

31. Festorum distinguuntur variae species:

1. Ratione feriationis distinguuntur Festa fori et chori. Feriatio dicitur cultus alicujus diei ex parte populi per abstinentiam ab operibus servilibus et per audientiam Missae. Quae Festa ita recoluntur a populo propter praeceptum ecclesiasticum, dicuntur Festa fori; quae vero a Clero tantum recoluntur per recitationem divini Officii et per celebrationem Missae, Festa chori nuncupantur. Hinc e. g. die prima Januarii agi dicitur Festum Circumcisionis Domini cum feriatione, Feria sexta post octavam Corporis Christi agi dicitur Festum ss. Cordis Jesu absque feriatione. Primum est Festum fori (et chori), posterius tantum Festum chori. Olim plura Festa colebantur cum feriatione in foro, quae successu temporum suppressa sunt, ideo Festa suppressa seu abrogata dicta, quaeque per se hodie non obligant ad abstinendum a servilibus et ad audiendum Sacrum et celebrantur tamquam Festa chori.[3] Festa suppressa sunt e. g. Festa singulorum Apostolorum praeter Festum ss. Petri et Pauli.

2. Ratione extensionis Festa sunt alia universalia seu generalia vel communia, alia

[2] Ibid. et *Eph. lit.* 1891 pg. 42. sq. et 1896 pg. 54. — [3] De reductione Festorum videsis *Hartmann.* Repert. Rit. § 40.

particularia seu propria, quatenus aguntur vel in universali Ecclesia vel tantum in singulis regionibus, dioecesibus, ordinibus etc. Festa universalia per se sunt e. g. Festa Apostolorum, particulare est e. g. Festum s. Ruperti. Ad particularia pertinent Festa aliquibus locis ab apostolica Sede concessa. Festa particularia seu propria esse possunt magis vel minus propria, quatenus incolas alicujus regionis, dioecesis, parochiae etc. plus minusve tangunt. E. g. Festa Titularis ecclesiae cathedralis et propriae ecclesiae parochialis ambo sunt particularia seu propria, sed hoc evidenter magis proprium est quam illud.

3. Ratione stabilitatis habentur Festa mobilia et immobilia seu fixa. Mobilia sunt, quae non determinatae diei mensis, sed aut Feriae aut Dominicae sunt affixa, e. g. Festum Paschatis, Septem Dolorum B. M. V. Immobilia seu fixa sunt, quae quotannis eadem mensis die celebrantur, nisi per accidens transferantur, e. g. Festum s. Antonii Patavini die 13. Junii, Assumptionis B. M. V. die 15. Augusti.

4. Ratione qualitatis celebris est distinctio inter Festa primaria et secundaria. Primaria dicuntur, quae pro objecto habent Mysterium aliquod peculiare Domini et Deiparae, quod non continetur in alio ipsorum Festo, e. g. Nativitas, Epiphania, Resurrectio, Ascensio Domini, Immaculata Conceptio, Nativitas, Annuntiatio, Visitatio, Purificatio, Assumptio B. M. V. Pro Sanctis illud Festum primarium reputatur, quo recolitur eorum triumphalis in coelum ingressus, si excipias s. Joannem Baptistam, cujus primarium Festum recolitur non in die obitus, sed in die nativitatis ejus. — Festa secundaria sunt, quae pro objecto habent factum aliquod vel Mysterium, quod implicite celebratur in alio Festo, e. g. Nominis, Cordis Jesu, Rosarii, Maternitatis B. M. V., Apparitionis s. Michaelis, Patrocinii s. Josephi, utriusque Cathedrae Petri etc. Quaenam sint Festa primaria et quae secundaria, patet ex catalogo horum Festorum in principio Breviarii.

5. Ratione ritus distinguuntur Festa duplicia, semiduplicia et simplicia. Duplex est vel duplex primae vel secundae classis, et duplex majus vel minus. Duplex minus etiam duplex per annum vocatur vel simpliciter duplex.[4] Duplicia primae et secundae classis duplicia classica vel simpliciter classica appellantur et possunt ampliari per Octavam, quinimo duplicia primae classis per Octavam privilegiatam. Infimum gradum quoad ritum tenent Festa simplicia,[5] succedunt deinde per ordinem Festa semiduplicia, duplicia minora, majora, secundae classis, primae classis, duplicia primae classis cum Octava et supremo duplicia primae classis cum Octava privilegiata. Quo digniora sunt Festa, eo minus commemorationes admittunt et difficilius loco moventur. Vide n. **19.**

6. Ratione obligationis dantur Festa (Officia) praeceptiva, ad libitum et facultativa seu indultiva. Praeceptiva sunt e. g. omnia in Kalendario universalis Ecclesiae inscripta ideoque saltem in choro secundum Rubricas a Clero agenda, exceptis duobus, nempe s. Canuti (19. Januarii) et s. Remigii (1. Octobris), quae pro lubitu nonnunquam agi[6] vel omitti possunt, Officia ad libitum ideo dicta. Quibuscum non sunt confundenda Festa facultativa vel indultiva, quae ad petitionem Cleri et Episcopi ab apostolica Sede conceduntur et, semel acceptata, praeceptiva evadunt.[7]

7. Ratione dignitatis personae, cujus Festum recolitur, primum locum in ordine Festorum obtinent Festa Domini, secundum Festa Deiparae, tertium ss. Angelorum, quartum s. Joannis Baptistae, quintum s. Joseph, sextum Ss. Apostolorum et Evangelistarum, sep-

[4] Ubi in Directorio adnotatur dup., dupl. vel dpl., semper intelligendum est de duplici minori. — [5] Simplicia in Kalendario universalis Ecclesiae, disposito in principio Breviarii, sine adnotatione ritus exhibentur, e. g. dies 28. Januarii, in qua inscribitur Festum s. Agnetis secundo. — [6] Dummodo non occurrant in Dominica, etiam translata, vel infra aliquam Octavam. *S. R. C.* 4. Apr. 1705 ad 5. n. 2152.; *Eph. lit.* 1902 pg. 680. — [7] *S. R. C.* 27. Jun. 1899 ad 4. n. 4042.

timum reliquorum Sanctorum, prout habetur in Litaniis Sanctorum.

32. Quid est simplificatio Festorum? Nonnunquam accidit, ut Festa duplicia minora (exceptis illis s. Ecclesiae Doctorum) et semiduplicia in ritum simplicem redigantur, quae Festa proinde Festa simplificata nuncupantur et redactio ipsa in simplex simplificatio audit. Cujus simplificationis effectus est, ut ejusmodi Festa (vel Officia) in ritum simplicem redacta tamquam vere simplicia considerentur et qua talia secundum dispositionem Rubricae Breviarii X. n. 1. et 5. de Translatione Festorum non transferantur, sed solummodo commemorentur vel eo anno penitus omittantur. Nihilominus Festum simplificatum et simplex non est unum idemque. Distinguuntur in eo, quod simplificatum jus habet ad tres commemorationes in Officio, in primis nempe Vesperis et secundis atque in Laudibus; simplex vero ad duas tantum, in primis Vesperis et Laudibus. Si vero Festum duplex aut semiduplex perpetuo redactum sit ad ritum simplicem, tunc simplificatum mutat naturam suam et in simplex transit ideoque ad duas tantum commemorationes jus obtinet.[8]

Caput IV.

De Vigilia et Octava.

33. Unde Vigiliae origo, quomodo agitur et distinguitur?

1. Vigilia dicitur solemnis Festi praeventio vel praeparatio, qua ad dignam ejus celebrationem juxta mentem matris Ecclesiae disponimur. Nomen suum accepit a vigilando, eo quod ab Ecclesiae incunabulis fideles in praecipuis festivitatibus noctem antecedentem divinis in laudibus vigilantes et jejunantes in ecclesiis traducere solerent. Quum vero, frigescente fide, in nocturnis vigiliis abusus non pauci irrepsis-

[8] *S. R. C.* 7. Dec. 1900; *Eph. lit.* 1901 pg. 65.

sent, Ecclesia eas prudenter abstulit vel potius transtulit de nocte in diem. Quapropter in praesenti disciplina Vigilia est dies ad id destinata, ut divinis officiis et plerumque etiam jejunio animi praeparentur ad digne celebrandas majores festivitates.[1] Dantur hodie Vigiliae septemdecim, adjecta nimirum a Leone XIII. per S. R. C. decretum de 5. Decembri 1879 ad priores sexdecim Vigilia Immaculatae Conceptionis Deiparae.[2]

2. Quia Vigilia ex mente Ecclesiae praeparatio quodammodo proxima esse debet ad festivitatem sequentem, ideo Vigilia agitur semper die Festum immediate praecedente, nisi interveniat Dominica, quo in casu agitur Sabbato praecedente. Ratio est, quia Vigiliae sunt dies poenitentiae, quas celebrare non convenit diebus laetitiae, quales sunt Dominicae ob memoriam Resurrectionis Domini, quae in eis ex Apostolicis Constitutionibus (lib. V. cap. 21.) recolitur. Excipiuntur ab hac regula Vigilia Nativitatis Domini et Epiphaniae, quae aguntur etiam in Dominicis,[3] quia prae se ferunt quamdam laetitiam exortam ex Nativitate Domini. Quando aliquod Festum habens Vigiliam transferri contingit, sive accidentaliter sive in perpetuum, non ideo transfertur etiam ejus Vigilia, quae potius remanet in die sua.[4] In Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus de Vigiliis occurrentibus nil fit in Officio,[5] sed in Missa tantum.[6]

3. Ritus Vigiliarum est simplex, exceptis Vigiliis majoribus, nempe Epiphaniae et Pentecostes, quae peraguntur ritu semiduplici in toto Officio, et Nativitatis Domini, quae est ritus simplicis in Matutino, ritus duplicis vero inde a Laudibus. Secundas Vesperas Vigiliae nunquam habent, quia Vesperae sunt de sequenti Festo, Officium Vigiliarum ergo terminatur ad Nonam.[7]

---

[1] *Eph. lit.* 1893 pg. 46. 47. et 1890 pg. 370.; cf. *Cavalieri* tom. II. cap. 15. n. 1. sq. — [2] Indicantur in Kalendario, ubi adnotatur: Vigilia. — [3] *Rub. gen.* Brev. VI. n. 2. — [4] *S. R. C.* 24. Mart. 1860 ad 1. n. 3095. et 9. Maji 1857 ad 1. n. 3050. — [5] *Rub. gen.* Brev. VI. n. 2. — [6] *Rub. gen.* Miss. III. n. 4. 5. — [7] *Rub. gen.* Brev. VI. n. 3.

4. Distinguuntur Vigiliae majores et minores seu communes. Majores dicuntur, quae habent ritum simplici superiorem (ut modo diximus), et sunt sequentes tres: Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes. Inter quas prima et ultima sunt privilegiatae, utpote hoc ditatae privilegio, ut, licet sint ritus inferioris, a nullo unquam Festo, neque duplici primae classis, amoveri possint. Vigilia Epiphaniae autem est Vigilia major non privilegiata, quia, quum sit ipsa ritus semiduplicis, non cedit Festo ritus aequivalentis semiduplicis, sed tantum duplici,[8] quod non est privilegium, sed lex generalis occurrentiae, quae vult, ut ritus inferior cedat superiori.[9] — Vigiliae minores seu communes peraguntur ritu simplici et cedunt cuicunque Festo, etiam semiduplici; tales reputantur omnes reliquae Vigiliae praeter majores.

5. Dantur deinde Vigiliae, quae jejunantur et quae non jejunantur, quod semper adnotari solet in Directorio dioecesano, quia praxis varia in variis dioecesibus. De jure communi Vigiliae omnes habent jejunium adnexum, praeter Vigiliam Epiphaniae et Ascensionis; illa ob laetitiam Natalis Domini, haec ob gaudium Resurrectionis. In ditione Austriaca per indultum Clementis XIV. de die 22. Jun. 1771 omnia Vigiliarum jejunia suppressa sunt praeter haec quinque: ante Nativitatem Domini, Pentecosten, Festum Petri et Pauli, Assumptionem Mariae et Festum omnium Sanctorum. Licet vero in nonnullis Vigiliis hodie non jejunemus, attamen pro effectibus liturgicis considerantur adhuc cum jejunio, ideoque ad Preces Officii in choro et in Missa de Vigilia semper genuflexiones a Rubricis praescriptae fieri debent.[10] Vide num. **39.**

34. Quid et quotuplex est Octava et quibus Festis competit?

1. Octavae nomine intelligitur celebratio alicujus Festi per octo continuas dies.[11] Prima dies est

[8] Et tunc de Vigilia fit tantum commemoratio. — [9] Cf. *Eph. lit.* 1899 pg. 324. sq. — [10] *S. R. C.* 11. Maji 1820 ad 4. n. 2602. — [11] „Tota Octava nihil aliud est, quam extensio ipsius

Festum ipsum; ultima dies dicitur simpliciter Octava vel dies octava; dies intermediae a secunda usque ad septimam inclusive vocantur dies octavae vel communius dies infra Octavam. Prima dies seu ipsum Festum celebratur ritu duplici primae vel secundae classis; dies intermediae ritu semiduplici, excepta die secunda et tertia infra Octavam Paschatis et Pentecostes, quae sunt ritus duplicis primae classis; dies octava est semper ritus duplicis minoris. Quia Octava ex natura sua est nota et index magnae solemnitatis, ideo solummodo Festa primaria et solemniora Octavis decorari solent, frequentius Festa primae, rarius secundae classis, nunquam Festa secundaria, idque saltem ex more universalis Ecclesiae.[12]

2. Ex jure liturgico in universali Ecclesia sexdecim Festa celebrantur cum Octava, videlicet quinque Festa Christi Domini,[13] unum Spiritus Sancti, Pentecostes scilicet, tria Deiparae,[14] septem nonnullorum Sanctorum.[15] Ex his sunt quinque Festa secundae classis, reliqua primae classis. Praeter haec Festa in ecclesiis particularibus celebrantur cum Octava Festa Dedicationis ecclesiarum, Patroni loci et Titularis propriae ecclesiae.[16] Hae recensitae Octavae ex jure liturgico conceduntur ecclesiis localibus; alias Octavas S. R. C. ex privilegio indulsit singulis dioecesibus.

3. Attamen non quolibet anni tempore Festa occurrentia celebrare licet cum Octava. Prohibentur enim Octavae: *a)* a die 17. Decembris usque ad Epiphaniam; *b)* a Feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in Albis; *c)* a Vigilia Pentecostes usque ad Festum ss. Trinitatis,[17] praefatis diebus inclusive

Festi", verba sunt ipsius *S. R. C.* 2. Dec. 1741 ad 3. n. 2365. „Altera Festi comes ac veluti pedissequa est Octava, quae istud extendit ac prorogat, ut Vigilia praevenit", ait *Guyetus*, lib. 1. cap. 18. — [12] *Eph. lit.* 1889 pg. 652. — [13] Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Corporis Christi. — [14] Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis. — [15] Nativitatis s. Joannis Baptistae, Petri et Pauli, Laurentii, omnium Sanctorum, Stephani Protomartyris, Joannis Apostoli, Innocentium. — [16] *Rub. gen.* Brev. VII. n. 1. — [17] *Rub. gen.* Brev. l. c.; *S. R. C.* 22. Maji 1894 n. 3826.

sumptis. Hinc duae regulae, ad quas bene attendendum est in celebratione Festi Patroni loci vel Titularis ecclesiae.

Prima regula: Festa temporibus prohibitis occurentia celebranda sunt sine Octava. Festum s. Joseph non habet Octavam, etiamsi sit Festum primae classis et s. Joseph Patronus Ecclesiae catholicae, quia semper occurrit tempore vetito, in Quadragesima. Pari modo Festum Annuntiationis B. M. V., Festum primae classis, caret Octava ex eadem ratione.

Secunda regula: Si Octavae inceptae tempus vetitum superveniat, Octava est abrumpenda, nihilque de ea amplius agendum, ne ipsa quidem commemoratio. Si s. Lucia, cujus Festum celebratur die 13. Decembris, Titularis sit alicujus ecclesiae parochialis, ejus Octava celebratur solummodo usque ad diem 16. Decembris inclusive, qua die cessat Octava, etiamsi nondum sit completa.

4. Quando Festum habens Octavam accidentaliter transfertur, non ideo transfertur et Octava.[18] Unde sequitur: *a)* Si Festum transfertur post totam suam Octavam vel in ipsam diem octavam, tota perit Octava et Festum eo anno sine Octava recolitur. *b)* Si Festum habens Octavam accidentaliter transfertur infra suam Octavam, fit de Octava diebus, qui supersunt, et dies octava celebratur in die sua propria ac si Festum translatum non fuisset.

5. Est distinctio inter Octavas. Aliae enim sunt privilegiatae aliae non privilegiatae seu communes. Privilegiatae sunt quinque numero: Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, ss. Corporis Christi, sed non omnes eodem modo. Hoc quidem omnibus commune est privilegium, ut infra has Octavas, licet ritus sit semiduplex, non admittantur Missae privatae tam votivae quam de Requie. Quoad Festa admittenda autem non omnes eodem gaudent privilegio. Aut enim quodcunque Festum respuunt, quales sunt Octavae Paschatis et Penteconstes, aut

[18] *Rub. gen.* Brev. X. n. 1.

nonnulla Festa admittunt ita tamen, ut earum semper fiat commemoratio etiam in Festo primae classis, quales sunt Octavae Epiphaniae, Corporis Christi et Nativitatis Domini. Reliquae autem Octavae, non privilegiatae seu communes, quodcunque Festum, etiam semiduplex, admittunt ita quidem, ut occurrente Festo duplici primae vel secundae classis amittant etiam jus ad commemorationem.[19]

Tractatus III.

De Choro.

Caput I.

Regulae generales circa disciplinam in choro servandam.

35. — 1. Clerici veste talari et superpelliceo induti, incessu gravi et capite detecto,[1] gestantes utraque manu biretum ante pectus (recole n. **15.** ad 3.), bini procedunt in chorum.

2. Ad altare quum pervenerint simpliciter genuflectunt, sive in altari sit tabernaculum cum Sanctissimo incluso[2] sive tantum Crux.[3] Canonici vero Cruci altaris, in quo Sanctissimum non asservatur, caput et humeros profunde inclinant;[4] si in tabernaculo adsit ss. Sacramentum, simpliciter genuflectunt. Si forte expositum sit Sanctissimum duplici genuflexione ss. Sacramentum omnes venerantur. Post genuflexionem Clerici bini sese invicem salutant modica capitis inclinatione, nisi expositum sit Ss. Sacramentum, dein suum quisque locum petit, alter dextrorsum sinistrorum alter, ibique cuncti stantes exspectant adventum aliorum, nisi forte deberent genuflectere ex

[19] Cf. *Eph. lit.* 1890 pg. 58. sq.

[1] Relege n. 17. ad 5. — [2] *S. R. C.* 14. Dec. 1602 n. 117. — [3] *S. R. C.* 24. Nov. 1899 ad 4. n. 4048. — [4] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 3.

eo, quod Episcopus in adventu suo genuflexus adorat Sanctissimum vel orat ante altare majus.[5]

3. In choro omnes uniformitati studeant, ita ut una simul stent, sedeant, se inclinent, genuflectant, surgant, se signent, caput aperiant et cooperiant.

4. Dum sedent, caput bireto coopertum habere possunt,[6] nisi facienda sit capitis inclinatio aut nisi in altari chori palam expositum sit ss. Sacramentum. Vide etiam num. **16.** ad 3. Dum genuflectunt vel stant, caput semper manet detectum. Unde quotiescunque sunt consurrecturi, prius caput detegunt deinde surgunt, quum autem sit sedendum, primo sedent, deinde imponunt biretum.

5. Oculos unusquisque habeat non gyrovagos, sed demissos vel ad librum intentos; manus similiter teneat vel junctas vel pectori applicatas vel, si sedeatur et liber non teneatur, super genua extensas.

6. Inviolabile servetur silentium in choro, nec in illo prorsus habeantur colloquia, nisi quis forte ex non praevisa necessitate loqui cogatur de iis, quae ad functionem pertinent. Nullus pariter risu aut quovis gestu incomposito rem divinam perturbet, vel litteras aut libros quoscunque praeter Breviarium aut Diurnum legat. Et dum clara voce aliquid legitur vel canitur, e. g. Oratio, Lectio, Prophetia, Evangelium, *Gloria, Credo,* Praefatio, *Pater noster,* omnes intenti sint et debitas faciant inclinationes,[7] e. g. ad *Oremus,* Nomen *Jesu, Mariae* et Sancti, cujus fit memoria, ad *Gloria Patri* etc.

7. Clerus in choro non debet attendere ad ea, quae geruntur in aliis altaribus. Ideo tempore chorus campanulae sonus infra Missas in altaribus proximis vetatur. Si vetitum non servetur, Chorales ad elevationem in hujusmodi casibus non genuflectant, sed caput detegant et Officium prosequantur, secunda elevatione absoluta caput iterum cooperire possunt.[8] Recole dicta ad 4.

---

[5] *Caer. Ep.* ibid. — [6] *S. R. C.* 14. Mart. 1861 ad 11. n. 3104. Cf. *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 182. ad 4. — [7] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 46. — [8] *S. R. C.* 21. Nov. 1893 Dub. I. ad 3. n. 3814.

8. Si incepto jam Officio aut Missa et Clero in loco suo jam congregato, aliquis ex Canonicis vel ex Clero inferiori superveniat, antequam locum suum in choro adeat, facta debita altari reverentia (reg. gen. 2.), statim in genua provolutus versus altare[9] parumper orat, mox surgit, iterum facit reverentiam altari, ut antea, pergit in chorum,[10] ubi Chorales utrimque salutat capitis inclinatione, plus minusve pro eorum qualitate, incipiens a parte, in qua sedet dignior, et locum sibi praestitutum occupat.[11] Sed hoc valet tantum, si prima vice in chorum venerit; si enim pro aliqua necessitate exire debuerit, redeundo quidem reverentiam altari et choro sicut alias facere tenetur, non autem denuo versus altare orare.[12] Dum vel recitantur vel canuntur ea, ad quae Chorales genuflectere debent, nemini chorum ingredi licet, sed exspectare debet finem genuflexionis.

9. Si superveniat aliquis e Superioribus, tunc decet, ut Clerici in ejus adventu assurgant eumque capite detecto salutent, neque prius sedeant, quam ipse in stallum suum advenerit.[13] Quum tamen S. R. C. definierit, Canonicis inferiores ad hoc non teneri,[14] servetur consuetudo.

10. Si Episcopus aut Canonicorum quis in choro residentium pro aliquo officio suo assurgere debeat, consurgendum est etiam ceteris omnibus ex utraque parte chori considentibus.[15]

11. Tempore divini Officii vel Missae nemini e choro egredi licet sine necessitate. Si autem justa de causa exierit, primum egressus e loco suo, in medio chori stans salutat Chorales ex utraque parte (reg. gen. 8.), nisi sit Sanctissimum expositum vel Missa

[9] Quum dicitur „versus altare", non opus est ad medium ante altare accedere, sed sufficit se vertere versus altare et genuflectere in parte, per quam quis ingreditur. *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 151. *b*. — [10] Supponitur chorus post altare. Si autem chorus sit ante altare, superveniens statim post absolutam orationem factamque altari reverentiam in eodem loco stans salutat utrimque. — [11] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 4. — [12] *Herdt*, Prax. Pont. l. c. *a*. — [13] *Caer. Ep.* l. c. — [14] *S. R. C.* 3. Oct. 1699 ad 2. n. 2039. — [15] *Caer. Ep.* l. c. n. 9. et 12.

a Consecratione usque ad Communionem, deinde progressus ante altare[16] genuflectit utroque genu, si expositum sit Sanctissimum, secus unico tantum genu omni in casu, nisi sit Canonicus, qui transeundo simpliciter genuflectit tunc tantum, quando Missa celebratur a Consecratione usque ad Communionem[17] vel in tabernaculo adest Sanctissimum. Deinde abit.

12. Officio completo vel Missa finita omnes eodem ac venerant modo et ordine e choro egrediuntur, omissis tamen mutuis salutationibus ante altare.[18]

13. Si in accessu ad chorum vel in recessu ab eodem salutandi sint magistratus aliique saeculares in propriis locis congregati, salutatio fiat per infimam capitis detecti inclinationem.[19]

Caput II.

De Modo in choro assistendi Missae solemni.

36. In Missis solemnibus ordinariis:[1]

1. Clerus congregatus in choro sedens[2] exspectat Celebrantem et Ministros, quibus advenientibus surgit.

2. In Aspersione aquae benedictae stat a principio usque ad finem,[3] quamquam Celebrans cum Ministris genua flectit ante altare.

3. Ad Confessionem,[4] quam bini inter se faciunt, genuflectit, praeter Canonicos, qui stant.[5]

4. Dum Celebrans ascendit ad altare, Clerus consurgit et durante thurificatione altaris sedere potest,[6] deinde stat usque ad absolutum a Celebrante *Kyrie eleison*, quod eodem tempore bini dicunt alternatim.

---

[16] Supponitur chorus post altare. — [17] *S. R. C.* 20. Maji 1904 ad 1. in Rhemen. *Eph. lit.* 1904 pg. 451. sq. — [18] *Eph. lit.* 1897 pg. 589. et 1899 pg. 515. — [19] *S. R. C.* 27. Aug. 1836 ad 3. n. 2753.

[1] Cf. *Rub. gen.* Miss. XVII. n. 5. 7.; *Martinucci*, lib. 1. cap. 3. §§ 4. 6. 8.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 182—193. — [2] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 17. n. 1. — [3] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 31. n. 4.; *S. R. C.* 9. Mart. 1711 ad 2. n. 2209. — [4] Nomine Confessionis veniunt omnia, quae dicuntur a signo crucis usque dum Celebrans ad altare ascendit. *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 183. — [5] *S. R. C.* 19. Jul. 1659 n. 1122. — [6] *S. R. C.* 14. Apr. 1885 ad 1. n. 3631.

Si musici longius protrahant *Kyrie* cantum, Clerus sedere potest, etiamsi Celebrans non sedeat,[7] et si Celebrans etiam ad sedendum iret cum Ministris, caveat Clerus, ne consideat, antequam ipse Celebrans sederit.

5. Ad intonationem et recitationem hymni *Gloria* omnes stant, deinde sedent, sive Celebrans cum Ministris sedeat sive non. Hymnum ipsum simul cum Celebrante submissa voce recitant inclinantes caput ad voces *Deo — Adoramus Te — Gratias agimus Tibi — Jesu Christe — Suscipe deprecationem nostram* — et iterum *Jesu Christe*. Quas reverentias denuo faciunt ad horum verborum cantum.

6. Quum assurgit Celebrans rediturus ad altare et quum dicit *Dominus vobiscum* et cantat Orationes, stat Clerus.

7. Sedet ad Epistolam et dum canitur Graduale, Tractus etc., in quibus, dum canuntur ea, ad quae genuflexio praescribitur, omnes genuflectunt,[8] minime vero genuflectitur, quando talia a solo Celebrante submissa voce recitantur.[9]

8. Ad Evangelii cantum Clerus stat, et si canuntur verba genuflexionem exposcentia, etiam in choro assistentes debent genuflectere.

9. Itidem stat ad Symbolum *Credo*, quod submissa voce cum Celebrante simul recitat animadvertendo, ut caput inclinet ad vocem *Deum* in intonatione Symboli necnon ad verba *Jesum Christum* et *adoratur* in ejusdem decursu, et genuflectat[10] cum Celebrante ad *Et incarnatus est etc.;* recitato Symbolo sedet, sive Celebrans sedeat sive non.[11] Infra sessionem, dum canitur Symbolum, caput inclinat ad

---

[7] *Herdt*, l. c. n. 184. ad 3. — [8] E. g. in Epistola Dominicae Palmarum et Missarum s. Crucis, dum cantatur *Ut in nomine Jesu* etc., in Tractu Quadragesimae ad versum *Adjuva nos* etc., et in Missis de Spiritu Sancto ad versum *Veni Sancte Spiritus* usque ad finem versus. — [9] Ratio est, quia, quae Celebrans solus submissa voce legit, ad ipsum solum, quae autem cantantur, ad chorum et ad omnes spectant. *Herdt*, l. c. n. 186. — [10] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 52.; *S. R. C.* 25. Sept. 1852 ad 1. n. 3003. et 27. Maj. 1876 ad 2. n. 3399. — [11] *Herdt*, l. c.

dicta verba, ad quae inclinatio praescribitur, minime vero submittit genua ad *Et incarnatus est etc.*, sed caput inclinat,[12] praeterquam in ipsa Nativitatis Domini die et in B. M. V. Annuntiationis Festo vel in die translationis ejusdem, quibus diebus ab omnibus, etiam a sedentibus, genuflectitur ad ista verba cantanda.[13]

10. Ad exitum Symboli consurgit Clerus una cum Celebrante et stat ad *Dominus vobiscum* et ad *Oremus*. Quo dicto sedet usque ad incensationem chori exclusive.

11. Infra thurificationem chori stat Clerus toto thurificationis tempore, exceptis Canonicis, quorum quisque post incensationem suam sedere potest.

12. Dum Celebrans incipit *Per omnia saecula saeculorum* ante Praefationem, Clerus surgit et stat usque ad dictum *Benedictus . . . Hosanna in excelsis*, inclinando caput post *Gratias agamus Domino* ad *Deo nostro* atque ad ss. Nomina *Jesu* et *Mariae*, si cantentur. Post Trisagium manet genibus flexis usque ad Calicis elevationem absolutam.

13. Dum Celebrans verbis Consecrationis prolatis genuflectit, omnes convenienter caput profunde inclinant, mox erecto capite in actu elevationis s. Hostiam aspiciunt[14] et, dum Celebrans denuo genuflectit, iterum inclinatione adorant. Idipsum praestabunt etiam ad elevationem Calicis.

14. Elevatione facta Clerus consurgit et stat usque ad Calicis sumptionem inclusive, post quam sedet. *Agnus Dei* praesentes in choro recitant et tempestive sibi invicem dant Pacem.

---

[12] *S. R. C.* 15. Jun. 1895 n. 3860. Nec in hoc casu locum habet dispositio *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 53., quod, caput inclinantibus Canonicis, inferiores genuflectant. *S. R. C.* 13. Febr. 1677 ad 2. n. 1594. — [13] *S. R. C.* 17. Jun. 1673 ad 1. n. 1476. et 22. Jul. 1848 ad 2. n. 2960. — [14] Ad mentem Decreti S. C. Indulg. 18. Maj. 1907, quo s. Hostiam in actu elevationis aspicientibus et interim actus fidei et amoris verbis „*Dominus meus et Deus meus*“ (in casu submissa voce) elicientibus Indulgentiae septem annorum et totidem quadragenarum conceduntur. *Eph. lit.* 1907 pg. 385. sq. et 589. sq.

15. Ad *Dominus vobiscum* et ad Orationes post Communionem Clerus stat usque ad benedictionem, infra quam genua submittit, exceptis Canonicis in sua ecclesia. Ad ultimum Evangelium stat, signans se initio et genuflectens ad *Verbum caro factum est*[15] in fine.

37. Perspicuitatis causa habes brevem conspectum:

In accessu Celebrantis Clerus in choro	stat.
Ad Aspersionem aquae benedictae . .	stat.
Ad Confessionem praeter Canonicos .	genuflectit.
Dum Celebrans ascendit ad altare . .	surgit.
Ad incensationem altaris sedet vel . .	stat.
Post *Kyrie eleison* recitatum	sedet.
Ad intonationem Hymni angelici . . .	surgit.
Hymno recitato	sedet.
Ad finem cantus Hymni	surgit.
Ad Epistolam	sedet.
Ad Evangelii cantum	stat.
Symbolo recitato	sedet.
Ad finem cantus Symboli	surgit.
Post *Oremus* ante Offertorium . . .	sedet.
Adveniente Diacono ad incensandum .	surgit.
Post Sanctus	genuflectit.
Elevatione Calicis absoluta	surgit.
Post sumptionem ss. Sacramenti . . .	sedet.
Ad Postcommuniones	stat.
Ad benedictionem praeter Canonicos .	genuflectit.
Ad ultimum Evangelium	stat.
Ad *Verbum caro factum*	genuflectit.
In recessu Celebrantis	stat.

38. In Missis solemnibus coram ss. Sacramento: Exposito ss. Sacramento, conveniens esset, ut in reverentiam tanti Sacramenti omnes praesentes starent semper detecto capite, et nunquam sederent; sedere tamen licet, secluso scandalo aut irreverentia.[16]

[15] *S. R. C.* 27. Maj. 1876 ad 2. n. 3399. — [16] *S. R. C.* 28. Jul. 1876 ad 3. n. 3408.

39. In Missis solemnibus ferialibus et de Requie:[17] In Missis cum vel sine cantu[18] Feriarum Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum et Vigiliarum, quae de jure jejunantur, licet ex dispensatione apostolica non jejunetur,[19] ac in Missis de Requie genuflectunt omnes in choro, etiam Praelati et Canonici: *a)* ad Orationes ante Epistolam, quae dicuntur post *Dominus vobiscum*, non autem ad illas, quae dicuntur post *Flectamus genua;*[20] *b)* a dicto Trisagio usque ad *Pax Domini* inclusive;[21] *c)* ad Orationes post Communionem et ad Orationem super populum.

Excipiuntur: Vigiliae Paschatis, Pentecostes et Nativitatis Domini, Feria quinta in Coena Domini et Feriae Quatuor Temporum Pentecostes, in quibus statur, quia Missae sunt festivae.[22] Item statur in Vigiliis Epiphaniae et Ascensionis, quia in his non jejunatur.

40. In Missis pontificalibus observentur omnia, sicut in Missis solemnibus ordinariis. Si ante Missam cantanda sit Tertia, Clerus stat ad *Pater, Ave*, ad intonationem Horae, ad hymnum canendum et ad primi psalmi intonationem. Dum cantantur psalmi sedet. Quum assurgit Episcopus depositurus cappam, consurgit et Clerus. Dum paratur Episcopus, stat, quo parato, sedet. Ad capitulum cantandum a Subdiacono stat usque ad initium Missae.

Tempore, quo Episcopus deponit paramenta, stat Clerus, reassumpta ab eo cappa sedet usque dum Episcopus assurgit descensurus de throno. Deinde bini et bini ordine consueto comitantur Episcopum redeuntem in residentiam.

---

[17] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 5. — [18] *S. R. C.* 4. Mart. 1902 ad 1. Romana (*Eph. lit.* 1902 pg. 209.) — [19] Recole n. 33. ad 5. — [20] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 146. ad 2. — [21] *S. R. C.* 29. Dec. 1884 ad 10. n. 3624. — [22] Cf. *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 185. ad 6.

Sectio secunda.

De Ministris inferioribus.

41. Inter ministros inferiores referuntur in Caeremoniali Episcoporum: Thuriferarius, minister de libro, de baculo (pastorali), de mitra (infula), de candela (bugia, palmatoria, scotula, lumen fidei), de gremiali, Syrmifer (Caudatarius), Ceroferarii (Acolythi sensu strictiori), funalia seu intortitia ferentes. Quibus adnumerari potest Crucifer. Agitur in hac sectione etiam de Caeremoniario.

42. Vestis ordinaria ministrorum inferiorum est superpelliceum seu cotta. Manicas habet admodum amplas et breviores quam rochettum, cujus manicae sunt angustae, brachia usque ad manus contegentes. Superpelliceum est vestis communis omnibus Clericis, rochettum autem est vestis dignitatis, qua de jure utuntur solum Praelati saeculares, ex privilegio etiam alii, praecipue Canonici, ex longaeva consuetudine ceteri de Clero[1] in locis respectivis.

Induitur ita, ut pars ejus posterior super brachiis collecta et capiti transmissa super scapulas demittatur, dein primo brachium dexterum in manicam dexteram, tum sinistrum in manicam sinistram immittatur. Quo facto funiculi sub collo colliguntur, demum partes superpellicei laterales decenter aptantur. In exuendo superpelliceo, solutis funiculis, primo extrahitur manica brachio sinistro, tum tota sinistra pars super caput ducta in humero dextero reponitur et brachium dexterum e manica dextera extrahitur.[2]

[1] *S. R. C.* 27. Febr. 1847 n. 2935. — [2] Pius X. Indulgentiam tercentorum dierum, defunctis applicabilem, concessit omnibus et singulis cujuslibet gradus et ordinis Clericis (ergo etiam Sacerdotibus), quotiescunque in assummendo de more superpelliceo se cruce signent pieque sic orent: „*Indue me, Domine, novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Amen.*“ S. C. Indulg. 1. Dec. 1907.

Tractatus I.

De Ministris inferioribus eorumque officiis in specie.

Caput I.

Regulae generales pro ministris inferioribus.

43. Quae sequuntur regulae observandae sunt non solum a Clericis stricte talibus, sed etiam a Sacerdotibus munia ministrorum inferiorum quacunque ex causa exercentibus.

1. Ministri inferiores regulariter[1] superpelliceis[2] induuntur. Incedentes ad altare vel aliorsum per ecclesiam oculos demissos habeant manusque junctas teneant ante pectus, nisi forte sint impeditae.

2. Accedendo, recedendo et transeundo directe i. e. intra presbyterium ante medium[3] altaris functionis, sive sit majus sive laterale, sive in eo Sanctissimum asservetur sive non, tam in ecclesia cathedrali quam in alia qualibet ecclesia vel capella publica, unico genu semper genuflectunt,[4] sed in actu functionis tantum[5] i. e. quotiescunque functionem liturgicam, etiam extra Missam, adimplent.

3. Genuflectunt pariter accedendo, recedendo et transeundo ante Episcopum proprium,[6] sive pontificaliter sive cappa tantum aut mozzetta sit indutus,[7]

---

[1] Qui de libro, de candela, de baculo et de mitra serviunt, etiam pluvialibus induuntur, si talis adsit consuetudo. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 1. — [2] *S. R. C.* 4. Maj. 1882 ad Dub. 2. n. 3549. et 1. Febr. 1907 ad 16. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 263.) — [3] Per „medium" altaris hic intelligitur locus, qui medio correspondet, sive sit prope mensam altaris sive in gradibus sive in plano. — [4] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 3.; *S. R. C.* 30. Aug. 1892 ad 11. n. 3792. et 24. Nov. 1899 ad 4. n. 4048. et 16. Nov. 1906 ad 1. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 65.); *Eph. lit.* 1897 pg. 725. et 1900 pg. 231. sq. ad 1. et 3. et 1905 pg. 693. — [5] *S. R. C.* cit. n. 3792. — [6] *Caer. Ep.* l. c. Hic enim non fit comparatio Episcopi cum Cruce, sed cum Clericis, a quibus sicut dignitate distinguitur, sic etiam majori reverentia honoratur. *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 43. ad 3. — [7] *S. R. C.* 9. Maj. 1857 n. 3046. Eaedem reverentiae exhibendae sunt Cardinali in ecclesia sua titulari Urbis et ubique extra Urbem, Archiepiscopo in sua provincia,

nisi *a)* expositum sit ss. Sacramentum, quia tunc reverentia, sive inclinatio sive genuflexio, nemini[8] debetur, nec Episcopo[9] praesenti, et nisi *b)* adsit Episcopo superior, nempe Cardinalis, Legatus apostolicus vel Metropolita, quia tunc ob illorum reverentiam Episcopum proprium profunda capitis inclinatione tantum reverentur.[10] Ante Episcopum extraneum, Episcopo dioecesano sive praesente[11] sive absente,[12] non genuflectunt, sed caput tantum inclinant, nisi Episcopus ordinarius extraneo cesserit thronum suum. Lege sect. III. tract. 3. cap. 1. Omittunt genuflexionem etiam ante Praelatos Episcopo inferiores, usum pontificalium habentes.

4. In functionibus coram exposito ss. Sacramento genuflectunt utroque genu in plano in primo accessu et ultimo recessu ante altare expositionis et quotiescunque infra functionem ejusmodi e choro et presbyterio exeunt vel illuc redeunt.[13] Ceteroquin genuflectunt unico genu,[14] quod fit etiam ab iis, qui in Missis solemnibus sine expositione celebratis post Consecrationem usque ad Communionem inclusive e presbyterio exeunt vel illuc revertuntur.[15]

5. Utrumque genu flectunt: in Missis solemnibus et pontificalibus: *a)* ad Psalmum, Confessionem et preces in exordio Missae, *b)* ad verba Symboli cantata *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est, c)* a *Sanctus* usque ad expletam elevationem, *d)* ad benedictionem in fine; in Missis coram exposito Sanctis-

Legato apostolico in locis suae legationis et Abbati regulari in suae jurisdictionis ecclesiis. *S. R. C.* 14. Jul. 1887 ad 3. n. 3680. et 12. Sept. 1857 ad 20. n. 3059. — [8] *S. R. C.* 31. Aug. 1793 n. 2544. — [9] *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 6. n. 2928. Quod tamen intelligitur de principalibus tantum reverentiis, quae fiunt honoris causa, non de illis peculiaribus, quae fiunt ritus ratione, v. g. ad incensationem, ante et post datam Pacem, ad aliquid ministrandum; quae reverentiae ergo etiam coram Exposito non omittuntur. *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 155. — [10] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 15.; *Herdt*, l. c. III. n. 287. — [11] *Caer. Ep.* ibid. — [12] *S. R. C.* 12. Sept. 1857 ad 20. n. 3059. — [13] Cf. *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 49. n. 2682. Cf. *Eph. lit.* 1905 pg. 432. — [14] Cf. *S. R. C.* 7. Jul. 1877 ad 6. n. 3426. — [15] *S. R. C.* 20. Maj. 1904 ad 3. Rhemen. (*Eph. lit.* 1904 pg. 451.)

simo insuper: ad incensationem ss. Sacramenti expositi ante Introitum et post Offertorium; in Missis solemnibus de Requie, in Missis Feriarum Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum et Vigiliarum, sicut dictum est n. **39.**

6. Dum Episcopus manus lavat, non solum ministri lotionis, sed etiam reliqui omnes ad thronum assistentes et circumstantes, exceptis Canonicis et Dignitatibus, genuflectunt utroque genu, nisi adsit Episcopo dignior.[16]

7. Genuflexiones simplices, quae fiunt in accessu, recessu et transitu ante altare et Episcopum, semper faciendae sunt in plano,[17] non in gradu infimo. Genuflectentes quandoque in suppedaneo, sive unico sive utroque genu, manus nequaquam imponant mensae altaris, quod nec Ministris sacris licet, sed soli Celebranti. Genuflexio in casu hujusmodi fiat manibus junctis ante pectus, nisi sint impeditae.

8. Caveant, ne unquam terga vertant altari. Idcirco recedendo ab altari, dextera vel laeva manu se vertant, prout eorum positio postulat. Si bini simul sese vertere debeant, versio nunquam fiat a tergo ad tergum.

De danda et accipienda Pace vide sect. III. tract. 2. cap. 2. De osculis manuum et instrumentorum vide sect. III. tract. 2. cap. 3.

Caput II.

De Crucifero.

44. Regulae speciales:

1. Crucifer, nudo capite, ambabus manibus Crucem ita sustinet et portat, ut neque ad dexteram neque ad sinistram, neque ad anteriorem neque ad posteriorem partem inclinetur.

[16] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 15. et lib. 2. cap. 8. n. 10.; *Eph. lit.* 1899 pg. 731.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 80. ad *d.* — [17] Cf. *S. R. C.* 14. Jan. 1898 ad 1. n. 3975. et 16. Febr. 1906 Dub. III. ad 5. Soc. Sales. (*Eph. lit.* 1906 pg. 208.); *Eph. lit.* 1900 pg. 232. ad 2.

2. Crux capitularis praecedit non solum Capitulum, sed omnem Clerum,[1] ideoque Crucifer semper incedit primus, nisi adsit Thuriferarius,[2] cui cedit locum primum. Si adsint Ceroferarii, medius inter illos procedit, et si propter loci angustiam simul incedere nequeant, Ceroferarii praecedunt.[3] Crux archiepiscopalis defertur immediate ante Archiepiscopum, nisi adsint Capitulares vel Beneficiati parati, quibus in casu praefertur.[4]

3. Crux ita defertur, ut imago Crucifixi non respiciat ad sequentes, sed prospiciat ad praecedentes[5] nisi sit Crux archiepiscopalis, quae semper defertur cum imagine ad Archiepiscopum conversa.[6]

4. Genuflectit Crucifer gestans Crucem duobus tantum in casibus, nimirum sub benedictione Episcopi[7] et sub benedictione cum ss. Sacramento,[8] et tunc Crucem tenet genuflexus. Alias non genuflectit, ne quidem transeundo ante altare aut ante ss. Sacramentum.[9]

5. Ad altare locus ejus est ad credentiam, ubi stat vel genuflectit prout ceteri. Crucem deponit in loco (receptaculo) ad hoc praeparato.

45. A quonam et qualiter induto Crux deferri debet?

1. In processionibus ex causa laetitiae,[10] quales sunt processiones ss. Sacramenti, processiones pro gratiarum actione et pro translatione insignium (vide n. **9.**) Reliquiarum Sanctorum, Crux potest deferri vel per Subdiaconum paratum i. e. amictu, alba, tunicella, absque manipulo, indutum,[11] vel per Clericum cotta vestitum,[12] utroque in casu medium inter duos Ceroferarios portantes candelabra cum candelis accensis.[13]

---

[1] *S. R. C.* 10. Sept. 1782 ad 11. n. 2522. — [2] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 15. n. 8. et lib. 2. cap. 16. n. 15. — [3] *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 318. nota. — [4] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 15. n. 2. et lib. 2. cap. 33. n. 5. — [5] *S. R. C.* 18. Maji 1675 ad 1. n. 1538. — [6] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 2. n. 1. et cap. 15. n. 2. et 8. — [7] *Bauldry*, Manual. pars 5. cap. 11. art. 12. — [8] Vide num. 14. ad 2. — [9] *Herdt*, Prax. Pontif. I. n. 86.; S. Lit. Prax. III. n. 318. nota. — [10] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 32. n. 9. — [11] *S. R. C.* 20. Maj. 1741 ad 2. n. 2362. — [12] *S. R. C.* 15. Sept. 1742 n. 2368.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 5. Cf. *Herdt*, Prax. Pont. III. n. 217. — [13] *Caer. Ep.* ibid.

2. In processionibus poenitentialibus, quales sunt processiones Litaniarum majorum et minorum necnon processiones extraordinariae ad placandam iram Dei,[14] Crucem deferre debet Clericus cotta indutus, juxta regulam generalem ab ipsa S. Rituum Congregatione[15] traditam: „Crucem Cleri saecularis omnino deferendam esse a Clerico cotta induto", quia pro praefatis processionibus nulla ab hac regula notatur exceptio.

3. Pro Missa pontificali, ad quam celebrandam Episcopus paramenta sumit, non ad altare majus, sed in sacello, Crux capituli in processione e sacello ad altare defertur a Subdiacono diverso a Subdiacono Missae et parato habitu subdiaconali.[16] Si pontificaliter celebraturus sit Archiepiscopus, praefatus Subdiaconus paratus defert Crucem archiepiscopalem medius inter duos Ceroferarius cum candelabris et candelis accensis ante Canonicos paratos (reg. spec. 2.); Acolythus cotta indutus autem Crucem capitularem ante Clerum, medius inter duos Ceroferarios cum luminaribus sine candelabris.[17] Si autem Pontifex sumat paramenta ad altare majus in throno, omittitur processio, ergo nec Crux adhibetur.[18]

4. Ad functiones in die Purificationis, Dominica Palmarum, Feria quinta in Coena Domini et Feria sexta Parasceves, Crux defertur a Subdiacono induto tunicella aut planeta plicata, prout exigit sacrae actionis qualitas, diverso tamen a Subdiacono Missae.[19]

5. Sabbato Sancto Subdiaconus Epistolam cantaturus, non alius, Crucem deferat tam ad benedictionem novi ignis, quam Cerei paschalis,[20] non autem ad benedictionem fontis, ad quam potius Clericus superpelliceo indutus eam deferat.[21]

---

[14] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 32. n. 1. et 8. — [15] *S. R. C.* 12. Jun. 1660 n. 1170. — [16] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 24. — [17] *Caer. Ep.* ibid. n. 27.; *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 16. n. 2684.; *Gavantus*, Synod. dioec. pars 2. ress. 1. n. 11. — [18] *Caer. Ep.* l. c. n. 25. — [19] *S. R. C.* 10. Maj. 1826 ad 1. n. 2646. — [20] *S. R. C.* 4. Apr. 1879 ad 9. n. 3491. et 13. Febr. 1892 Dub. 29. ad 12. n. 3767. — [21] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 28. n. 7.

6. In Absolutionibus defunctorum tam in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, quam in aliis Anniversariis et Exequiis, Subdiaconus Missae indutus sicut in Missa, sed sine manipulo, Crucem deferre debet.[22]

Caput III.

De Ceroferariis.

§ 1. Regulae speciales pro Ceroferariis.

46. — 1. Ceroferarii seu Acolythi sensu strictiori, statura aequales, superpelliceis induti, candelabra deferant nudis manibus, ante pectus aequaliter tenentes, nec ad unam nec ad alteram partem inclinantes. Qui a parte dextera procedit, Acolythus primus nuncupatus, manum sinistram ad pedem candelabri ponat, dexteram vero ad ejus nodum; qui incedit a parte sinistra, Acolythus secundus dictus, ponit dexteram ad pedem, sinistram vero ad candelabri nodum.[1] Si quando contingat, ut Ceroferarius medius inter alios duos incedat, candelabrum fert manu dextera.[2]

2. Cereos sine candelabris non gestant,[3] excepto casu sub. n. **45.** ad 3. et nisi destinati sint ad intortitia ferenda in Missa solemni a *Sanctus* usque ad absolutam elevationem.

3. Sine candelabris et sine candelis assistunt manibus junctis: *a)* in Missis cum Passione ad hujus partem evangelicam, *b)* Sabbato Sancto, *c)* in Vigilia Pentecostes, *d)* in Missis de Requie.

4. Caput nunquam cooperiant et semper bini incedant, nisi ob angustiam loci cogatur alter alterum praecedere.

5. Ad altare eorum locus est apud credentiam, ubi deponunt candelabra in credentiae cornibus posterioribus et stant vel genuflectunt, prout opus erit,

[22] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 14.; *S. R. C.* 10. Maj. 1826 ad 1. n. 2646.

[1] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 8. — [2] *Carpo*, Caer. pars 3. n. 12. nota. — [3] *S. R. C.* 22. Jun. 1874 Dub. 1. n. 3333.

semper ad altare conversi, manus junctas ante pectus tenentes. Ad thronum (sedem) autem stant hinc inde in plano, versis ad invicem faciebus.[4]

6. Dum inclinationes vel genuflexiones faciunt, illas aequaliter et eodem tempore faciant; in deferendis tamen candelabris abstinent a profunda corporis inclinatione et pro ea tantum caput inclinant caventes, ne simul inclinent candelabra.[5]

7. Genuflexionem omittunt duobus in casibus: *a)* quando Cruciferum cum candelabris comitantur, etiamsi expositum sit Sanctissimum, nisi fiat benedictio, sub qua genuflectunt cum Crucifero;[6] *b)* dum infra Evangelium cantandum stant cum candelabris accensis a lateribus Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum, etiamsi ceteri omnes genuflectant.[7]

8. Accedendo, recedendo vel transeundo ante Episcopum vel ante medium altaris semper genuflectunt Episcopo et Cruci altaris, excepto casu ad 7. *a.* Recole reg. gen. 2., 3. et 4. pro ministris inferioribus.

9. Quotiescunque a credentia ante altare vel ad Celebrantem accedunt vel inde recedunt, prius in medio ante altare vel ante Celebrantem j u n c t i debitam reverentiam faciunt, dein vel juncti abeunt vel inde se disjungunt.[8]

10. Acolythorum etiam est, adjuvare, si opus sit, Ministros in induendis sacris vestimentis.[9]

11. In a c c e n d e n d i s cereis super altare Acolythus incipiat a cereis, qui sunt a cornu Epistolae, et quidem ab illo, qui Cruci proximus est, tum ordinem servando accendat alios, quot supersunt in eodem latere. Hoc facto transeat ad cornu Evangelii ibique eodem ordine, incipiendo scilicet a cereo Cruci proximo, accendat. In e x t i n g u e n d i s autem cereis ordinem invertendo exordiatur primum a cornu Evangelii extinguendo ante alios cereum a Cruce remotiorem; tum accedat ad partem Epistolae et eamdem

[4] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 17. — [5] *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 16. — [6] *Herdt*. Prax. Pont. III. n. 246. — [7] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 8. — [8] Cf. *Schneider*, Man. Cler. pg. 502 n. 5. — [9] *Martinucci*, lib. 1. cap. 8. n. 4.

regulam servet.[10] Si cerei pluribus ordinibus sunt dispositi, tam in accendendis quam in extinguendis incipiendum est ab ordine superiori.

§ 2. De Officio Ceroferariorum in Missa solemni.

47. — 1. Facta in sacristia Cruci profunda capitis et Celebranti aliqua, majori minorive, pro ejus dignitate inclinatione, primi post Thuriferarium ad altare procedunt, candelabra cum candelis accensis deferentes. Eundo ad altare majus simpliciter genuflectunt versus altare Sanctissimi,[1] dein per aditum majorem progrediuntur in presbyterium ad altare majus,[2] ubi ad graduum angulos alter in parte Epistolae, alter in parte Evangelii ita se sistunt, ut versis ad invicem faciebus exspectent adventum Ministrorum et Celebrantis, cui transeunti se modice inclinant. Mox se convertunt ad altare et simul cum Celebrante et Ministris sacris, in linea recta stantes, genuflectunt simpliciter in plano. Deinde Ceroferarius in cornu Evangelii, sine nova genuflexione in medio ante altare facienda, accedit ad Ceroferarium stantem in cornu Epistolae, cui se associat et ambo simul procedunt ad credentiam, ubi deponunt candelabra in locis suis. Vide n. **46.** ad 5.

Ubi ex consuetudine immemorabili in accessu ad altare Crux capitularis praefertur Celebranti et Ministris, Ceroferarii hinc inde a lateribus Cruciferi cum candelabris accensis procedunt ad altare. In via genu-

---

[10] *S. R. C.* 1. Febr. 1907 ad 9. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 262.)

[1] Supponitur Missa in ecclesia cathedrali, in qua Sanctissimum non asservatur in altari majori sed laterali, ante quod transeundum est in accessu ad altare majus. — [2] Si in accessu ad altare transeundum sit ante Clerum in choro congregatum, Acolythi, statim ac ingressi fuerint presbyterium, antequam accedant ad altare, dirimuntur ita, ut inter ipsos se sistant Celebrans et Ministri sacri. Omnes in linea recta momento subsistentes, simul caput inclinant ad Chorales primo versus Evangelii tum Epistolae cornu. Dein rectam servantes lineam omnes simul progrediuntur ad altaris gradus, ut supra. *Martinucci*, lib. 1. cap. 14. n. 104. Cf. *Van der Stappen*, S. Liturg. Caer. pg. 7.

flexionem non faciunt versus altare Sanctissimi nec genuflectunt quum pervenerint ad altare majus,quia comitantur Crucem (reg. spec. 7.), sed directe accedunt ad locum suum apud credentiam, ubi deponunt candelabra.

2. Ad Aspersionem aquae lustralis simul cum Celebrante ceterisque assistentibus utrumqe genu flectunt in loco suo et surgunt post Aspersionem altaris et Ministrorum sacrorum, antequam Celebrans accedat in chorum ad aspergendos Chorales.[3] Dum ipsi asperguntur, cruce se signant. Post Aspersionem adjuvant Diaconum et Subdiaconum in induendis manipulis praevie in credentia praeparatis.[4]

3. Dum Celebrans dicit psalmum *Judica, Confiteor* reliquasque preces in exordio Missae, iterum in genua procumbunt, se signant cum Celebrante, caput inclinant, pectus percutiunt sicut ceteri et surgunt, dum Celebrans ascendit gradus altaris. Deinceps stant usque ad *Sanctus* inclusive.

4. Quum Diaconus accepta benedictione ab altari descendit ad Evangelium cantandum, Caeremoniarum et Thuriferarium sequentes, ante gradus altaris cum candelabris accedunt, ibique, genuflexione simplici facta,[5] subsistunt in medio presbyterii ante gradus post Caeremoniarium et Thuriferarium, ita ut triplex series efficiatur, prima Ministrorum sacrorum, secunda Caeremoniarii et Thuriferarii, tertia Ceroferariorum. Quando silente musica genuflectunt Diaconus et Subdiaconus, etiam Ceroferarii genuflectunt cum Caeremoniario et Thuriferario, omnes simul eodemque tempore et procedunt cum aliis ad locum, ubi Evangelium decantari solet. Ibi facie ad Diaconum conversa se sistunt primus a dexteris, secundus a sinistris Subdiaconi librum Evangeliorum tenentis, usque ad finem immobiles stantes, quin se signent,

[3] *Carpo*, Caer. pars 2. n. 250, et 251.; *Schober*, Caer. art. 7. n. 8. — [4] *Martinucci*, lib. 1. cap. 8. § 6. n. 65. — [5] Recole n. 43. reg. gen. 2. Haec genuflexio omittitur, si statim accedendum sit ad cantandum Evangelium, quia in hoc casu sufficit unica genuflexio facienda cum Diacono et Subdiacono.

inclinent aut genuflectant (reg. spec. 7.). Evangelio decantato et Subdiacono librum deferente ad Celebrantem ipsi quoque, non exspectata Celebrantis incensatione, accedunt ante gradus altaris, factaque ibi in medio genuflexione simplici in plano (reg. gen. 2.), redeunt ad credentiam et candelabra deponunt.

5. Dum Celebrans cum Ministris sacris recitat Symbolum caput profunde inclinant, quotiescunque Celebrans hoc facit et simul cum ipso simpliciter genuflectunt ad verba: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est,* ad quae verba, dum postmodum a cantoribus cantantur, utrumque genu flectunt et caput profunde[6] inclinant. Quibus verbis decantatis assurgunt. Dum versus finem Symboli cantantur verba *Simul adoratur,* caput profunde inclinant.

6. Ad Offertorium, quum Subdiaconus calicem de credentia sumptum ad altare defert, primus Acolythus, eum immediate sequens, absque praevia genuflexione, nisi expositum sit Sanctissimum,[7] defert super pelvicula[8] ampullas vini et aquae, easque Subdiacono in altari subministrat sine osculis. Quas postea a Subdiacono receptas, dextrorsum (reg. gen. 8.) se vertens, absque genuflexione, nisi expositum sit Sanctissimum, ad credentiam defert.

7. Incensato post Offertorium Celebranti ambo stantes[9] ministrant ad lotionem, primus a dexteris aquam cum pelvicula, secundus a sinistris manutergium explicatum in patella, facta capitis inclinatione ante et post. Recepto subinde manutergio, vertentes ad invicem faciem (reg. gen. 8.), descendunt per gradus et deponunt vasa in credentia. Si expositum sit Sanctissimum ad *Lavabo* ministrant non in gradibus, sed in plano, vertentes terga ad popu-

[6] *S. R. C.* 23. Maj. 1846 ad 6. n. 2915. Recole dicta n. 13. — [7] Quia non accedit ad medium altaris. Vide num. 43. reg. gen. 2.; *S. R. C.* 14. Jan. 1898 ad 1. n. 3975.; *Eph. lit.* 1900 pg. 231. sq. ad 1. et 3. — [8] *Carpo,* Caer. pars 2. n. 218.; *Martinucci* lib. 1. cap. 8, n. 47. — [9] Soli Episcopo aqua lotionis ministratur a ministris genuflexis.

lum.[10] Incensationem accipiunt a Thuriferario, inclinatione capitis facta ante et post.

8. Ad *Sanctus* Acolythus primus pulsat campanulam, nisi alius hoc faciat, e. g. Crucifer stans ad credentiam. Dicto Trisagio Ceroferarii, si adsint speciales Acolythi ad ferenda intortitia (funalia) designati, in genua procumbunt in locis suis ante credentiam, ibique genuflexi permanent usque ad finitam elevationem Calicis, deinde surgunt.

Si autem desint speciales Acolythi ad intortitia gestanda, ipsi Ceroferarii Missae hoc munere funguntur. Quapropter sub finem Praefationis accedunt ante medium altaris, factaque ibi in plano genuflexione simplici versus altare majus[11] et subinde in transitu versus altare ss. Sacramenti, accedunt in sacristiam, unde dicto *Sanctus* intortitia accensa ferentes (reg. spec. 1.), iterata in transitu versus altare ss. Sacramenti genuflexione, revertuntur ad altare majus, ubi in medio retro post Subdiaconum simpliciter genuflectunt. Mox surgentes sibi invicem modice inclinant caput, nisi expositum sit Sanctissimum, se disjungunt et progressi ad angulos graduum in cornu Evangelii et Epistolae hinc inde genua submittunt in plano, sic permansuri usque ad Calicis elevationem inclusive. Advertant, ut toto hoc tempore intortitia in aequali altitudine elevata teneant. Infra elevationem se gerant, uti pro Choralibus dictum est num. **36.** ad 13. Elevatione Calicis absoluta assurgunt, ad medium altaris retro post Subdiaconum accedunt, ibique simplici (in Missis coram exposito Sanctissimo duplici) genuflexione facta, sine ulla reverentia ad invicem, facta autem genuflexione in transitu ante altare Sanctissimi, in sacristiam recedunt, ubi funalia exstinguunt. Mox reduces ante altare simpliciter genuflectunt,[12] dein occupant loca sua,

[10] Si Celebrans ad lotionem stet in supremo gradu, ministrant in gradibus ut alias. *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 48. n. 2682. — [11] Si ante Chorales in choro transire cogantur, tam in accessu quam in recessu iis debitas exhibent reverentias, nisi adsit ss. Sacramentum sive post Consecrationem sive expositum. — [12] Cf. reg. gen. 4. pro min. inf. sub n. 43.

ubi deinceps stant. Si expositum sit ss. Sacramentum, transeuntes ante altare flectunt utrumqe genu.

Diebus autem jejuniorum, in Missis pro defunctis et in Missis, in quibus fit Communio populi, genuflexi manent usque ad Communionem inclusive,[13] exceptis Missis solemnibus in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Sabbato Sancto et Quatuor Temporibus Pentecostes, quia hae Missae sunt festivae.[14]

9. Ad finem *Pater noster* Acolythus primus accedit ad cornu Epistolae, praemissa genuflexione simplici ascendit per gradus accepturus a Subdiacono ambabus manibus velum humerale, quod repetita in plano genuflexione refert ad credentiam ibique plicatum deponit.

10. Ad *Agnus Dei* caput profunde inclinant et pectus leviter percutiunt; ad *Domine non sum dignus* mediocriter, infra Communionem Celebrantis profunde sese inclinant tum ad sumptionem ss. Corporis tum Sanguinis Domini, non autem tempore intermedio. Pax iis defertur per Caeremoniarium. Qui accepit Pacem, eam dat alteri et sic successive porro. De Pace danda et accipienda consule dicta n. **98.**

11. Ante sumptionem pretiosissimi Sanguinis, dum Celebrans fragmenta colligit, Acolythus primus sumptas de credentia ampullas cum pelvicula, genuflexione in plano facta[15] ob praesentiam ss. Sacramenti, ad altare defert Subdiacono, quas postea ad suam se volvens dexteram (n. **43.** reg. gen. 8.) facta inclinatione, sed absque genuflexione, nisi expositum sit ss. Sacramentum, iterum defert ad credentiam.

12. Dum Celebrans ablutionem sumit, Acolythus secundus, genuflexione simplici in transitu ante medium altaris in plano facta (n. **43.** reg. gen. 2.), velum Calicis explicatum et parte interiore ad ipsum conversa ambabus manibus ante pectus elevatum transfert de credentia ad cornu Evangelii, eoque deposito redit ad locum suum apud creden-

---

[13] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 8. — [14] *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 16. ad. 5. — [15] *S. R. C.* 14. Jan. 1898 Dub. I. ad 2. n. 3975.

tiam, non omissa simplici genuflexione, ut antea, in transitu ante medium altaris.

13. Ad benedictionem in fine Missae genuflexi caput profunde inclinant et erecto iterum capite se signant. Sub finem ultimi Evangelii, facta cum aliis simplici genuflexione ad verba *Et Verbum caro factum est etc.* et sumptis de credentia candelabris, ante altare procedunt, factaque ibi simul cum Celebrante ceterisque ministris altari solita reverentia, ut supra in primo accessu ad altare, revertuntur in sacristiam, in via paulisper consistentes extra cancellos presbyterii, donec facta sit genuflexio a Celebrante et assistentibus versus altare Sanctissimi.[16] In sacristia facta cum reliquis inclinatione capitis, tum Cruci tum Celebranti, ut ante Missam, candelabra et superpellicea deponunt.

§ 3. De Officio Ceroferariorum in Missa solemni de Requie.

48. — 1. Ceroferarii ad altare accedunt more solito cum candelabris accensis,[17] observantes omnia, quae dicta sunt n. **47.** ad 1.

2. Ad Orationes ante Epistolam in genua procumbunt[18] in locis suis ad credentiam. Recole n. **39.**

3. Descendente cum libro Evangeliorum Diacono per gradus altaris ad cantandum Evangelium, Ceroferarii sine candelabris (reg. spec. 3.) procedunt ad altare, ubi ad amussim se gerunt ut alias cum candelabris. Relege n. **47.** ad 4.

4. Ad Offertorium, postquam Subdiaconus calicem suo velo coopertum ad altare detulerit ibique detexerit, Acolythus primus velum calicis plicatum de altari sumit et ad credentiam defert.

5. Ad *Lavabo* non ministrant ipsi aquam Celebranti, sed ministri sacri. Quapropter incensatione altaris post Offertorium peracta Ceroferariorum primus Diacono tradit ampullam aquae cum pelvicula, alter

[16] Vide notam 1. — [17] *S. R. C.* 2. Maj. 1900 ad 2. Tirasonen. (*Eph. lit.* 1900 pg. 459. sq.) — [18] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 5.

vero manutergium explicatum in patella Subdiacono, factaque lotione manuum ea iterum recipiunt.

6. Ad *Sanctus* genuflectunt ad credentiam et permanent genuflexi usque ad *Pax Domini* inclusive, si nimirum speciales Acolythi ad gestanda funalia designati sint, qui se gerunt sicut dictum est n. **47.** ad 8. Si autem ipsi Ceroferarii Missae munere funalia ferentium fungantur, observant omnia quae dicta sunt n. **47.** ad 8., sed post elevationem genuflexi manent usque ad peractam ss. Sanguinis sumptionem.[19]

7. Ad Orationes post Communionem in genua procumbunt sicut ad Orationes ante Epistolam.[20]

8. Si fiat Absolutio ad tumbam post Missam, Ceroferarii adjuvant Ministros sacros in deponendis manipulis, dein cum candelabris accensis sese adjungunt Subdiacono Crucem ferenti et hinc inde a lateribus ejus se constituunt, ubi ipse se sistit. Genuflexiones omittunt, quia Crucem comitantur.

Si autem fiat Absolutio super pannum, remanent in locis suis ad credentiam usque in finem, vel hinc inde a lateribus Celebrantis et assistentium se consistunt.

§ 4. De Officio Intortitia Ferentium.

49. Juxta Rubricas missalis[21] in Missa solemni ad finem Praefationis accenduntur duo saltem intortitia (funalia) ab Acolythis, quae extinguuntur post elevationem Calicis. Quae duo intortitia diversa sunt ab aliis duobus super candelabris grandioribus accensis.[22] De his jam sermo erat n. **47.** ad 8. Possunt accendi etiam quatuor et ad summum sex pro ratione solemnitatis, non autem octo, ut detur distinctio inter Missam pontificalem et non pontificalem.[23]

50. In Missa pontificali octo Acolythi ad hoc destinati sub finem Praefationis, facta prius ante altaris

[19] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 8.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 7. — [20] *Rub. gen.* miss. l. c.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 5. — [21] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 8. — [22] *Schober*, Caer. art. 1. cap. 13. n. 7. nota 11. — [23] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 68. Cf. *S. R. C.* 31. Aug. 1737 ad 3. n. 2332.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 83.

gradus in plano simplici genuflexione et choro, si ante eum transeundum sit, utrimque debita inclinatione (nisi expositum sit Sanctissimum), accedunt in sacristiam ad accipienda ibi jam praeparata intortitia seu funalia. Dicto *Sanctus* redeunt ad altare via longiori cum intortitiis accensis et quidem bini, ita tamen, ut inter binos et binos sit spatium sufficiens ad decenter faciendam genuflexionem versus altare Sanctissimi ante aditum majorem presbyterii. Qui a dexteris sunt, intortitia deferunt dextera, qui a sinistris, sinistra, altera super pectus posita (reg. spec. 1.).

Presbyterium ingressi, Chorales, si ante eos transeant et Sanctissimum non sit expositum, salutant stantes in linea recta, primo eos, qui sunt a parte Evangelii, deinde eos, qui sunt a parte Epistolae. Ad altare quum pervenerint, constituti in linea recta post Subdiaconum tenentem patenam genuflectunt unico (in Missis coram exposito Sanctissimo utroque) genu omnes simul versus altare in plano. Mox surgentes sibi invicem reverentiam faciunt, (quae reverentia omittitur in Missis coram exposito Sanctissimo), videlicet: qui sunt ad cornu Epistolae quatuor, vertunt se sinistrorsum versus cornu Evangelii, quin discedant a loco suo, ita ut tunc habeant dexteram suam ad altare, sinistram vero ad populum conversam; qui autem sunt ad cornu Evangelii quatuor, se vertunt dextrorsum versus cornu Epistolae non discedentes a loco suo, ita ut habeant sinistram ad altare, dexteram vero ad populum conversam. Sic stantes in eadem linea recta, facie ad invicem conversa, faciunt sibi capitis inclinationem infimam eodem temporis momento. Qua reverentia facta, conversi ad altare collocant se genuflexi hinc inde a lateribus Subdiaconi vel, si magis commodum, ad latera altaris,[24] facie ad invicem conversa, sicque genuflexi permanent usque ad elevationem Calicis inclusive.[25]

---

[24] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 68. Ad altaris latera in genua procumbere omnino debent in Missa, cui Episcopus assistit in throno, ne terga illi vertant genuflexo tunc in genuflexorio. — [25] Diebus jejuniorum et in Missis pro defunctis et in quibus dis-

Genuflexi funalia tenent utraque manu, ab elevatione Hostiae usque ad depositionem Calicis paulisper ea elevant in aequali altitudine, ita ut a populo videri queant. Infra elevationem convenienter se gerunt, uti n. **36.** ad 13. dictum est. Post elevationem surgunt, in medio ante gradus altaris in linea recta stantes unicum,[26] in Missis coram exposito Sanctissimo utrumque genu flectunt (vide n. **43.** reg. gen. 4.), et nullam ad invicem et Chorales facientes reverentiam ob praesentiam ss. Sacramenti, eo ordine, quo venerant, discedunt in sacristiam. Depositis ibi intortitiis, iterum ad altare revertuntur bini more solito, non omittentes debitas reverentias in via, simplicem genuflexionem faciendo versus altare cum tabernaculo Sanctissimi, si ante illud transeant, et ante altare majus, nisi in eo expositum sit Sanctissimum, cui debetur duplex genuflexio. Tandem pergunt ad loca sua.

Caput IV.

De Ministro de gremiali et de Syrmifero.

51. — 1. Gremiale in Missa pontificali[1] tantum adhibetur, non vero in aliis functionibus pontificalibus. Ponitur super gremium Episcopi (Praelati) celebrantis, quum sedet, videlicet dum a choro cantatur *Kyrie eleison, Gloria, Credo,* praeterea ad Epistolam, donec Diaconus Evangelium cantare incipiat, ad concionem, ad lotionem manuum post Offertorium lectum, in conferendis Ordinibus.[2] Vide infra ad 6.

2. Minister gremiale tenet et defert ambabus manibus ante pectus complicatum.[3] Accedendo et recedendo ante Episcopum genuflectit (reg. gen. 3. sub

---

tribuitur s. Communio, genuflexi manent usque ad Communionem finitam, exceptis Missis solemnibus in Vigilia Nativitatis Domini et Pentecostes, Sabbato Sancto et Quatuor Temporibus Pentecostes, quia hae Missae sunt festivae. Cf. *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 116. — [26] *S. R. C.* 20. Maj. 1904. ad 3. Rhemen. (*Eph. lit.* 1904. pag. 451.)

[1] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 9. — [2] *Herdt,* Prax. Pont. I. n. 78.; *Schober,* Caer. pg. 310. — [3] *Caer. Ep.* l. c.

n. **43.**), ante Praelatos Episcopo inferiores profundam facit capitis inclinationem, utramque reverentiam, genuflexionem scilicet et inclinationem, paululum ante sedem, non in gradu sedis.

3. Juxta Caer. Ep. lib. 1. cap. 11. n. 9. gremiale non immediate à ministro offertur Episcopo nec ab eo aufertur, sed minister illud offert Diacono primo seu assistenti a dexteris, qui illud super gremium Episcopi ponit, postquam mitram imposuerit, et illud recipit ab assistente a sinistris, qui illud de gremio Episcopi ante mitram aufert. Attamen pluribus in locis consuetudo introducta est, offerendi et auferendi gremiale per ministrum ipsum. Et tunc modus illud imponendi hic est: Tempore congruo minister cum illo accedit ad Episcopum, eique facit reverentiam per simplicem genuflexionem, sicut ad 2. dictum est; tum in gradu throni infimo vel secundo (propter altitudinem throni) utroque genu procumbit et gremiale explicatum Episcopi gremio imponit impositumque ita ordinat, ut fere usque ad talos defluat, nec illud prius dimittat, quam Episcopus manus super illud imposuerit, ne in terram decidat. Subinde manus jungit ante pectus, surgit, uno passu recedit a throno, Episcopo simpliciter genuflectit (si non est Episcopus, caput inclinat) et recedit in locum suum.[4]

4. In recipiendo gremiali advertat, ut paratus sit, antequam mitra auferatur Episcopo. Accedit ad Episcopum debitis cum reverentiis ut ad 2., in genua procumbit in gradu throni ante Episcopum et genuflexus recipit gremiale, quo facto debitis cum reverentiis recedit.[5]

5. In traditione et receptione gremialis omittuntur oscula consueta, quia gremiale non est instrumentum sed ornamentum, et pertinet ad paramenta episcopalia,[6] quae non sunt osculanda,[7] exceptis chirothecis.

---

[4] *Mühlbauer*, Instruct. praec. pars 1. cap. 2. § 10. ad IV. — [5] Ibid. — [6] *Martinucci*, lib. 6. Appendix. — [7] *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 78. ad 4.

6. Gremialis non fit usus in recipiendis oblationibus, in unctionibus seu consecrationibus, in tradendis candelis et palmis et in distribuendis cineribus, sed tunc loco gremialis adhibetur mappa linea.[8]

52. Syrma, quam vulgo caudam vocant, ad Praesulum pertinet insignia;[9] minister, qui eam defert, Syrmifer seu Caudatarius vocatur. Defert eam, superpelliceo indutus, quando Episcopus cappa magna indutus ad ecclesiam accedit vel ab ea discedit, ita quidem, ut caudam ad extremitates tenens, tanto spatio remotus ab Episcopo sequatur, ut cauda terram non tangat et anteriores ejus partes Episcopum procedentem non impediant. Quum Episcopus genuflectit, syrmam statim ad terram extendit, et ipse quoque post ejus extremitates genuflectit.[10] Episcopo surgente prompte eam colligit et tenet ut prius. Dum Episcopus in sede manet, caudam extendit super eam, vel disponit meliori quo potest modo.

Feria sexta Parasceves ad adorationem Crucis cauda a ministro non sustinetur, sed ab Episcopo trahitur,[11] potest tamen Caudatarius Episcopum sequi, ut ordinet caudam in via, si opus sit.

Caput V.

De Ministro de libro.

53. — 1. Hujus ministri officium est, libros, ex quibus Episcopus (Praelatus) est lecturus vel cantaturus, praeparare et signacula recte disponere, ne postea in functione indecenter huc illuc folia volvere cogatur.[1]

2. Ad altare locus ejus est ad credentiam, in via vero incedit post[2] Celebrantem. Librum semper clausum defert ambabus manibus ab inferiore parte positis, superiore libri parte super pectus quiescente,

[8] *Herdt*, ibid. ad 2. — [9] *Martinucci*, lib. 1. cap. 2. pg. 8. nota. — [10] *Herdt*, ibid. n. 81. — [11] *Caer. Ep.*, lib. 2. cap. 26. n. 11.
[1] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 3. — [2] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 26.

eumque tantum aperit, quum ante Episcopum (Praelatum), reverentia prius facta, se praesentat; claudit vero, antequam recedat et reverentiam faciat.[3]

3. Accedendo et recedendo semper cum ministro de candela procedit, uterque juxta se invicem incedit, easdemque reverentias eodemque tempore facit. De reverentiis recole n. **43.** reg. gen. 2. et 3. In officio suo regulariter stat ante faciem Episcopi et librum apertum ante faciem ejus ambabus manibus super caput suum ab inferiori parte sustinet, genuflexus, quando Episcopus sedet, stans, ipso stante.[4]

4. Librum tenens ante Episcopum (Praelatum) immobilis stat, nec genuflectit, v. g. ad *Incarnatus est*, nec caput inclinat, etiamsi ipsemet Celebrans aliique omnes aut genuflectant aut sese inclinent, nam legile immobile repraesentat.[5] Similiter nec folia vertit, quod ad altare est Presbyteri assistentis vel Diaconi aut Subdiaconi Missae, ad thronum autem Diaconorum assistentium.[6]

5. Quum juxta Caer. Ep. lib. 1. cap. 7. n. 1. et cap. 11. n. 3. et varia S. R. C. decreta Presbyter assistens librum supra caput sustinere debeat, quotiescunque Episcopus extra altare aliquid alta voce cantat, non autem quando legit;[7] ideo minister de libro ante intonationem Hymni angelici, ante Orationes cantandas et ante intonationem Symboli tempestive librum Presbytero assistenti tradat, eumque in sustinendo libro adjuvet,[8] intonatione peracta autem librum iterum recipiat et ipse sustineat. Consule n. **108.** ad 4. Si autem Presbyter assistens quacunque ex causa librum non sustineat, minister per semetipsum hoc faciat.

6. Ad benedictionem apostolicam, quam Episcopus nomine Papae bis in anno post Missam pontificalem solemnissime impertit, minister ipse (non Presbyter assistens) sustinet librum.

---

[3] *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 72. ad 2. — [4] *S. R. C.* 28. Aug. 1762 n. 2467. Cf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 7. — [5] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 3. — [6] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 8. n. 3. — [7] *S. R. C.* 16. Mart. 1658 n. 1055. et 24. Mart. 1899 ad 1. n. 4016.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 1. et cap. 11. n. 3. — [8] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 38.

Caput VI.

De Ministro de bugia.

54. — 1. Bugia, quae dicitur etiam palmatoria seu scotula seu lumen fidei vel simpliciter candela, est instrumentum aliquod parvum, plerumque argenteum, in quo candela accensa desuper ponitur.[1]

2. Ad bugiam sustinendam destinatur specialis minister, qui superpelliceo indutus eam ministrat, quandocunque Episcopus in sacris functionibus sive publicis sive privatis e libro legit aut cantat, sive ad altare sive ad sedem, etiamsi aër sit lucidus, ita ut lumine opus non sit ad legendum.[2]

3. Tenet et defert eam dextera ad altitudinem libri, sinistra pectori admota, et quidem genuflexus simul cum ministro de libro, si Episcopus sedens legat, stans vero, si Episcopus stet. Non est autem necessarium, ut bugiam semper deferat, sed dum opus non est i. e. quando Episcopus non legit, eam in loco decenti et congruo (e. g. in credentia) deponere potest.[3]

4. Accedendo et recedendo ante altare et Episcopum genuflectit (reg. gen. 2. et 3. sub n. **43.**) simul cum ministro de libro, minime autem genuflectit tempore, quo Episcopus stans e libro legit vel cantat, etiamsi tunc alii omnes ipseque Episcopus genuflectant.[4]

5. Si bugiam ministrat apud sedem, se sistit ad dexteram Episcopi i. e. ad sinistram librum ministrantis;[5] ad altare vero ad hujus dexteram vel sinistram secundum loci circumstantias et commoditatem Celebrantis. Post Offertorium bugiam in altari deponere et non sustinere, est contra legem, quae vult, ut minister de bugia serviat etiam ad altare Episcopo legenti.

6. Bugiae usus est etiam in functionibus pontificalibus pro defunctis.[6]

[1] *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 73. ad 1. — [2] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 20. n. 1. — [3] *Herdt*, l. c. ad 2. — [4] *Herdt*, l. c. ad 5. — [5] Cf. *Schober*, Caer. art. 10. cap. 3. ad II. not. 3. — [6] *Herdt*, l. c. I. n. 168. ad *a*; *Martinucci*, lib. 5. cap. 22. n. 5.

Caput VII.

De Ministro de mitra.

55. — 1. Mitrae triplex est species: una pretiosa seu gemmata, quae gemmis et lapidibus pretiosis, vel laminis aureis aut argenteis contexta esse solet; altera auriphrygiata ex serico albo auro intermisto, vel ex tela aurea simplici sine laminis aureis vel argenteis et sine margaritis; tertia simplex ex simplici serico damasceno aut etiam linea ex tela alba confecta.[1] Solis Episcopis permittitur in Missa usus mitrae pretiosae usque ad dictum Hymnum angelicum, auriphrygiatae aut simplicis usque ad finem Symboli, lecto Offertorio iterum pretiosae usque ad finem Missae suo tempore.[2]

2. Minister serviens ad mitram, superpelliceo mundo indutus, velum oblongum sericeum a collo pendens gerat, quo utitur ad mitram sustinendam, ne illam nudis manibus tangat, nisi forte utatur chirothecis, quod quidem est contra legem, quum chirothecis uti Episcoporum sit privilegium. Potest indui etiam pluviali, si talis adsit consuetudo (vide n. **43.** notam 1.), et tunc velum a collo pendens non habet, sed extremitatibus manicarum superpellicei ad mitram tenendam utitur.[3]

3. Mitram ambabus semper manibus ante pectus non pronam, sed erectam et elevatam ita teneat, ut summitas ejus fere ad oculos perveniat et vittae (infulae) versus ipsum pendeant. Quum eam deponit super altari vel abaco, ita deponatur, ut vittae exterius dependeant.[4]

4. Locus ejus est a dexteris Episcopi vel Praelati. Dum igitur Episcopus (Praelatus) est ad altare, stat in cornu Epistolae ante gradus anteriores altaris, ita ut inter ipsum et altare intercedat aliquod spatium; dum autem Episcopus (Praelatus) est ad sedem,

[1] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 17. n. 1. — [2] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 6.; *S. R. C.* 27. Jun. 1868 ad 3. n. 3172. et 22. Aug. 1906 (*Eph. lit.* 1908 pg. 69.). — [3] *Caer. Ep.* ibid; *Herdt.* Prax. Pont. I. n. 70. — [4] *Caer. Ep.* ibid.; *Herdt.* ibid. n. 75. ad 4.

stat a dexteris Diaconi assistentis primi, qui est a dexteris Episcopi (Praelati). In via autem semper incedit immediate post Episcopum (Praelatum), sive mitram teneat sive non.[5]

5. Accedendo et recedendo et transeundo ante altare et Episcopum genuflectit sicut ceteri ministri inferiores, et pari modo cum aliis genuflectit utroque genu, quandocumque est genuflectendum, ergo etiam ad psalmum *Judica* et Confessionem in exordio Missae, etiamsi mitram teneat.[6] Consule n. **56**. ad 4.

6. Mitram ipse immediate nec imponit nec desumit; officium est hoc Diaconorum assistentium et Diaconi Missae. Dum enim Episcopus est in throno, primus Diaconus assistens eam imponit et secundus eam aufert; ad altare autem Diaconus Evangelii eam imponit et aufert, nisi sit impeditus, uti post altaris thurificationes, quo in casu primus Diaconus assistens mitram imponit.[7]

7. Advertat, ut mitram semper in promptu habeat, quum sit Pontifici imponenda. Celebrans in Missa pontificali utitur mitra: *a)* quotiescunque ad altare procedit, sive e sacristia sive a sede, et vice versa; *b)* quando in sede sua sedet, sive e missali legat, e. g. Epistolam, Graduale, Evangelium, sive non legat, exspectans scilicet finem cantus et musicae, v. g. lecto Introitu dictoque Hymno angelico et Symbolo; *c)* quotiescunque incensatur sive ad altare, v. g. ante Introitum et post Offertorium, sive in sede, v. g. in Vesperis, excepta incensatione post Evangelium a Diacono cantatum, quam accipit nudo capite; *d)* quotiescunque infra Missam manus lavat, ergo nec ante initium nec post finem Missae, quia tunc utitur bireto; *e)* in benedictionibus solemnibus.

8. In Missis coram exposito ss. Sacramento non adhibetur mitra et tunc in accessu ad altare expo-

---

[5] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 26. et cap. 33. n. 9. — [6] *Herdt*, l. c. n. 75. ad 5. — [7] *Herdt*, l. c. ad 3. Cf. *S. R. C.* 22. Apr. 1684 ad 8. n. 1728. Etiam in hac re varii in variis locis irrepsere abusus, e. g. ut unus idemque Diaconus assistens semper offerat et auferat mitram, sive ad altare sive ad thronum.

sitionis, simulac pervenit in conspectum Sanctissimi, mitram deponit et reassumit eam demum post Missam, quum venerit e conspectu Sanctissimi.

Caput VIII.

De Ministro de baculo.

56. — 1. Minister de baculo, superpelliceo vel pluviali (vide n. **55.** ad 2.) indutus, baculum pastoralem tenet parte curva ad populum conversa ambabus manibus a terra elevatum,[1] ac si Crucem deferret.

2. Quum baculum tenet, incedit immediate ante Episcopum;[2] quum autem Episcopus eum defert, minister Pontificem sequitur a sinistris ministri de mitra.[3]

3. Quia baculus Pontifici semper in sinistram tradendus est, ideo locus hujus ministri est semper ad sinistram Pontificis prope eum, ergo ad altare in cornu Evangelii in plano ante gradus anteriores altaris, ita ut inter ipsum et gradus sit aliquod spatium, ad sedem vero juxta Diaconum assistentem secundum.

4. Genuflectit utroque genu: *a)* ad psalmum *Judica* et Confessionem ineunte Missa;[4] *b)* a *Sanctus* usque ad elevationem inclusive; *c)* ad benedictionem pontificalem et sacramentalem; *d)* ad lotionem manuum Episcopi. Quoad reliquas genuflexiones recole n. **43.**

5. Minister baculum tradit et recipit semper immediate[5] et debitis cum osculis, quae oscula omittuntur coram exposito ss. Sacramento. In traditione partem curvam ad se convertit, ut, Episcopo vel Praelato illum accipiente, pars curva ad populum sit conversa.[6] Si baculus et mitra eodem tempore deponi debeant, baculus a ministro recipiatur ante depositionem mitrae.[7] Ceterum in tradendo et recipiendo baculo Epi-

[1] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 17. n. 6. — [2] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 5. et cap. 17. n. 6. — [3] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 26. — [4] *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 133. — [5] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 5. — [6] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 25. — [7] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 30.

scopi genuflectit i. e. oblaturus baculum accedit ad Episcopum, genuflectit, se erigit, osculatur hastilem baculi et manum Episcopi baculum accipientem, deinde paululum regressus, genuflectit et recedit ad locum suum. Quod abservat etiam in receptione baculi, in qua tamen prius manum Episcopi, deinde baculum osculatur. In traditione et receptione baculi Praelatorum Episcopo inferiorum autem non genuflectit.

6. Offert baculum: *a)* ante exitum e sacello vel sacristia ad altare et ante recessum ab altari in sacristiam; *b)* ante accessum a sede ad altare et vice versa, etiam infra Missam; *c)* immediate ante Evangelium a Diacono cantandum ad verba *Dominus vobiscum; d)* ad benedictiones solemnes post verba *Benedicat vos omnipotens Deus.*

7. Recipit baculum: *a)* immediate post Celebrantis accessum ad altare sive e sacello vel sacristia sive a sede et vice versa; *b)* decantato a Diacono Evangelio ante[8] osculum libri et ante incensationem Celebrantis;[9] *c)* in Vesperis pontificalibus post incensationem Episcopi vel Praelati in sede.

8. Baculi usus cessat in Parasceve et in officiis ac Missis pro defunctis[10]; est enim insigne jurisdictionis episcopalis, quae cessat quoad defunctos.

Caput IX.

De Thuriferario.

§ 1. Regulae speciales pro Thuriferario.

57. — 1. Thuriferarius induitur superpelliceo super veste talari.[1] Ipsius est, ignem praeparare, nutrire et conservare, thuribulum continuo quidem, sed leviter tantum agitando. Ipsius est etiam, nisi adsit specialis Navicularius, naviculam praeparare cum thure sufficienti et cochleari parvo. Semper praesto

---

[8] *Schober*, Caer. art. 9. cap. 5. n. 3.; *Martinucci*, lib. 5. cap. 9. n. 101. — [9] *S. R. C.* 4. Sept. 1875 ad 4. n. 3368. — [10] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 17. n. 9.

[1] *S. R. C.* 12. Apr. 1823 ad 5. n. 2625.

sit cum thuribulo et navicula, quotiescunque thus imponendum est, ne sacra functio incommode interrumpatur ob thuribuli absentiam.

2. Quando thuribulum incensum non continet, sinistra manu defertur et dexterâ navicula; quando vero incensum in eo positum est, deferendum est thuribulum manu dextera, navicula manu sinistra, puta, nisi adsit Navicularius.

3. Ad altare ejus locus est ad credentiam inter Acolythos, nisi pro munere suo alibi sit occupatus.

4. In via incedit (cum Navicularius, si adsit) omnium primus, etiam ante Ceroferarios et Cruciferum,[2] nisi incenset Sanctissimum, quo in casu incedit immediate ante Sanctissimum cavens, ne tergum eidem vertat.

5. Ubi chorus est ante altare, Chorales utrimque salutat, quoties ad altare accedit vel ab illo recedit. Quoad reverentias tum altari tum Episcopo exhibendas, observet omnia, quae dicta sunt in regulis generalibus pro ministris inferioribus.

6. Thus regulariter non imponitur a Thuriferario, sed a Celebrante vel Episcopo sacrae functioni assistenti in throno (non in choro) vel a Caeremoniario (ante elevationem), praeterquam in processionibus longioribus, in quibus ad nutriendum fumum Thuriferarius thus interdum ingerere potest, nisi hoc fiat per Caeremoniarium vel alium ministrum ad hoc destinatum. Celebrans et Episcopus regulariter benedicunt thus impositum, ceteri vero imponunt absque benedictione.[3]

7. Ad impositionem thuris Thuriferarius ipse ministrat thuribulum sine osculis, naviculam vero vel Diaconus, si a Celebrante imponendum sit ad altare aut ab Episcopo assistente in faldistorio, vel Presbyter assistens, si imponatur ad sedem, ut in Missa pontificali aut in Missa solemni coram Episcopo habente Presbyterum assistentem.

---

[2] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 16. n. 15. — [3] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 18.

8. Episcopo ordinario thus injicienti Thurifer-arius thuribulum ministrat genuflexus, nisi expositum sit ss. Sacramentum,[4] Canonicis et Dignitatibus aliisque Episcopo inferioribus vero stans, sive sit Sanctissimum expositum sive non.[5]

9. In ministrando thuribulo ad impositionem thuris manu sinistra tenet manubrium thuribuli, manu dextera autem elevat thuribuli operculum mediante catenula adnexa, quam deinde pollice et indice manus sinistrae apprehensam sustinet. Tum manu dextera thuribuli pedem accipit et vas cum prunis accensis elevat ad altitudinem naviculae i. e. manus imponentis, sinistra manubrium tenente interim pectori applicata, et sic permanet, donec incensum impositum et, permittente ritu, benedictum sit.

10. Celebranti vel Officiatori incensaturis thuribulum a Thuriferario immediate non traditur, sed mediante alio Ministro. Unde Thuriferarius imposito thure thuribulum sine osculis tradit Diacono vel Presbytero assistenti, qui illud ministrat Celebranti. Offerendo thuribulum catenularum summitatem in dextera, catenularum inferiorem partem prope operculum autem in sinistra dicti Ministri ponat, ut ipse Minister deinceps illud commode ad manus Celebrantis contrario modo porrigere possit, videlicet catenulas in sinistram, thuribulum in dexteram.[6] Si nihilo minus aliquando thuribulum incensaturo immediate tradere deberet, ponat catenularum summitatem in sinistra, earumdem inferiorem partem juxta operculum vero in dextera Incensatoris.

11. Ante et post thurificationem fit capitis inclinatio tum ab Incensatore tum a Thuriferario ipsi assistente.[7] Quae inclinatio major est vel minor secundum incensandi dignitatem. Hae inclinationes nun-

---

[4] Idem dicendum est, si agatur de Praelatis provincialibus et generalibus Regularium in ecclesiis sibi respective subjectis et ab Ordinario locorum exemptis. *S. R. C.* 1. Febr. 1907 ad 19. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 261.) — [5] *S. R. C.* 4. Apr. 1699 ad 8. n. 2027. — [6] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 15. — [7] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 20.

quam omittuntur, nec coram ss. Sacramento exposito, quia non sunt actus reverentiae, sed invitationis. Consule n. **91.**

12. Quando non ipse Thuriferarius, sed alius praeter Celebrantem incensat, tunc Incensatori se adjungit a sinistris ejusdem, faciens debitas cum eodem inclinationes (reg. spec. 11.).

§ 2. De Officio Thuriferarii in functionibus solemnibus.

58. In Missa solemni ordinaria:

1. Si Celebrans ob vigentem consuetudinem voluerit in sacristia thus imponere, Thuriferarius, tradita sine osculis Diacono navicula, Celebranti ministrat thuribulum (reg. spec. 7. et 9.).

2. Facta in sacristia simul cum aliis Cruci vel Imagini sacristiae capitis inclinatione et Celebranti debita salutatione, omnium primus (reg. spec. 4.), nudo capite, manibus junctis (nisi portet thuribulum, quod regulariter fieri solet), procedit ad altare, in via simplicem genuflexionem faciens versus altare Sanctissimi, ante quod transeunt.[1] Ingressus in presbyterium per aditum majorem, subsistit ad sinistram aditus, ut locum praestet reliquis praetereuntibus. Quibus ad altare venientibus, se sistit retro post Celebrantem et simplicem cum omnibus facit genuflexionem (duplicem vero si expositum sit in altari Sanctissimum) in plano et accedit ad credentiam.

3. Ad Aspersionem aquae benedictae Diacono tradit aspersorium madefactum (nisi Caeremoniarius ipse hoc faciat) et postea libellum cum ritu Aspersionis. Dum surgunt Ministri sacri et ipse surgit et praecedit eos et Celebrantem in aspergendo choro et populo portans vas cum aqua benedicta incedens ad dexteram Diaconi et genuflectens altari, quoties transit ante medium.[2]

---

[1] Vide n. 47. notam 1. — [2] In plurimis ecclesiis solus Celebrans cum Ministris sacris accedit ad chorum populumque aspergendum.

4. Infra Confessionem flectit utrumque genu in plano ad credentiam, quod faciet etiam a *Sanctus* usque ad elevationem inclusive, necnon quando chorus genuflectit, nisi interim aliquid agendum habeat, et ad benedictionem in fine Missae.

5. Ascendente post Confessionem Celebrante ad altare, surgit et a dexteris Caeremoniarii, cui tradidit sine osculis naviculam, absque genuflexione praevia aut subsequente[3] cum thuribulo per gradus laterales ascendit ad Celebrantem in suppedaneo, ubi stans Celebranti ministrat sine osculis thuribulum (reg. spec. 7. et 9.), ministrante Diacono naviculam. Incenso imposito et thuribulo Diacono tradito (juxta reg. spec. 10.), absque genuflectione cum Caeremoniario descendit in locum suum ad credentiam. Infra incensationem altaris, deficiente Caeremoniario, Thuriferarius librum ab altari removet et postea ibidem reponit; infra incensationem Celebrantis vero stat retro post Diaconum a dexteris Caeremoniarii. Dein abit cum thuribulo.

6. Lecto Evangelio et Celebrante reverso ad medium altaris, Thuriferarius conscendit cum Caeremoniario suppedaneum et Celebranti ministrat thuribulum ad impositionem thuris uti ante Introitum, quo imposito thuribulum secum defert ad credentiam. Dum Celebrans benedictionem impertit Diacono Evangelium cantaturo, Thuriferarius cum thuribulo fumigante simul cum Caeremoniario et duobus Cerofer-ariis accedit ad medium altaris ante gradus in plano, ubi, simplici genuflexione simul cum sociis facta, quia ad medium altaris accessit (reg. gen. 2. n. **43.**), omnes ita se sistunt, uti infra de Caeremoniario dicetur (num. **64.** ad 5.). Finito cantu Gradualis simul cum ceteris genuflexione simplici facta, quia recedendum est ab altari (reg. gen. 2. n. **43.**), vadit ad locum, ubi cantari solet Evangelium, ibique se sistit a sinistris Diaconi (reg. spec. 12.), paululum retro, thuribulum non agitet, sed claudat, ne Diaconus fumo molestetur in

[3] Nisi expositum sit Sanctissimum, quia tunc ante ascensum et post descensum genuflexio simplex facienda est in plano. Cf. *S. R. C.* 14. Jan. 1898 Dub. I. ad 2. n. 3975.

cantando Evangelio. Si infra Evangelii cantum genuflectendum sit, Thuriferarius (cum Caeremoniario) genuflectit versus altare.[4] Item ad ss. Nomen Jesu caput profunde inclinat versus altare, ad s. nomen Mariae vel Sancti, cujus fit memoria autem versus librum, sicut Caeremoniarius. Consule n. **64.** not. 9. Cantato Evangelio thuribulum tradit Diacono, cui incensanti Celebrantem assistet a sinistris (reg. spec. 12.), quo incensato thuribulum recipit et facta ante medium altaris in plano simplici genuflexione, abit cum thuribulo in sacristiam, statim inde debitis cum reverentiis versus altare et chorum reversurus ad credentiam.

7. Facta oblatione calicis ad impositionem thuris et infra incensationem altaris se gerit prout ante Introitum. Infra incensationem Celebrantis, chori et Subdiaconi assistit Diacono a sinistris. Dein ipse Thuriferarius incensat: *a)* Diaconum stantem in loco suo in gradibus altaris duobus ductibus (num. **93.** ad 7.); *b)* incensato Diacono Acolythos stantes ad credentiam per modum unius i. e. omnes simul unico ductu; *c)* incensatis Acolythis et facta ad altare simplici genuflexione in plano,[5] populum, stans in medio presbyterii prope aditum, vel si Sanctissimum sit expositum, in alterutro latere presbyterii, triplici ductu, in medio, ad sui sinistram et ad sui dexteram cum inclinatione capitis ante et post incensationem, quibus absolutis simpliciter genuflectit in medio ante altare in plano et reportato thuribulo in sacristiam revertitur ad credentiam ut supra.

8. Paulo ante Consecrationem tradit naviculam et ministrat thuribulum Caeremoniario ad imponendum thus. Deficiente Caeremoniario, ipse Thuriferarius imponit thus. Deinde ipse[6] genuflexus in infimo gradu ad cornu Epistolae[7] ss. Hostiam et Calicem ad elevationem incensat tribus ductibus duplicibus, primo dum Celebrans genuflectit, secundo dum elevat, tertio

[4] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4. — [5] Si transit ante chorum, Chorales de more salutat. — [6] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 8. — [7] *S. R. C.* 12. Jul. 1901 ad 11. Colimen. (*Eph. lit.* 1901 pg. 463.)

dum deponit unamquamque sacram Speciem, inclinatione mediocri facta ante et post trinam incensationem uniuscujusque sacrae Speciei. Elevatione utraque absoluta surgit, accedit ad medium altaris, ibique genuflexione simplici facta (reg. gen. 2. et 4. n. **43.**), abit cum thuribulo in sacristiam, unde reversus et iterata genuflexione simplici ante medium altaris, accedit in locum suum ad credentiam.

9. Pacem accipit a Caeremoniario et dat Acolytho proxime stanti. Ad *Agnus Dei* caput profunde, ad *Domine non sum dignus* corpus mediocriter et infra Communionem Celebrantis profunde se inclinat, non tamen tempore intermedio inter sumptionem singularum ss. Specierum. Pectus percutit stans ad *Agnus Dei* dumtaxat. Ad benedictionem Celebrantis in fine genuflexus, ad initium Evangelii stans se signat et ad *Verbum caro factum est* cum reliquis simpliciter genuflectit.

10. Finito Evangelio cum ceteris ad credentiam assistentibus accedit ante medium altaris in plano ita tempestive, ut cum Celebrante ejusque Ministris possit reverentiam facere altari sicut in primo accessu, qua facta omnes praecedit in sacristiam, non omittens simplicem genuflexionem versus altare ss. Sacramenti, si ante illud sit transeundum.

59. In Missa solemni pontificali:

Thuriferarius, paucis exceptis, observet omnia, quae dicta sunt supra pro Missis solemnibus ordinariis.

Advertat ante omnia: *a)* ut Pontifici, si sit Episcopus proprius, debitas reverentias exhibeat per genuflexionem simplicem, ut dictum est in regula generali 3. n. **43.** pro ministris inferioribus; *b)* ut Episcopo thuribulum ministret genuflexus, ut praescriptum est in regula speciali 8. sub. n. **57.** Quod utrumque tamen valet dumtaxat in casu, si non sit expositum Sanctissimum.

Ante accessum ad altare thus imponitur a Pontifice in sacristia vel capella, in qua assumpserat pontificalia; non imponitur, si induebatur ad thronum.[8]

[8] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 23. et 25.

Ante Evangelium thus imponitur a Pontificante in throno. Osculata igitur ejus manu (i. e. annulo) a Diacono Evangelium cantaturo, Thuriferarius debitis cum reverentiis accedit ante thronum, et, tradita navicula Presbytero assistenti, Episcopo thuribulum ministrat genuflexus. Dum Diaconus ante Evangelium cantandum benedictionem ab Episcopo petit, Thuriferarius ante thronum retro post reliquos in genua procumbit (vide stationem in calce hujus libri). Post Evangelium cantatum adjungit se Presbytero assistenti a sinistris eique, tradito thuribulo, assistit in thurificatione Episcopi.

Post Offertorium comitatur a sinistris Diaconum ad chorum incensandum et postremo ipse more solito incensat residuos, quos Diaconus non incensaverat, scil. Diaconum, Clerum minorem in choro, assistentes ad credentiam et populum, sicut dictum est n. **58.** ad 7.

Infra elevationem vel ipse vel Caeremoniarius incensat ss. Sacramentum.[9]

60. In Missis solemnibus de Requie:

In accessu ad altare more solito Thuriferarius praecedit omnes, sed absque thuribulo, manibus junctis. Omittitur prima incensatio altaris ante Introitum et incensatio libri ante et Celebrantis post Evangelium. Ad Offertorium incensantur tantum Oblata, Crux, altare et Celebrans, non autem chorus, neque assistentes. Ante Consecrationem, thure imposito a Caeremoniario, Thuriferarius thuribulum tradit Subdiacono, qui ad elevationem ss. Sacramentum thurificabit more solito.

Genuflectit in his Missis Thuriferarius utroque genu ad Confessionem ut alias, insuper ad Orationes post Introitum, a *Sanctus* usque ad *Pax Domini* inclusive et ad Orationes post Communionem.

Ad tumbam curet, ut praesto sit cum thuribulo et navicula ad imponendum thus versus finem cantus *Libera* et ad thurificandam tumbam post ejus aspersionem.

---

[9] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 70.

61. In Processionibus solemnibus:
In processionibus, in quibus non defertur ss. Sacramentum, ut in Festo Purificationis, Dominica palmarum etc. sufficit unum thuribulum. In processionibus theophoricis autem, ut in Festo Corporis Christi, in Coena Domini, Feria sexta Parasceves et in processionibus, in quibus Reliquiae ss. Crucis, spineae Coronae Domini aliaeve Reliquiae insignes solemniter deferuntur, duo Thuriferarii seu Incensatores praecribuntur.[10] Antequam incensum imponatur, qui est a dexteris, dexterâ, qui est a sinistris, sinistra manu thuribulum gestat; post impositionem thuris vero, qui est a latere dextero, dexterâ catenularum summitatem tenet, sinistra thuribulum movet; qui autem incedit a latere sinistro, sinistrâ catenularum summitatem tenet, dexterâ thuribulum movet. Caveant, ne terga vertant ad Sanctissimum (reg. spec. 4.), ideoque incedant facie semiversa ad ss. Sacramentum, lente ducentes thuribulum.

Caput X.

De Caeremoniario.

§ 1. Regulae speciales pro Caeremoniario.

62. Tria praecipue requiruntur a Caeremoniario ad munus suum rite obeundum. Primo cura, ut omnia sint suo loco praeparata et congrue disposita, antequam sacra quaelibet functio incipiat. Secundo vigilantia de singulis uniuscujusque officiis, ut amotis abusibus et defectibus sacrae caeremoniae juxta ritus ab Ecclesia receptos et approbatos ad amussim peragantur. Tertio absoluta rerum cognitio, quae in qualibet functione agendae sint, ut omni decore et dignitate eas dirigere et moderari possit.[1] Quapropter ante functiones complicatiores Rubricas respectivas in memoriam revocet, in mente revolvat.

[10] *S. R. C.* 15. Sept. 1742 n. 2368.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 32. n. 9. et cap. 33. n. 7.

[1] *Martinucci*, lib. 1. cap. 15. n. 3. sq.

Induitur superpelliceo.[2] Locus determinatus infra Missam ei assignari nequit, quum de ratione officii sui sit, omnia ordinare, ita ut modo unum modo alium occupet locum, prout judicat opportunum. Regulariter quando nihil habet faciendum, stat vel ad credentiam vel ad gradus anteriores altaris ad cornu Epistolae. In munere suo exercendo has observet regulas:

63. — 1. Caeremoniarii est, curam gerere circa Celebrantem ejusque Ministros, ut eis praesto sit, si quid petant, aut de aliqua re sint admonendi.[3]

2. Quum aliquem invitat ad quid faciendum, coram ipso se constituit eique caput inclinat plus minusve pro personae qualitate. Item si alicui quid sit ministrandum, offerendum aut indicandum, ante et post ei exhibet reverentiam per capitis inclinationem personae dignitati debitam.

3. Ipsius est etiam ducere et reducere Diaconum et Subdiaconum aliosque tam majores quam minores Ministros, quorum opera requiritur, excepto Diacono, dum ad altare defert librum Evangeliorum et bursam, et Subdiacono, dum ante Offertorium ad altare defert calicem eumque post Communionem inde refert.

4. Aliquem conducens nunquam eum sequitur, neque si locus sit angustus, sed semper praecedit paululum a sinistris ejus, quem conducit.[4] Si sit genuflectendum vel inclinandum, ipse quasi praeeundo prius genuflectit aut se inclinat. Ad locum destinatum quum pervenerit, paululum consistit a sinistris ejus, quem comitatus est, ut hic possit praecedere. In locum suum reducto caput inclinat, antequam discedat, in signum reverentiae.

5. Si quem monere oportet, id faciat modeste, submissa voce ac solo nutu etiam levissimo, imo, si potest, aliorum defectus ipse corrigat et suppleat.

6. Accedendo, recedendo et transeundo ante altare et Celebrantem debitas faciat reverentias, altari

[2] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 5. n. 4.; *S. R. C.* 10. Apr. 1876 ad 1. n. 3398. — [3] *Bauldry*, pars 1. cap. 1. art. 1. n. 9. — [4] *Bauldry*, l. c. n. 13.

simplicem genuflexionem in plano, Celebranti profundam capitis inclinationem, nisi sit Episcopus ordinarius, ante quem genuflectit. Recole regulas generales 2. et 3. sub n. **43.**

§ 2. De Officio Caeremoniarii in Missa solemni.

64. — 1. Omnibus paratis Caeremoniarius dat signum accedendi ad altare. Alios praeveniendo facit reverentiam Cruci, salutat Celebrantem et procedit ad altare post Ceroferarios. Si Aspersio aquae benedictae ad altare facienda non sit, ad fores sacristiae dexterâ accipit aquam benedictam eamque offert Subdiacono et Diacono. Si transeundum sit ante altare Sanctissimi, transeundo genuflectit; si transeundum sit ante Chorum, simul cum aliis salutat Chorales, primo a cornu Evangelii, deinde a cornu Epistolae. Ad altare quum pervenerit, sistit se in plano ad cornu Epistolae, accipit bireta a Celebrante et Ministris et genuflectit unico (coram exposito Sanctissimo utroque) genu in plano simul cum istis. Bireta deponit in sedibus tribus locis distinctis.

2. Si facienda sit Aspersio aquae benedictae, Diacono tradit aspergillum madefactum necnon libellum vel tabellam cum ritu Aspersionis. Infra aspersionem altaris et Ministrorum sacrorum utrumque genu flectit, infra aspersionem chori autem stat simul cum reliquis ad credentiam, nisi forte Celebrantem cum Ministris comitetur in chorum.[1] Aspersione absoluta adjuvat, si opus sit, Celebrantem in deponendo pluviali necnon in induenda casula et manipulo.

3. Ad Confessionem reliquasque preces in exordio Missae in genua procumbit in plano, sese inclinans et pectus percutiens sicut ceteri. Facta Confessione et Celebrante ad altare ascendente, accipit naviculam a Thuriferario et a sinistris ejusdem absque

[1] *Schober*, Caer. art. 7. n. 8.

genuflexione praevia aut subsequente[2] per gradus laterales ascendit ad altare, ubi, tradita sine osculis semiaperta navicula Diacono, assistit ad incensi impositionem. Quo imposito et navicula a Diacono recepta ac Thuriferario tradita, sine genuflexione praemissa amovet missale cum cussino vel legili, nisi adsit alius hoc faciens, descendit in planum et conversus ad altare sustentat librum, donec Celebrans cornu Epistolae incensaverit. Tum suppedaneum sine genuflexione[3] conscendit, missale in pristino loco reponit et sine genuflexione descendit. Dum Diaconus incensat Celebrantem stat retro post Subdiaconum a sinistris Thuriferarii. Ad Introitum Celebranti ipse non assistit, sed Diaconus.[4]

4. Ad Hymni *Gloria* recitationem et cantum stat ad credentiam, inclinans caput ad verba inclinationem exposcentia, scilicet ad: *Deo — Adoramus Te — Gratias agimus Tibi — Jesu Christe — Suscipe deprecationem nostram — Jesu Christe.* In fine cruce se signat. Si sedendum sit, invitat, si necesse sit, Celebrantem et Ministros, ut pergant ad sedilia. Versus finem cantus Hymni eos pariter invitat, ut redeant ad altare. Dicto a Celebrante *Dominus vobiscum,* sine praemissa genuflexione ascendit ad cornu Epistolae, ut ostendat Celebranti Orationes foliaque vertat. Ad conclusionem ultimae Orationis descendit et de credentia accipit librum Epistolarum, apponens dexteram aperturae et sinistram dorso libri prope medietatem. Appropinquans Subdiacono, facta inclinatione, ei tradit librum et statim a sinistris ejus accedit ad altaris medium, ubi simul cum eo in plano genuflectit (reg. gen. 2. et 7. sub n. **43.**). Mox cum Subdiacono accedit ad locum, ubi Epistola cantatur, ibique ei assistit a sinistris,[5] Epistolam indicans et folia vertens, si opus sit. Epistola cantata respondet *Deo*

---

[2] Nisi expositum sit Sanctissimum, quia tunc ante ascensum ad altare et post descensum ab eodem genuflexio simplex facienda est in plano. Cf. *S. R. C.* 14. Jan. 1898 Dub. I. ad 2. n. 3975. — [3] Vide notam 2. — [4] *Rit. cel.* miss. IV. n. 7. — [5] *Martinucci,* lib. 2. cap. 4. n. 89.; *Carpo,* pars 2. n. 202.

gratias, Subdiaconum reducit ad altaris medium ante gradus, ibique facta genuflexione in plano, ut antea, eumdem ad Celebrantem in cornu Epistolae comitatur ad benedictionem recipiendam, post quam librum e manibus Subdiaconi recipit, (nisi hic eum immediate Diacono tradiderit), eumque incepto a Celebrante Evangelio debitis cum inclinationibus Diacono tradit. Subinde accedit ad credentiam.

5. Lecto submissa voce a Celebrante Evangelio, Caeremoniarius comitatur Thuriferarium per gradus laterales in cornu Epistolae ad Celebrantem in suppedaneum et assistit ad thuris impositionem ut ante Introitum. Thure imposito, sine genuflexione descendit cum Thuriferario ad credentiam. Dum Celebrans benedicit Diaconum Evangelium cantaturum, adducit Thuriferarium et Ceroferarios ante altare in medium presbyterii, ubi, simul cum eis genuflexione simplici facta,[6] eos ita disponit, ut triplex series efficiatur, prima scilicet altari proxima Ministrorum sacrorum, secunda remotior Caeremoniarii et Thuriferarii et tertia remotissima duorum Ceroferariorum.[7] Postquam Diaconus ante infimum gradum descendit ac finito cantu Gradualis, omnes simul genuflectunt, et Caeremoniarius eos ducit ad cornu Evangelii ante gradus altaris, ubi Evangelium cantari solet.[8] Ibi disponit Ceroferarios, primum a dexteris, secundum a sinistris Subdiaconi librum tenentis. Ipse se sistit ad dexteram Diaconi, cui textum Evangelii, si opus sit, indicat, se signat et folia vertit. Infra Evangelium ad nomen Mariae et Sancti cujus fit Festum vel Commemoratio, caput inclinat versus librum,[9] ad ss. Nomen Jesu autem versus altare; si sit genuflectendum genuflectit pariter versus altare.[10] In fine Evangelii respondet *Laus tibi Christe* et, non exspectata incensatione Cele-

---

[6] Vide n. 47. not. 5. — [7] *Baldeschi*, II. pars I. cap. 4. n. 14.; *Schober*, Caer. art. 1. cap. 9. n. 7. — [8] Ubi chorus est ante altare, post factam Cruci altaris genuflexionem Ministros invitat, ut Chorales utrimque salutent. — [9] Vel versus altare, si in ejus loco principali adsit eorum imago vel statua. *Rit. cel.* miss. V. n. 2. — [10] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4.

brantis, cum Ceroferariis, genuflexione ante gradus altaris facta, vadit ad credentiam in transitu recipiens a Subdiacono librum a Celebrante osculatum.

6. Ad *Credo* se gerit ut ad Hymnum angelicum. Dum recitantur a Celebrante verba *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est,* simpliciter genuflectit; dum vero ista verba a choro cantantur, utroque genu procumbit et caput profunde (recole n. **13.** reg. spec. 2.) inclinat, sive sit sessio sive non, dein assurgit. Si sit sessio, decantatis supra dictis verbis, accedit ad Diaconum, quem capitis inclinatione invitat, ut accedat ad credentiam capiatque[11] bursam cum corporali. Qua accepta eum non[12] comitatur ad altare, sed in loco suo stat ad credentiam. Si vero non sit sedendum, exspectat ad credentiam Diaconum venientem ad accipiendam bursam, vel, si opus sit, accedendo ad Diaconum invitat eum, ut hoc faciat, subinde se gerit ut supra.

7. Dicto ante Offertorium a Celebrante *Oremus,* accedit ad Subdiaconum in loco suo stantem eumque invitat capitis inclinatione, ut accedat ad credentiam. Ibi velum oblongum super ejus humeros et super calicem ad altare deferendum adaptat.[13] Oblatione facta, ad thus imponendum simul cum Thuriferario more solito (vide supra ad 3.) accedit ad Celebrantem. Inde reversus transit per planum, genuflexione in medio ante gradus (n. **43.** reg. gen. 2. et 7.) facta, ad cornu Evangelii, ut amoveat infra incensationem altaris missale, sicut ante Introitum, nisi per alium hoc fiat. Incensato latere Evangelii et deposito missali prope corporale, per planum, ut antea, ad credentiam revertitur moniturus suo tempore Acolythos de eorum officio ad *Lavabo.* Incensatur in loco, ubi reperitur, regulariter ad credentiam.

8. Dicto *Orate fratres* accedit per gradus laterales Evangelii, ut supra, ad missale, ut Celebranti

[11] Diaconus ipse bursam cum corporali accipit, non ei traditur a Caeremoniario. Cf. *Rit. cel.* miss. VI. n. 7. — [12] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 3. — [13] *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 181. et S. Lit. Prax. II. n. 16. ad 4.

assistat in legendis Secretis et Praefatione. Finita Praefatione, dum Ministri sacri ad latera Celebrantis ascendunt, ipse a libro paululum se retrahit versus cornu Evangelii, ut locum det Subdiacono, simul cum aliis recitat *Sanctus*, se signat ad *Benedictus* et sine genuflexione praemissa per gradus laterales descendit et in medio ante gradus genuflectens transit ad credentiam vel ad anteriores gradus altaris in cornu Epistolae ibique deinceps permanet in genua provolutus. Paulo ante Consecrationem thus imponit in thuribulum a Thuriferario sibi ministratum. Infra elevationem convenienter se gerit, ut pro Choralibus dictum est n. **36.** ad 13. Elevatione absoluta simul cum ceteris assurgit.

9. Quum Diaconus paulo post elevationem ad dexteram Celebrantis transit, Caeremoniarius per planum accedit ad medium altaris retro post Subdiaconum, genuflectit, transit ad cornu Evangelii, ascendit per gradus laterales ad sinistram Celebrantis, quocum genuflectit ibique stat ad Orationem Dominicam librum tenens et folia vertens, donec dicto a Celebrante *Pax Domini* supervenerit Subdiaconus dicturus *Agnus Dei*, cui locum cedit, aliquantulum recedens versus cornu Evangelii, et genuflectit cum aliis.

10. Ad *Agnus Dei* capite profunde inclinato percutit pectus, sicut ceteri. Facta subinde simul cum Subdiacono genuflexione, iterum ad librum accedit et, prima Oratione *Domine Jesu Christe etc.* a Celebrante recitata, genuflectit et sinistrorsum se vertens descendit per gradus laterales cornus Evangelii in planum retro post Subdiaconum, ubi exspectat, donec iste Pacem a Diacono acceperit. Deinde genuflectit cum Subdiacono, quem statim ad dandam Pacem comitatur in chorum per cornu Epistolae.[14] Chorales non salutantur ob praesentiam Sanctissimi in altari. Distributa Pace a Subdiacono ambo revertuntur per cornu Evangelii[15] ad altare, ubi ante medium facta genuflexione Caeremoniarius Pacem accipit a Sub-

[14] Supponitur chorus post altare. *Carpo*, pars 2. n. 195. — [15] Ibid.

diacono et iterum facta genuflexione eam defert Acolythis stantibus ad credentiam et Clericis congregatis in scamnis inferioribus chori cuique primo in ordine. Deinde accedit ad credentiam, ad *Domine non sum dignus* mediocriter se inclinat, pectus vero non percutit, infra Communionem Celebrantis profunde se inclinat sicut Thuriferarius. Videsis n. **58.** ad 9.

11. Purificatione Celebrantis peracta, velum calicis de credentia acceptum ambabus manibus ante pectus tenens transfert[16] per planum ad Subdiaconum stantem in cornu Evangelii non omittendo in transitu genuflexionem in medio ante gradus. Ad Antiphonam, quae dicitur Communio, et ad Postcommunionem assistit Celebranti Orationes indicans et folia vertens. Orationibus finitis librum claudit, nisi ultimum Evangelium ex eo sit legendum. Ad benedictionem in fine Missae genuflexus, ad initium Evangelii stans se signat; si opus sit, simul cum Celebrante infra Evangelium genuflectit, quo absoluto bireta ministrat et facta genuflexione in plano revertitur simul cum aliis in sacristiam eodem prorsus modo et ordine, quo venerat.

Tractatus II.

De Assistentia substitutiva Clericorum in Missis cum cantu et de Ministro Missae privatae.

Caput I.

Observationes et regulae generales.

65. Missa cantata sine ministris sacris celebrari potest: *a)* a solo Celebrante sine assistentia; *b)* cum assistentia unius Clerici in sacris constituti vel non constituti; *c)* cum assistentia duorum Clericorum Acolythorum vel simpliciter tonsuratorum. Primum quod attinet, de iis, quae a Celebrante agenda sunt, sermo instituetur in sectione quarta. Secundum fieri posse,

[16] Haec translatio veli calicis fit a Caeremoniario saltem tunc, quando non fit per Acolythum. Recole n. **47.** ad 12.

patet ex Rubrica missalis[1] mandante, ut „Epistolam cantet aliquis Lector“ et ex decreto S. R. Congregationis[2] in Missa hujusmodi admittente Clericum saltem tonsuratum, „si alius minister in sacris in promptu non sit“. Tertium quoque permitti, concluditur ex decreto S. Rituum Tribunalis,[3] quo duo ministri in Missa lecta tolerantur „occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis“.

66. Regulae generales:

1. Si in Missa cantata sine Ministris sacris unus assistat Clericus, locus ejus ad altare est in parte missali opposita in plano ante gradus anteriores altaris: ergo a principio Missae usque ad Epistolam inclusive in parte Evangelii, ab Evangelio usque ad sumptionem ss. Sanguinis in parte Epistolae, deinceps usque ad finem Missae in parte Evangelii. Si duo assistant Clerici, locus eorum est ante gradus anteriores altaris, primi quidem ad cornu Epistolae, alterius ad cornu Evangelii. In loco suo ergo unusquisque ministrorum extra utrumque Evangelium in primo gradu (in exordio Missae in plano) genuflexus haeret, nisi alibi sit occupatus.

2. Ad altare, in quo Sanctissimum non est expositum, unico genu flectunt in accessu ante Missam, in recessu ab eodem post Missam et in quovis transitu ante medium intra Missam,[4] semper in plano.[5] Quoad reverentias et oscula praestanda coram exposito Sanctissimo vide n. **75.** et **103.**

3. Celebranti sese conformare tenentur; *a)* in faciendis inclinationibus et signationibus sui ipsius, quotiescunque Celebrans sese inclinat aut signat voce clara aliquid proferens, excepto *Confiteor* Celebrantis, vel dum se inclinat ad cantum eorum, quae inclinationem exigunt; *b)* in pectoris percussione ad *Agnus Dei* tantum; *c)* in genuflexionibus Celebrantis, dum ipsi stant nec librum tenent.

---

[1] *Rit. cel.* miss. VI. n. 8. — [2] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 3. (*Eph. lit.* 1906 pg. 263.) — [3] *S. R. C.* 12. Sept. 1857 ad 7. n. 3059. — [4] *S. R. C.* 16. Nov. 1906 ad 1. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 65.) — [5] Cf. *S. R. C.* 14. Jan. 1898 Dub. I. ad 1. n. 3975.

4. Si ad *Gloria*, Sequentia, *Credo* Celebrans sedeat, etiam ministri sedere possunt, sed non in eodem scamno nec in eadem linea cum Celebrante, sed super duo scabella paulo ante ipsum posita, ita tamen, ut terga nec Celebranti nec altari vertant,[6] secus stant hinc inde a lateribus Celebrantis. Antequam Celebrans sedeat, primus biretum in scamno depositum illi cum osculis consuetis (coram Sanctissimo exposito sine osculis) porrigit, nisi Celebrans ipse illud sumat. Deinde ambo posteriorem partem planetae Celebrantis elevant, antequam sedeat. Ceterum se gerunt, servatis servandis, ut dictum est infra pro Ministris sacris n. **80.** ad 11. Dum tempus est surgendi, primus biretum Celebrantis recipit et in scamno reponit et ambo Celebrantem eundo ad altare praecedunt.

5. Circa calicem Clericus in Missa cantata nihil aliud agere potest, nisi illum ante Missam in sacristia praeparare,[7] e sacristia ad credentiam et infra Missam a credentia ad altare deferre, suo velo discooperire, oblatum prima vice palla tegere, a Celebrante abstersum componere, ad credentiam et inde post expletum Sacrum in sacristiam reportare.[8]

6. Circa librum Clericus habet potestatem Celebranti ad eum assistendi, folia vertendi et textum indicandi. Si enim hoc licet vel ipso Clerico tonsura non initiato,[9] eo magis idem licebit Clerico tonsurato saltem.

7. In hac Missa Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus.[10] Si minister in ordine Lectoratus saltem constitutus non adsit, potest Epistolam canere Clericus simpliciter tonsuratus. Si enim minister hujusmodi Epistolam

---

[6] *Falise*, pars 1. sect. 2. cap. 1. § 2. — [7] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 1. (*Eph. lit.* 1907 pg. 67.) et 1. Febr. 1907 ad 15. (*Eph. lit.* 1907 pg. 263. sq.) — [8] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 4. 5. 6. (*Eph. lit.* 1906 pg. 263.) — [9] Puta Clericum sensu latiori prima tonsura non initiatum, veste tamen talari indutum, quales sunt e. g. fratres laici quorumdam Ordinum et Congregationum religiosarum. *Eph. lit.* 1902 pg. 464. et 1906 pg. 270. et 1907 pg. 71.; *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 7. — [10] *Rit. cel.* miss. VI. n. 8.

canere potest loco Subdiaconi in Missa solemni,[11] a fortiori id poterit loco Lectoris in Missa cantata.

8. Praeter Epistolam a ministris nil canitur, nec Evangelium, nec *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino* vel *Requiescant in pace,* quae potius canuntur a Celebrante.[12]

9. Omittitur: *a)* omnis incensatio, nisi adsit indultum apostolicum;[13] *b)* patenae sustentatio; *c)* Pacis distributio, nisi fiat cum instrumento, quod tamen non est ubique in usu.

Caput II.

De unius Clerici assistentia in Missa cantata.

67. Clericus, sive tonsuratus tantum sive in ordinibus minoribus constitutus, haec observet:

1. Ante Missam Clericus superpelliceo indutus duo missalia defert ad altare, quorum alterum pro Celebrante apertum collocat in cornu Epistolae, alterum clausum pro Epistola cantanda deponit in credentia. Ad credentiam (abacum) defert etiam calicem vel a seipso vel a Celebrante in sacristia praeparatum eumque velo et bursa coopertum[1] in medio ejus statuit. Facta in sacristia tam Cruci (Imagini) quam Celebranti debita reverentia, Celebrantem nudo capite et manibus ante pectus junctis praecedit ad altare ibique a gradibus paulo recedens subsistit, ut Celebranti spatium transeundi praebeat, si scilicet aditus e sacristia sit a cornu Epistolae. Ad altare se sistit ad dexteram Celebrantis, cujus biretum cum osculo acceptum in loco apto extra altare deponit facta prius simul cum Celebrante in plano simplici

[11] *S. R. C.* 22. Jul. 1848 ad 4. n. 2965. et 14. Mart. 1906 ad 2. (*Eph. lit.* 1906 pg. 262. sq.) — [12] *Rit. cel. miss.* l. c. — [13] *S. R. C.* 18. Mart. 1874 ad 1. n. 3328. et 9. Jun. 1884 ad 6. n. 3611. et 7. Dec. 1888 ad 3. n. 3697. et 18. Apr. 1902 Minor. Capucin. (*Eph. lit.* 1903 pg. 133.).

[1] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 5.; *Eph. lit.* 1906 pg. 269.

(coram exposito ss. Sacramento duplici) genuflexione (reg. gen. 2.).

2. Infra Missam genuflexus manet in loco suo (reg. gen. 1.), sicut alias minister in Missa lecta et quidem ad preces in exordio Missae in plano, in reliquis Missae partibus autem in primo gradu, nisi Celebranti assistat ad librum vel alias. — Si sit sedendum ad *Gloria*, Sequentia, *Credo*, pro sua parte compleat omnia, quae de duobus ministris dicta sunt in reg. gen. 4.

3. Ascendente Celebrante in suppedaneum, Clericus, facta in transitu in medio primo gradu genuflexione simplici, accedit per planum ad librum in cornu Epistolae, ubi stans in secundo gradu Celebranti assistit in legendo Introitu. Quo lecto per planum redit ad locum suum ante gradus, genuflexione in transitu facta ut antea. Eodem prorsus modo se gerit in cantandis Orationibus, infra quas Celebranti assistit ut ad Introitum.

4. Circa finem ultimae Orationis accipit librum Epistolarum de credentia et in canenda Epistola observabit ea, quae tradita sunt infra sub n. **69.** ad 5. Epistola cantata manum Celebrantis non osculatur, sed, libro suo in credentia deposito, transfert librum Celebrantis ad cornu Evangelii, genuflexione simplici in plano ante gradus in medio facta.

5. Ad Offertorium calicem velo et bursa coopertum (sine velo humerali oblongo) de credentia sine genuflexione, nisi expositum sit Sanctissimum,[2] affert ad altare eumque collocat a dexteris Celebrantis et, nisi Celebrans ipse hoc faciat, eum discooperit velumque plicatum deponit a dexteris corporalis prope candelabra, patenam vero cum hostia Celebranti non tradit nec calicem abstergit, sed statim affert de credentia ampullas cum vino et aqua, quas tam in porrigendo quam in recipiendo osculatur, quin tamen osculetur manum Celebrantis.[3] Nec vinum nec aquam in calicem infundat, calicem ipsum offerendum Cele-

[2] *S. R. C.* 14. Jan. 1898 Dub. I. ad 2. n. 3975. — [3] *S. R. C.* 16. Nov. 1906 ad 2. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 65.)

branti non tradat (reg. gen. 5.), potest tamen hac tantum vice calicem oblatum palla tegere.[4] Ad *Lavabo* ministrat aquam et manutergium explicatum cum pelvicula, facta profunda capitis inclinatione ante et post.

6. Infra actionem i. e. ab incepto Canone usque ad ablutionem inclusive calicem nunquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat, sed ita se gerit sicut minister in Missa lecta,[5] nisi Celebranti assistat ad librum. Translato post ablutionem missali ad cornu Epistolae, reversus ad cornu Evangelii, genuflexione simplici in transitu ante gradus in plano facta, calicem a Celebrante[6] abstersum componit, nisi Celebrans ipse hoc faciat, et more solito transfert ad credentiam.

7. Ad Antiphonam, quae dicitur Communio, et ad Orationes Postcommuniones assistit Celebranti ad librum, quem post ultimam Orationem claudit et in cussino relinquit, nisi eum ad cornu Evangelii transferre debeat, quando speciale Evangelium ex eo legendum est in fine. Ad benedictionem genuflectit utroque genu in infimo gradu more solito.

8. Missa expleta Celebranti cum osculis (exposito Sanctissimo sine osculis) consuetis tradit biretum et, facta ante altare in plano simplici (coram exposito Sanctissimo duplici) genuflexione, Celebrantem manibus ante pectus junctis praecedit in sacristiam. Factis ibi debitis reverentiis Cruci (Imagini) sacristiae et Celebranti, revertitur ad altare tum calicem tum missalia inde delaturus in sacristiam.

68. Si minister assistens sit in sacris constitutus i. e. ordine Subdiaconatus saltem initiatus, non tantum calicem suo velo discooperire, sed etiam ipsum mundare, vinum et aquam infundere, infra actionem palla cooperire et discooperire juxta opportunitatem, quin imo et abstergere post Communionem potest.[7]

[4] Cf. *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 2. 4. (*Eph. lit.* 1906 pg. 263.) — [5] *S. R. C.* ibid. — [6] *S. R. C.* ibid. — [7] *S. R. C.* 25. Sept. 1875 ad 1. n. 3377. et 6. Dec. 1901 Plocen. (Eph. lit. 1901 pg. 700.)

Caput III.

De duorum Clericorum assistentia in Missa cantata.

69. — 1. Ante Missam ministrorum primus collocat missale Celebrantis apertum in cornu Epistolae super pulvino vel legili, missale clausum pro cantanda Epistola vero in credentia. Itidem ad credentiam defert calicem vel a seipso[1] vel a Celebrante[2] praeparatum eumque velo et bursa coopertum[3] in medio ejus collocat. Tum in accessu tum in recessu ne omittat debitas genuflexiones faciendas in medio ante gradus in plano (reg. gen. 2.).

2. Omnibus in sacristia praeparatis, ministri superpelliceis induti, candelabra non deferentes, manibus junctis ante pectus et nudo capite ante Celebrantem ad altare pares procedunt. Si aditus ad altare sit a cornu Epistolae, minister primus, quum ad altare pervenerit, unum vel duos passus ab infimo gradu recedit, ut Celebrans libere transeat, quod ex sua parte facit minister secundus, si aditus ad altare pateat a cornu Evangelii. Deinde uterque in loco suo (reg. gen. 1.) ad altare in plano simpliciter genuflectit, sive Celebrans genuflectat sive tantum se inclinet. Primus deponit biretum Celebrantis in loco apto extra altare.

3. Ad psalmum *Judica*, ad *Confiteor* et preces sequentes in exordio Missae ambo hinc inde in plano in genua procumbunt et Celebranti respondent. Deinde surgunt, ante medium altaris in plano simul genuflectunt,[4] ad cornu Epistolae accedunt et Celebranti ad Introitum assistunt, primus a dexteris Celebrantis, secundus a dexteris primi. Introitu absoluto Celebrantem in medium comitantur pro Hymno angelico dicendo.[5]

4. Ad *Gloria* hinc inde juxta Celebrantem assistunt caput inclinantes, quotiescunque Celebrans hoc

---

[1] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 1.; *Eph. lit.* 1907 pg. 70. — [2] *Rit. cel.* miss. I. n. 1. — [3] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 5.; *Eph. lit.* 1906 pg. 269. — [4] Secundus, quia transit ante medium altaris (reg. gen. 2.), primus propter uniformitatem cum altero. — [5] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 300. ad III.; *Eph. lit.* 1910 pg. 190.

facit. Si ad *Gloria*, Sequentia et *Credo* sessio fiat, observabunt omnia, quae dicta sunt in reg. gen. 4. Ad Orationes et Epistolam Celebranti assistit ministrorum alter, qui et in fine Epistolae respondet *Deo gratias* et recitato Graduali missale per planum transfert ad cornu Evangelii, genuflexione in medio ante gradus facta.

5. Circa finem ultimae Orationis minister primus accipit librum de credentia, et facta genuflexione in medio ante altare in plano, cantat Epistolam loco et more solito. Qua cantata non osculatur manum Celebrantis neque ab eo benedicitur, sed facta genuflexione in medio ante altare, ut prius, librum immediate defert ad credentiam[6] et revertitur ad locum suum.

6. Ad *Credo* ambo Celebranti hinc inde assistunt et dum recitato a Celebrante Symbolo cantantur a choro verba *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est* simul cum Celebrante in genua procumbunt in ora suppedanei (in supremo gradu altaris) cum mediocri, id est capitis et modica humerorum inclinatione.[7] Deinde assurgunt simul cum Celebrante et descendunt ad loca sua, genuflexione in medio ante gradus facta. Si fiat sessio, vide regulam generalem 4.

7. Dicto a Celebrante ante Offertorium *Oremus*, accedunt, genuflexione simplici in medio ante gradus facta, ad credentiam. Minister primus calicem suo velo coopertum (sine velo humerali oblongo) cum bursa ad altare defert, prope Celebrantem collocatum discooperit et velum plicatum a dexteris corporalis prope candelabra deponit, nisi Celebrans ipse hoc faciat. Deinde ampullas vini et aquae a ministro altero interim allatas Celebranti ministrat cum osculis consuetis ante et post, quin tamen osculetur manum Celebrantis.[8] Caveat omnino, ne calicem abstergat, nec vinum aut

[6] *Rit. cel.* miss. VI. n. 8. — [7] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 3. et 4. Cf. *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 1. Soc. Sales. (*Eph. lit.* 1906 pg. 208.) — [8] *Rit. cel.* miss. VII. n. 4.; *S. R. C.* 16. Nov. 1906 ad 2. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 65.)

aquam infundat, nec patenam cum hostia aut calicem cum vino Celebranti tradat.[9] Cf. reg. gen. 5. Potest tamen hac tantum vice calicem palla tegere.[10] Ad manuum lotionem primus ministrat ampullam aquae cum bacili, alter manutergium explicatum, inclinatione facta ante et post. Deinde genuflexi in medio infimo gradu respondent ad *Orate fratres,* quo dicto minister primus redit ad locum suum, alter vero ascendit ad sinistram Celebrantis eique assistit ad librum.

8. Ante elevationem, si praeter Clericos ministrantes alii pro intortitiis deferendis non adsint, intortitia non accenduntur, et eorum loco candelae in majoribus candelabris ante altare positae, accendi possunt[11] et post elevationem amoventur. Videsis n. 50. notam 25.

9. Ad elevationem ss. Sacramenti genuflexi in ora suppedanei posteriorem partem casulae Celebrantis elevant, minister primus campanulam pulsat sicut ad Sanctus. Post elevationem ambo consurgunt, minister secundus accedit ad missale, ibique Celebranti assistit usque ad Communionem inclusive, genuflectens quandocunque Celebrans genuflectit (reg. gen. 3.). Minister primus vero accedit ad locum suum, ubi deinceps genuflexus permanet. Quum paulo ante sumptionem ss. Sanguinis Celebrans calicem detegit, surgit et, facta eodem tempore cum Celebrante simplici genuflexione in plano ante medium altaris, pergit ad credentiam et, acceptis inde ampullis, Celebranti post sumptionem Sanguinis ministrat vinum et aquam, sicut in Missa privata. Ampullis in credentia repositis in plano accedit ad cornu Evangelii, in transitu genuflexione in medio ante gradus facta, calicem a Celebrante[12] extersum cooperire suisque ornamentis instruere potest et per planum ad credentiam defert, facta in transitu debita genuflexione in plano ante gradus altaris. Deinde revertitur ad locum suum. Mi-

[9] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 4. (*Eph. lit.* 1906 pg. 263.) — [10] *S. R. C.* ibid. ad 2. et 4. — [11] *Herdt* l. c. — [12] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 2. (*Eph. lit.* 1906 pg. 263.) et 18. Apr. 1902 ad 1. Ord. Minor. Capuc. (*Eph. lit.* 1903 pg. 133.)

nister alter vero sumpta a Celebrante ablutione statim missale a cornu Evangelii transfert ad cornu Epistolae non omittens in transitu ante gradus altaris genuflexionem debitam in plano et Celebranti assistit in legenda Communione et Postcommunione.

10. Infra benedictionem ambo ante medium altaris genuflectunt, tum surgunt et ad ultimum Evangelium Celebranti assistunt more solito.

11. Finita Missa, postquam Celebrans per gradus descendit, primus ei biretum cum osculis consuetis porrigit, et ambo, facta in plano genuflexione, ante Celebrantem more solito in sacristiam procedunt.

Caput IV.

De Clerico munere Subdiaconi fungente in Missa solemni.

70. Ut loco Subdiaconi in Missa solemni Clericus deputari possit, tria requiruntur: *a)* ut adsit rationabilis causa; *b)* ut Clericus sit in minoribus ordinibus constitutus aut saltem sacra tonsura initiatus; *c)* ut manipulo non utatur.[1]

1. Decreta antiquiora substitutionem hujusmodi non admittebant nisi exstante vera, imo absoluta et praecisa necessitate.[2] Quam necessitatem liturgistae melioris notae non de gravissima et extrema necessitate intelligendam esse putabant, sed ita, ut pro Missa solemni, quae vel ex obligatione vel ex consuetudine vel solemnitatis ratione celebranda est, Subdiaconus praesto non sit, aut officio illo fungi recuset,[3] non tamen in gratiam Clerici,[4] quatenus Subdiaconus ideo munere suo fungere nollet, ut praesenti aliquo Clerico hoc munus assistendi offerri posset. Quam interpretationem S. R. Congregatio approbavit, ita ut hodie quaevis causa rationabilis[5] sufficiat ad licite exer-

[1] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 1. 2. (*Eph. lit.* 1906 pg. 262.) — [2] *S. R. C.* 5. Jul. 1698 ad 13. n. 2002., 18. Dec. 1784 ad 1. n. 2525., 22. Jul. 1848 ad 4. n. 2965., 17. Jul. 1894 ad 7. n. 3832. — [3] *Eph. lit.* 1900 pg. 286. et 1902 pg. 466. n. 1. — [4] *S. R. C.* 18. Dec. 1784 ad 1. n. 2525. — [5] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 1. cit.

cendum a Clerico officium Subdiaconi in Missa solemni. E. g. Festum magnum celebratur et populus aegre ferret, si Missa solemnis a Sacerdote absque Ministris decantaretur; nullus adest Minister in sacris, qui uti Subdiaconus deserviat; vel adest quidem Sacerdos, sed aut aetate valde provectus inhabilis jam ad ministerium explendum, vel scholae cantorum praeesse debet, alioquin Missa qua par est solemnitate decantari nequiret. Item adsunt quidem Sacerdotes, sed ipsi vel cantui vel confessionibus excipiendis vel aliis sacri ministerii operibus incumbere debent.[6]

2. Data causa rationabili sufficit, ut Clericus sit saltem sacra tonsura initiatus. Vide n. **79.** Si tamen alicubi duo adsint Clerici, uterque debite instructus, unus simpliciter tonsuratus, minorista alter, hic illo praeferendus est, quia constitutus in ordinibus minoribus propior est Subdiacono quam simpliciter tonsuratus. Tonsura enim est quidem initiatio ad sacra, sed non ordo. Substitutus itaque omni in casu paratus esse debet omnibus vestibus subdiaconalibus, videlicet amictu, alba, cingulo et tunica, excepto tamen manipulo, Subdiaconi indumento proprio.

3. Clericus pro Subdiacono inserviens omnia, quae ad Subdiaconum ex Rubricis spectant, rite expleat, hisce exceptis: *a)* Calicem ante Offertorium non abstergat,[7] fiat hoc per Diaconum; *b)* aquam ante Offertorium in calicem non infundat, quod in casu Diaconus praestabit; *c)* calicem ipsum infra actionem i. e. ab incepto Canone usque ad ablutionem inclusive, nunquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat; *d)* post ablutionem calicem non abstergat (abstergente ipso Celebrante), sed tantummodo illum componat more solito coopertumque velo et bursa ad credentiam deferat.[8]

4. Finito Sacro, Celebrantem praecedit in sacristiam, unde, factis reverentiis Cruci et Celebranti, redit ad altare missalia et calicem inde delaturus.

---

[6] *Eph. lit.* 1906 pg. 266. — [7] Cf. *Eph. lit.* 1906 pg. 268. — [8] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 2.

Caput V.

De Ministro inserviente Missae privatae.

§ 1. De munere et qualitate ministrorum inservientium.

71. Licetne Missam celebrare sine ministro?

Non licet, quia Rubrica docet: „Sacerdos accedit ad altare ministro praecedente.“[1] Excipiuntur tamen communiter tres casus, in quibus illicitum non est, celebrare sine ministro inserviente, si scilicet urgeat: *a)* necessitas ministrandi Viaticum, *b)* obligatio audiendi Missam diebus praeceptis, *c)* si minister ab altari discesserit intra Missam. Extra hos casus non licet absque ministro Sacrum facere, sed omnino assumi debet minister isque masculus, ita ut grave peccatum sit, aut nullum habere ministrum, aut feminam ministrandi causa admittere ad altare.[2] Feminam inservire Missae, a Rubrica enumeratur inter defectus Missae.[3] Urgente necessitate, ita ut Sacerdos ob defectum ministri masculi a celebratione prorsus abstinere cogeretur, potest quidem femina, praesertim sanctimonialis, respondere a longinquo extra cancellos, non ad altare, sed tunc Sacerdos in altari omnia praevie praeparata ipse sibi subministret.[4] Ad altare ministrare feminam, e. g. porrigere urceolos, nullo pacto permittitur, sed necessitate urgente Sacrum peragatur potius sine ministro, quam cum femina ministrante.[5] Celebrare cum ministro respondere nesciente licet ex minori necessitate, quam sine ullo ministro.[6] Incepta Missa licet pergere in celebratione sine ministro, si iste abscesserit nec brevi sit reversurus.

72. Quot ministri admittendi sunt in Missa privata?

De jure solis Episcopis private celebrantibus competit, duos habere ministros. Reliqui omnes unico con-

---

[1] *Rit. cel.* miss. II. n. 1. — [2] *S. Alphonsus* Theol. mor. tom. VI. n. 391. et 392. — [3] *De Defectib.* X. n. 1. — [4] *S. R. C.* 27. Aug. 1836 ad 8. n. 2745. et 18. Mart. 1899 ad 6. n. 4015. — [5] *S. Alphonsus* l. c. n. 392. — [6] Ibid.

tenti sint ministro, ita ut neque Vicario generali, neque Dignitati vel Canonico, sive sint Protonotarii sive non, et a fortiori nec Sacerdoti simplici licitum sit, in Missis privatis duos adhibere ministros[7] sine privilegio apostolico.[8] Sed hoc intelligendum est de Missis stricte privatis. Quoad Missas vero conventuales, parochiales vel similes diebus solemnioribus et quoad Missas, quae celebrantur loco solemnis atque cantatae occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis, e. g. pro aliqua pia consociatione, occasione nuptiarum, aut ad gratias Deo agendas etc., fas est uti ministerio duorum inservientium.[9]

73. Qualis sit minister Missae privatae?

1. Ex mente Ecclesiae minister inserviens deberet esse Clericus, sed quum non ubique habeatur minister hujusmodi, admittitur etiam minister laicus honestus et devotus. Rubrica enim disserens de causis Sacerdotem a celebrando impedientibus ait: „si non adsit Clericus vel alius deserviens in Missa".[10]

2. Sit bene versatus in iis, quae sunt sui muneris. Turpe enim est, audire ministros in responsis ita balbutientes, ut nullum sensum reddant, aut tam festinanter omnia absolventes, ut praecise prima et ultima verba proferant. Dicunt tamen auctores, ne Celebrans scrupulum sibi faciat, si minister male pronuntiet; sed si commode fieri possit, ipse suppleat, secus abstineat a correctione, ne se aliosve turbet.[11]

3. Sit honeste vestitus. Hoc enim exigit dignitas sacrificii. Quis enim sine scandalo videret nonnullos ad altare ministrantes illotis manibus et facie, indiscriminata caesarie, cum calceis ligneis et denudatis cruribus? Reflectant Sacerdotes, an tales ministros in mensa profana sibi servire paterentur.[12] Vide num. seq. regulam primam.

---

[7] *S. R. C.* 27. Sept. 1659 ad 21. n. 1131. et 27. Apr. 1818 ad 6. n. 2583. — [8] Privilegio hujusmodi condecorantur Protonotarii apostolici ad instar Romae degentes et Canonici patriarchalium basilicarum Urbis. — [9] *S. R. C.* 12. Sept. 1857 ad 7. n. 3059. — [10] *De Defectib.* X. n. 1. — [11] *S. Alphonsus* l. c. n. 391.; *Lehmkuhl*, Theol. mor. II. n. 244. — [12] *Eph. lit.* 1887 pg. 644.

§ 2. Regulae quaedam pro ministris inservientibus Missae privatae.

74. In Missis privatis ordinariis:

1. Minister Missae inserviens, sive sit tonsuratus sive non, ex mandato Rubricae[1] veste talari et superpelliceo indutus sit oportet, nisi pro fratribus laicis alicujus familiae religiosae obstent specialia statuta usum superpellicei prohibentia, licet veste talari utantur.[2] Ex necessitate tamen admitti possunt etiam laici in habitu communi, dummodo sit decens (vide n. praec. ad 3.), nisi agatur de Missa privata celebrata cum canone, palmatoria aliisque similibus,[3] et de Missa conventuali, licet lecta,[4] in quibus a lege omnino requiritur superpelliceum super veste talari. Quibus Missis adnumerari possunt Missae privatae coram exposito Sanctissimo omnesque Missae, in quibus assumi possunt duo ministri juxta dicta sub. n. **72.**, etiamsi unus tantum adhibeatur.

2. Locus ejus est ante gradus anteriores altaris in parte missali opposita: ergo ab incepto Evangelio usque ad Communionem Celebrantis inclusive in cornu Epistolae, alias in cornu Evangelii, ibique in primo gradu (in exordio Missae in plano) manibus ante pectus junctis oculisque ad altare intentis genuflexus permanet, excepto utroque Evangelio, infra quod stat, et nisi alibi sit occupatus.

3. Ad altare, in quo Sanctissimum non est expositum, unico genu flectere debet in accessu ante Missam, in recessu ab eodem post Missam, in quovis transitu ante medium intra Missam,[5] Abstinet ergo a genuflexione, quando a loco suo accedit ad abacum ampullas ad altare allaturus. Quae genuflexiones simplices semper faciendae sunt in plano, non in primo gradu.[6]

---

[1] *Rit. cel.* miss. II. n. 1. — [2] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 2. (*Eph. lit.* 1907 pg. 67. sq.) — [3] *S. R. C.* 11. Dec. 1885 ad 6. n. 3647. Nonnullis Praelatis et Canonicis conceditur privilegium canonis, palmatoriae etc. etiam in Miss's privatis. — [4] *S. R. C.* ibid. ad 7. et 7. Sept. 1861 ad 3. n. 3108.; *Eph. lit.* 1896 pg. 708. sq. — [5] *S. R. C.* 16. Nov. 1906 ad 1. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 65.) — [6] Cf. *S. R. C.* 14. Jan. 1898 ad 1. n. 3975.

4. Celebranti sese conformare tenetur: *a)* in faciendis inclinationibus et signationibus sui ipsius, quotiescunque Celebrans sese inclinat aut signat voce clara aliquid proferens, excepto *Confiteor* Celebrantis; *b)* in pectoris percussione ad *Agnus Dei* tantum; *c)* in genuflexionibus a Celebrante exequendis, dum ipse minister stat, e. g. si genuflexio facienda occurrat in alterutro Evangelio.

5. Dum ad Offertorium vinum et aquam ministrat, stans in gradu suppedaneo proximo,[7] ampullas porrigit,[8] circa inferiorem partem eas sustinens, ut Celebrans facilius eas accipiat circa medium vel per ansam. Porrigit autem dexterâ primo ampullam vini, qua recepta in sinistram, dexterâ porrigit ampullam aquae.

6. Tam in porrigendo quam in recipiendo, non osculata manu Celebrantis, osculetur utramque ampullam,[9] nisi sit Missa de Requie[10] aut coram exposito Sanctissimo,[11] quia tunc haec oscula omittuntur tamquam actus mere reverentiales.

7. Ministro non licet missale aperire ad designandam Missam, nec quaerere partes Missae, e. g. Communionem pro commoditate Celebrantis, nec calicem praeparare, aquam infundere etc., etiam si sit presbyterali, diaconali aut subdiaconali dignitate insignitus.[12] Quae omnia in Missa privata spectant ad Celebrantem.

75. In Missis privatis coram exposito Sanctissimo:

Praeter ea, quae dicta sunt in numero praecedenti, minister observet etiam sequentia:

1. In primo accessu ad altare expositi ss. Sacramenti et in ultimo recessu ab eodem genu-

[7] Non in suppedaneo, ne impediat Celebrantem, qui in cornu Epistolae vinum infundere debet. (*Rit. cel.* miss. VII. n. 4.) — [8] Celebrans enim eas non de altari, sed de manu ministri accipere debet. (*Rit. cel.* miss. ibid.) — [9] *Rit. cel.* miss. VII. n. 4.; *S. R. C.* 16. Nov. 1906 ad 2. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 65.) — [10] *S. R. C.* ibid. ad 3. — [11] *Cf. Gardellini*, Comment. XXX. n. 14. — [12] *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 5. 6. n. 2572. et 11. Maj. 1878 ad 14. n. 3448.

flectat utroque, intra Missam unico genu,[13] semper in plano.[14]

2. Transferens missale a cornu ad cornu unicam facere debet genuflexionem (simplicem) in plano ante medium altaris, non autem in accessu ad cornu et recessu.[15]

3. Ad Offertorium et Purificationem ascendens cum ampullis ad altare et descendens, tam ante ascensionem quam post descensionem in plano genuflexionem (simplicem) faciat.[16]

4. Ad *Lavabo* stat in plano ad cornu Epistolae tergo verso ad populum, nisi Celebrans, ex consuetudine vigente, remanserit in supremo gradu, quo in casu ad eum accedit, non omissa debita genuflexione ante et post ascensionem juxta regulam tertiam praecedentem.

5. Oscula ampullarum omittuntur. Recole dicta n. **74.** reg. 6.

76. Quomodo et quando pulsanda est campanula occasione Missae?

Regula generalis: Campanulae pulsatio non fiat cum strepitu neque per longius tempus (nisi hoc ultimum fiat e. g. in translatione Sanctissimi), sed tenuiter breviterque, maxime tempore, quo plures Missae in eadem ecclesia simul celebrantur.

1. Ex consuetudine fere ubique recepta minister Celebrantem ad altare accedentem, Sanctissimo sive exposito[17] sive non exposito, signo campanulae ad fores sacristiae annuntiat populo exspectanti.

2. Intra Missam ex mandato Rubricae campanula bis tantum pulsanda est: primo nempe ad *Sanctus*[18] ad excitandos adstantium animos ad proxima Mysteria; secundo ad utramque elevationem ss. Sacramenti,[19] ut fideles commonefiant ad illud adorandum.

---

[13] *S. R. C.* 7. Jul. 1877 ad 6. n. 3426. — [14] *S. R. C.* 14. Jan. 1898 ad 1. n. 3975. — [15] *S. R. C.* ibid. Dub. I. ad 1. — [16] *S. R. C.* ibid. Dub. I. ad 2. — [17] *Instruct. Clement.* XVI. — [18] *Rit. cel.* miss. VII. n. 8. — [19] Ibid. VIII. n. 6.

3. Ad elevationem, vult Rubrica,[20] ut pulsetur campanula vel ter ad unamquamque elevationem i. e. ad primam genuflexionem, ad elevationem et ad posteriorem genuflexionem in utroque casu, vel continuate quousque Sacerdos deponat sacram Speciem, nempe a genuflexione elevationem praecedente usquedum Celebrans ss. Hostiam vel Calicem deponat.

4. Praeter casus supra ad 2. enumeratos alicubi campanula pulsari solet etiam ad Offertorium et ad *Domine non sum dignus*.[21] Quae consuetudo quum non sit contra sed praeter Rubricas, nonnisi annuente Ordinario, minime vero a singulis Sacerdotibus proprio Marte aboleri potest.

77. Usus campanulae interdicitur:

1. In Missis coram patenter exposito Sanctissimo cum vel sine cantu celebratis, tam in ipso expositionis altari[22] quam in aliis altaribus durante expositione, licet in hisce nullum adsit periculum irreverentiae erga Sanctissimum expositum.[23]

2. In Missis tempore divini Officii celebratis in altaribus prope chorum positis.[24]

3. In Missis privatis celebratis occasione piae supplicationis per ecclesiam habitae.[25]

4. In Missis, quae tempore Absolutionis ad feretrum celebrantur in altaribus vicinioribus.

5. In nonnullis dioecesibus statutum est, ut in ecclesiis majoribus (cathedrali, collegiatis, regularibus etc.), in quibus eodem tempore plures Missae celebrantur, signum campanulae ad principaliores partes Missae detur nonnisi ad Sacrum principale, ad Sacra vero reliqua ad elevationem dumtaxat.[26]

---

[20] Ibid. — [21] Adnotare juvat, decretum antiquae Collectionis n. 5224. admittens pulsationem campanulae ad verba *Domine non sum dignus* et quotiescunque administratur s. Communio in novissima Collectione authentica eliminatum esse. — [22] *S. R. C.* 11. Maj. 1878 ad 2. n. 3448. — [23] *S. R. C.* 31. Aug. 1867 ad 10. n. 3157.; *Instruct. Clement.* XVI.; *Gardellini*, Comment. XXX. n. 28. — [24] *S. R. C.* 21. Nov. 1893 Dub. I. ad 2. n. 3814. In ipso altari chorali Missae privatae tempore recitationis Officii celebrari vetantur. Ibid. ad 1. — [25] Ibid. Dub. II. — [26] Ita in Dioecesi Labacensi. Synod. Dioeces. II. pg. 26.

Sectio tertia.

De Ministris sacris.

78. Ministri sacri nuncupantur Diaconus et Subdiaconus,[1] iique in Missa solemni omnino adhibendi sunt et consuetudo contraria, Missam solemnem celebrandi cum solo Diacono vel solo Subdiacono, quum praesto non sit aliquis ministrorum, non est toleranda.[2] Induuntur super vestem talarem amictu, alba, cingulo, Diaconus insuper manipulo in brachio sinistro et stola, quam praevie in medio, ubi crux est, deosculatam defert modo diaconali i. e. ab humero sinistro pendentem et sub brachio dextero conjunctam, et dalmatica; Subdiaconus vero assistit sine stola, etiamsi Sacerdos esset, sed in Missa[3] cum manipulo, si sit in ordine subdiaconatus saltem constitutus, secus sine manipulo,[4] et cum tunicella. Dalmatica et tunicella hodie quoad formam vix discrepant, et induuntur ita, ut prius immittatur caput, dein brachium dexterum, postea sinistrum.[5] Manipulus a Ministris sacris assumendus est post dalmaticam et tunicellam[6] et aptandus ad ulnam, nempe inter pulsum et cubitum. Si ante Missam facienda sit Aspersio aquae benedictae, manipulus assumitur post Aspersionem.

---

[1] *Bauldry*, Manual. pars 1. cap. 11. n. 1. — [2] *S. R. C.* 14. Mart. 1861 ad 2. n. 3104. Ex altera parte non licet ultra Diaconum et Subdiaconum pro majori decore aliquos Sacerdotes pluvialibus indutos in Missis solemnibus adhibere. *S. R. C.* 10. Jan. 1852 n. 2996. — [3] Extra Missam enim non est manipuli usus. — [4] *S. R. C.* 5. Jul. 1698 ad 13. n. 2002. Recole dicta n. 70. — [5] Induendo dalmaticam Diaconus potest dicere: „*Indue me, Domine, indumento salutis et vestimento laetitiae, et dalmatica justitiae circumda me semper.* Induendo tunicellam Subdiaconus potest dicere: *Tunica jucunditatis et indumento laetitiae induat me Dominus.* — [6] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 1. et lib. 2. cap. 8. n. 23.

79. Exstante rationabili causa vices Subdiaconi in Missa solemni agere potest simplex Clericus tonsuratus tantum, sed absque manipulo, uti supra n. **70.** innuimus. Quod privilegium vero extendendum non est ad illos sic dictos Clericos regulares, qui, quamvis aliquando professi, Clerici vere tales non sunt, utpote tonsura non initiati.[7] Tamquam abusus omnino eliminanda est consuetudo, adhibendi duos laicos indutos vestibus sacris (excepta stola et manipulo), quorum alter Diaconi alter Subdiaconi munere fungere censetur, quin tamen aliquam functionem ad hos sacros ordines pertinentes obeant;[8] item altera consuetudo, loco Missae solemnis, ad evitandam diuturniorem moram, celebrandi Missam lectam eidem inservientibus Diacono et Subdiacono dalmatica et tunicella indutis.[9]

Agimus in hac sectione solummodo de officio Ministrorum sacrorum in Missa solemni ordinaria, pontificali et coram Episcopo; de eorum officio in Missis coram exposito ss. Sacramento et in Missis de Requie aptius agemus in sectione quarta, ubi sermo instituetur simul de officio Celebrantis in Missis hujusmodi. Brevi calamo explicabimus in hac sectione etiam officia Presbyteri assistentis et Diaconorum assistentium in Missa pontificali.

Tractatus I.

De officio Ministrorum sacrorum in Missa solemni.

Caput I.

Regulae generales pro Ministris sacris.

80. — 1. Quotiescunque Diaconus et Subdiaconus, qui non sunt Canonici ecclesiae cathedralis, ex aliquo loco extra altare accedunt ad medium altaris, e. g.

---

[7] *S. R. C.* 22. Jul. 1848 ad 4. n. 2965. — [8] *S. R. C.* 11. Sept. 1847 n. 2952. — [9] *S. R. C.* 21. Jul. 1855 ad 1. n. 3031.

in primo accessu e sacristia, post sessionem, vel a medio altaris recedunt ad alium locum extra altare, e. g. ad cantandum Evangelium, ad dandam Pacem, finita Missa ante regressum in sacristiam, simpliciter genuflectunt ad altare, in principio et fine Missae in plano, intra Missam in primo gradu,[1] sive in altari adsit tabernaculum cum ss. Sacramento incluso sive non. Unde genuflectere non tenentur Ministri sacri, quando post *Kyrie eleison* immediate a cornu Epistolae via breviori ad sedes sunt accessuri, neque Subdiaconus, dum ante Offertorium calicem de credentia affert ad altare, quia in his casibus accessus et recessus fit in cornu (in latere), non in medio altaris.

2. Ante Consecrationem et post Communionem genuflectunt insuper, quotiescunque transeunt[2] ante medium[3] altaris sive in suppedaneo, e. g. infra incensationem altaris, sive in gradibus, e. g. in translatione missalis a cornu ad cornu, sive habeatur in altari tabernaculum cum Sanctissimo incluso sive prorsus non. Quare genuflexiones reliquae, quas plerique perficiunt, postquam ad altare peracta Confessione conscenderint, vel post intonatum *Gloria, Credo* et ad *Sanctus,* antequam ascendant ad altare, item quotiescunque accedunt a cornu ad medium altaris et vice versa, (si modo illas excipias, quas Subdiaconus efficit ante et post Epistolam), sunt omittendae, nisi ss. Sacramentum adsit expositum, utpote a Rubricis nequaquam admissae, quia non transitur ante medium altaris.

3. A Consecratione usque ad Communionem genuflectunt semper in loco, a quo discedunt, non in loco, ad quem accedunt,[4] nisi transeant ab uno latere Celebrantis ad alterum, in quo casu genu-

[1] Cf. *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 47. n. 2682. — [2] *S. R. C.* 9. Jun. 1899 ad 1. n. 4027. — [3] Per „medium" altaris hic intelligitur locus, qui medio correspondet, sive sit prope mensam altaris sive in gradibus sive in plano. Item ille ad medium accedere censetur, qui accedit ad latus Celebrantis in medio stantis. — [4] *S. R. C.* ibid. ad 2. et 3.

flectunt utrimque[5] i. e. in loco, a quo recedunt et in loco, ad quem accedunt.

4. Sive ante sive post Consecrationem jugiter ab iis est genuflectendum, quotiescunque Celebrans genuflectit, dummodo proxime ei assistant ad latus ejus.[6]

5. Nunquam, nec in genuflexionibus faciendis, manus super mensam altaris ponant, quod licet soli Celebranti, sed manus ante pectus junctas teneant etiam genuflectentes, et, si alterutra sit occupata, alteram pectori admoveant.

6. Accedentes ad medium altaris vel a medio recedentes ad capitis inclinationes faciendas non tenentur neque ante neque post hujusmodi accessum vel recessum, nisi haec reverentia specialiter sit praescripta. Vide reg. seq.

7. Ad capitis vel humerorum inclinationes et crucis signationes simul cum Celebrante faciendas Diaconus et Subdiaconus non sustinens patenam, sive stent juxta sive post Celebrantem, tenentur solummodo tunc, quando Celebrans caput vel humeros inclinat aut se signat aliquid cantans vel juxta Rubricas clara aut submissa (non secreta) voce proferens.[7] Item conformare sese debent Celebranti sese inclinanti, quotiescunque a choro cantantur ea, quae praefatas reverentias exigunt.

8. Quoad pectoris percussiones simul cum Celebrante exsequendas definitum est, Ministros sacros teneri pectus percutere tantum ad *Agnus Dei*.[8]

9. Quando Ministri sacri retro post Celebrantem stare debent, unus post alterum linea recta se sistit in l o c o s u o i. e. Diaconus in secundo gradu, qui est primus a suppedaneo, Subdiaconus in plano ante infimum gradum, sive in medio altaris sive in cornu Epistolae. Quando descendere debent a gradu ad gradum, caveant, ne directe retrocedant, sed conversi ad dexteram vel sinistram, prout circumstantiae exigunt,

[5] *S. R. C.* ibid. ad 1. — [6] *Eph. lit.* 1904 pg. 546. — [7] *S. R. C.* 29. Maj. 1900 ad 5.; *Eph. lit.* 1900 pg. 172. sq. et pg. 531. sq. et 1902 pg. 222. sq. — [8] *S. R. C.* 30. Dec. 1881 ad 3. n. 3535.

descendant aspicientes locum, ad quem est descendendum.[9]

10. In associatione Celebrantis pluviali induti fimbrias pluvialis anteriores elevant, sive Sanctissimum deferat[10] sive non.[11] Qua in actione nullatenus praecedant, Celebrantem quasi post se trahentes, sed eum concomitentur in pari distantia collaterales, nisi ob angustiam loci unus post alium, primo Subdiaconus, dein Diaconus, postremo Celebrans incedere cogantur, quo in casu fimbriae pluvialis dimittuntur.

11. Si sedeat Celebrans, sedeant etiam Ministri sacri. Ad sedes (scamnum) pergunt et ab iisdem redeunt simul cum Celebrante semper capite detecto,[12] sive sit Sanctissimum expositum sive non.

Ante sessionem genuflectunt simpliciter ad altare, sive adsit Sanctissimum sive non, idque in suppedaneo, si accedant ad sedes a medio altaris via breviori i. e. per gradus laterales, accedentes vero via longiori i. e. per gradus anteriores[13] genuflectunt in primo (infimo) gradu; genuflexionem prorsus omittunt, si accedant ad sedes non a medio, sed a cornu altaris, ut ad *Kyrie eleison* (cf. reg. gen. n. 1.). Accedunt unus post alium, scil. praecedit Subdiaconus, sequitur Diaconus, deinde Celebrans.[14] Primus sedet Celebrans tradito sibi prius cum osculis consuetis a Diacono bireto et elevata ab eodem Diacono manu sinistra et a Subdiacono manu dextera posteriore casulae parte, ne super ea sedeat. Deinde sedent Ministri, facta sibi invicem parva capitis inclinatione, veluti ad sedendum invicem se invitantes, biretum de sede sumptum interim utraque manu ante pectus tenentes.

---

[9] *Bauldry*, pars. 1. cap. 11. n. 16.; *Falise*, l. c. n. 10. — [10] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 8.; *S. R. C.* 15. Sept. 1742 n. 2368.; *Instr. Clement.* § XIX. — [11] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 3. n. 1. et cap. 16. n. 15. — [12] *S. R. C.* 21. Mart. 1676 ad 1. n. 1563. et 12. Nov. 1831 ad 13. n. 2684. — [13] Scil. ob situm sedis non in latere Epistolae e regione altaris, sed in anteriori parte presbyterii positae. — [14] Si transeant ante chorum ante altare positum, Chorales hinc inde capitis inclinatione salutant, quae salutatio tempore expositionis Sanctissimi omittitur.

Infra sessionem caput cooperiunt, nisi expositum sit ss. Sacramentum; manus extensas tenent prope genua super dalmaticam resp. tunicellam; oculos in terram demissos habent et caput detectum inclinant toties, quoties a cantoribus cantantur ea, quae inclinationem exigunt,[15] tenentes interim biretum dextera prope genu dexterum. Si alteruter surgit facturus aliquid sui muneris, surgat et alter, qui stans persistat in loco suo biretum ambabus manibus tenens ante pectus, donec socius redierit,[16] post cujus reditum ambo iterum sedent, non omittentes parvam inclinationem ad invicem ante discessum et post adventum.

Sessione finita capite detecto surgunt, antequam Celebrans se elevet a sede sua, et bireta deponunt in sede. Redeunt ad altare unus post alium, ut supra, semper via longiori i. e. per planum presbyterii ad medium altaris, non omittentes (Sanctissimo non exposito) debitas salutationes Choralibus, ante quos transeunt.[17] Ad angulum gradus infimi perveniens Diaconus uno circiter passu recedit ab eo, spatium transeundi praebens Celebranti, deinde simul cum Subdiacono omni in casu, sive Sanctissimo tam incluso quam exposito sive Cruci altaris, simpliciter genuflectit in primo gradu et unusquisque accedit in locum suum.

12. In actionibus communibus conformitatem inter se et cum Celebrante, quantum fieri potest, servare studeant, una simul genuflectendo, se inclinando, de sede assurgendo et procedendo. Quae conformitas ut servari possit, inferior superiori se conformare debet, ita ut, si actio sit Celebranti et Ministris communis, actio Celebrantis sit regula, cui Ministri sese conforment; et si actio Diacono et Subdiacono sit communis, Subdiaconus Diacono se conformet. Si Celebrans et Diaconus actiones negligenter exerceant, easdem omittendo vel debito majores vel minores faciendo, tunc aliis actiones quoque omittere vel ma-

[15] *S. R. C.* 27. Jul. 1878 ad 3. n. 3457. — [16] Cf. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 8. n. 3. et lib. 2. cap. 8. n. 54. — [17] Cf. notam 14.

jores aut minores facere saepius expedit, ne major fiat difformitas et confusio.[18]

13. Abusus est omnino reprobandus ad altare breviarium[19] vel rosarium manu tenere ad recitanda ea. Quod valet pro omnibus Ministris tum superioribus tum inferioribus ad altare assistentibus.

De danda et accipienda Pace consule sect. III. tract. 2. cap. 2. De osculis manuum et instrumentorum lege sect. III. tract. 2. cap. 3.

Caput II.

De praeparandis ad Missam solemnem.

81. Duo missalia praesto sint, unum pro Celebrante, pro Ministris sacris alterum. Diaconus simul cum Caeremoniario in missali Celebrantis perquirat Missam, Commemorationes, Praefationem, disponat signacula et sic perquisita inspicienda praebeat Celebranti. Dehinc altero in missali perquirat Evangelium, quod est ipse cantaturus, illudque perlegat, ne postea erret in cantando. Quod pari modo faciat Subdiaconus respectu Epistolae in Missa cantandae ex eodem missali. Subdiaconi insuper est calicem praeparare, quod ceterum licet etiam Clerico saltem tonsurato.[1] Omnibus sic paratis et dispositis, per Caeremoniarium vel per alium Clericum[2] ad altare deferuntur: calix velo suo coopertus[3] in medio abaci seu credentiae collocandus, velum humerale pro Subdiacono, ambo missalia, quorum illud Celebrantis apertum[4] in altari ponitur in cornu Epistolae, alterum vero clausum in credentia a parte dextera. Ad sinistram in credentia adsit pelvicula cum ampullis et manutergio. Quae omnia ita collocentur in credentia, ut posteriori in

[18] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 303. — [19] Cf. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 5. n. 4. quoad chorum, a fortiori ergo quoad Missam.

[1] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 1. (*Eph. lit.* 1907 pg. 67.) — [2] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 15. n. 14. — [3] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 5.; *Eph. lit.* 1906 pg. 269. — [4] *Rit. cel.* miss. II. n. 5.

parte sufficiens relinquatur spatium pro collocandis hinc inde Ceroferariorum candelabris.[5]

82. Credentia praeparanda est a latere Epistolae in plano presbyterii, sine gradibus, sine Cruce vel Imaginibus, cooperta linteo mundo usque ad terram circumcirca pendente.[6] Deficiente credentia calix ante Missam e sacristia immediate ad altare defertur, reliqua vero apto quodam in loco deponantur.[7]

Caput III.

De Diacono et Subdiacono in Missa solemni.

§ I. De Ingressu et Aspersione usque ad Introitum.

83. — 1. Vestibus sacris sumptis et omnibus ad Sacrum paratis, si Celebrans ob vigentem consuetudinem voluerit thus imponere,[1] **Diaconus** ministrat naviculam apertam, Thuriferarius a dexteris Diaconi autem thuribulum. **Diaconus** detecto capite parum inclinatus versus Celebrantem dicit *Benedicite Pater reverende,* tradens illi cochlear cum osculis consuetis, uti infra dicetur ad Introitum. Incenso imposito **Diaconus** et **Subdiaconus** bireta ante pectus tenentes, caput Cruci sacristiae profunde, Celebranti vero mediocriter inclinant, caput cooperiunt et progrediuntur ad altare praecedentes Celebrantem, manibus junctis ante pectus et oculis demissis. Si Aspersio aquae benedictae ad altare facienda non sit, **Diaconus** ad fores sacristiae capite detecto aquam digito medio dexterae a Caeremoniario oblatam vel immediate e vase sumptam Celebranti offert, dein se signat et procedit. **Subdiaconus** eam accipit immediate a Caeremoniario. Si Celebrans indutus sit pluviali ob Aspersionem aquae lustralis ad altare faciendam, **Diaconus** sinistra, **Subdiaconus** dextera pluvialis fimbrias elevat, altera manu super pectus posita. Si vero Celebrans indutus sit ca-

[5] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 12. n. 19. vult, ut haec omnia cooperiantur velo, quo uti debet Subdiaconus post Offertorium. — [6] Ibid. — [7] *Carpo,* pars 2. n. 129.

[1] Coll. dicta in sect. IV. tract. 4. cap. 1. ad 1.

sula et locus angustus, Subdiaconus Diaconum, hic Celebrantem praecedat.[2] Si aditus ad altare sit a parte Evangelii, **Subdiaconus** detecto capite ante infimum gradum altaris in cornu Evangelii aliquantulum recedit, ut Diaconus et Celebrans transire possint; si vero aditus sit a parte Epistolae, **Diaconus** detecto capite ante infimum gradum altaris in cornu Epistolae Celebranti transitum praebet.[3] Si transeundum sit ante altare, in quo reconditum est ss. Sacramentum, omnes simul subsistunt et capite detecto conversi ad altare Sanctissimi simpliciter genuflectunt, quo facto caput cooperiunt et procedunt.

Ante gradus altaris constituti omnes caput detegunt. **Subdiaconus** biretum suum tradit alicui ministro inferiori (regulariter Caeremoniario) Celebrans suum **Diacono,** qui biretum proprium sinistra tenens illud Celebrantis cum osculis consuetis accipit dextera et utrumque tradit Caeremoniario. Quo facto genuflectunt in plano (reg. gen. 1.), sive Celebrans genuflectat sive tantum sese inclinet, sive adsit Sanctissimum inclusum in tabernaculo sive prorsus desit.

2. Si facienda sit Aspersio aquae benedictae, **Diaconus** et **Subdiaconus** induti more solito, sed absque manipulis,[4] facta ante altare genuflexione, ut supra, simul cum Celebrante a dexteris et sinistris ejusdem in infimo gradu altaris in genua procumbunt, etiam tempore paschali, et **Diaconus** acceptum a Caeremoniario aspersorium aqua benedicta perfusum cum osculis consuetis tradit Celebranti. Ambo permanent genuflexi, etiamsi post aspersionem altaris surgat Celebrans, donec ipsi aspersionem acceperint.

---

[2] *S. R. C.* 15. Apr. 1899 Dub. II. ad 1. n. 4018. — [3] Si in accessu ad altare transeant ante Clerum in choro congregatum, ingressi in presbyterium paulisper subsistunt, caput detegunt et simul cum Celebrante aliisque ministris in linea recta stantes chorum salutant capitis inclinatione, prius versus Evangelii, tum versus Epistolae latus, nisi sit expositum Sanctissimum. Deinde omnes procedunt ad gradus altaris. — [4] Si alicubi Celebrans nec planeta nec pluviali in Aspersione utatur, Ministri sacri dalmaticam et tunicellam vel, pro temporis ratione, planetas plicatas non assumunt, nisi post expletam Aspersionem.

Qua accepta surgunt et facta ante altare genuflexione in primo gradu (reg. gen. 1.), Celebrantem comitantur ad chorum et dein ad populum aspergendum hinc inde fimbrias pluvialis elevantes (reg. gen. 10.) et alternatim cum Celebrante submissa voce psalmum *Miserere mei* recitantes[5] toto aspersionis tempore, non omittentes debitas reverentias tum Clero tum populo cum ipso faciendas. Aspersione populi peracta **Diaconus** aspergillum cum osculis consuetis accipit et Caeremoniario tradit. Reversi ad altare fimbrias pluvialis dimittunt factaque in infimo gradu simplici genuflexione (reg. gen. 1.) stant hinc inde a lateribus Celebrantis sustinentes, si opus sit, librum, ex quo cantat versiculos et Orationem. Deinde adjuvantibus Acolythis accipiunt manipulum ad scamnum, unde reversi ad gradus altaris iterum genuflectunt in primo gradu (reg. gen. 1.).

3. Aspersione aquae absoluta factaque, ut supra, ante altare genuflexione, vel, si non dabatur Aspersio, statim post accessum ad altare factamque in plano genuflexionem, incipitur Missa. Praemisso signo crucis alternatim cum Celebrante recitant psalmum *Judica*. Finita Celebrantis Confessione, aliquantulum versus Celebrantem inclinati dicunt *Misereatur tui etc.* Deinde conversi ad altare et corpore profunde inclinato dicunt *Confiteor;* ad verba *Tibi Pater* et *Te Pater* aliquantulum ad Celebrantem se convertunt absque motu pedum et absque erectione corporis et capitis. Confessione peracta manent inclinati, donec Celebrans absolverit *Misereatur vestri* ipsique responderint *Amen.* Ad *Indulgentiam* se erigunt et signant (reg. gen. 7.), versiculos sequentes autem mediocriter inclinati alternatim cum Celebrante recitant. Omnibus absolutis absque ulla reverentia facienda cum Celebrante ad medium altaris ascendunt, ubi non genuflectunt (reg. gen. 2.).

4. **Diaconus,** altari a Celebrante osculato, paulum recedit, ut det locum Thuriferario et Caeremoniario ministrantibus thuribulum et naviculam. **Sub-**

[5] *Rub. miss.* in append.; *S. R. C.* 31. Jul. 1665 ad 12. n. 1322.

diaconus interim junctis manibus stat post tergum Celebrantis, facie ad hunc conversa. **Diaconus** naviculam a Caeremoniario acceptam sinistra manu tenens, dextera apprehendit cochlear vacuum in media parte manubrii ita, ut Celebrans illud in extremitate manubrii accipere possit. Offerendo cochlear parum inclinatus versus Celebrantem dicit: *Benedicite Pater reverende* deosculans cochlear in extremitate, dein manum Celebrantis. Infra impositionem naviculam apertam ambabus manibus tenet juxta thuribulum a Thuriferario oblatum. Thure imposito cochlear cum osculis consuetis receptum in navicula reponit, quam reddit Caeremoniario adstanti; thuribulum autem a Thuriferario absque osculis sibi traditum et (secundum regulam specialem 10. sub n. **57.**) dextera ad catenularum summitatem, sinistra vero ad earum partem inferiorem prope operculum apprehensum Celebranti ministrat deosculans prius manubrium catenularum, deinde dexteram[6] Celebrantis apprehendentem catenularum partem inferiorem.

5. Ante et post Crucis incensationem, quum Celebrans reverentiam facit, **Diaconus** et **Subdiaconus** genuflectunt,[7] sive adsit tabernaculum cum Sanctissimo incluso sive non. Infra incensationem comitantur Celebrantem elevantes paulisper ejus casulam in parte posteriori et genuflectentes, quotiescunque ante Crucem altaris transeunt,[8] quin Celebrantis casulam infra genuflexionem dimittant.[9] Altari incensato **Diaconus** thuribulum a Celebrante cum osculis recipit, dextrorsum se vertens in planum ad cornu Epistolae descendit et Celebrantem stantem in suppedaneo tribus ductibus duplicibus incensat, facta ante et post incensationem profunda capitis inclinatione. **Subdiaconus** simul cum Diacono descendit in planum, ubi infra incensationem Celebrantis stat a sinistris Diaconi, simul cum eo caput inclinans.

---

[6] *Rit. cel.* miss. IV. n. 4. — [7] *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. n. 16. et cap. 13. n. 18.; *Hartmann*, Rep. Rit. § 171. VI. n. 1. 2.; *Schober*, Caer. art. I. cap. 5. n. 4. et alii. — [8] *Rit. cel.* miss. IV. n. 7. — [9] *Martinucci*, lib. 1. cap. 13. n. 18.

§ 2. De Introitu usque ad Evangelium.

84. — 1. Incensato Celebrante et thuribulo Thuriferario restituto, **Diaconus** accedit ad dexteram Celebrantis, cui assistit in legendo Introitu, **Subdiaconus** autem ad dexteram Diaconi[1] ita, ut ferme semicirculum efficiant.[2] Quod si ob angustiam loci id fieri nequeat, Subdiaconus stet in loco suo post Celebrantem. Ad Introitum se signant, ad *Gloria Patri* versus Crucem caput inclinant (reg. gen. 7.). Post Introitum in eodem loco persistentes alternatim cum Celebrante dicunt semel *Kyrie eleison,* bis *Christe eleison* et iterum semel *Kyrie eleison,* deinde una cum Celebrante ad altaris medium redeunt nullam facientes reverentiam (reg. gen. 2. et 6.), **Diaconus** per secundum gradum, **Subdiaconus** per planum, ibique a tergo Celebrantis in linea recta stant, unusquisque in loco suo (reg. gen. 9.). Si sit sedendum, observant, quae dicta sunt in reg. gen. 11.

2. Quum Celebrans *Gloria in excelsis Deo* intonat, **Diaconus** et **Subdiaconus** ad vocem *Deo* caput profunde inclinant (reg. gen. 7.), ad Celebrantem sine ulla reverentia praecedente vel subsequente (reg. gen. 2. et 6.) ascendunt in suppedaneum, **Diaconus** ad dexteram, **Subdiaconus** ad sinistram ejus, et cum eo Hymnum angelicum submissa voce recitant non praeveniendo nec sequendo, sed concomitanter,[3] inclinantes se, quotiescunque Celebrans se inclinat (reg. gen. 7.). In fine se signant et absque ulla reverentia in locum suum revertuntur, vel, ut Rubricis conformius videtur, manent stantes juxta Celebrantem, paulo post ipsum, donec Hymnus a choro persolvatur.[4]

Si vero sessio fiat, **Diaconus** et **Subdiaconus** recitato cum Celebrante Hymno pergunt ad sedes observantes omnia, quae de sessione dicta sunt in reg. gen. 11. Infra sessionem caput detegunt et inclinant dum a choro cantantur verba inclinationem

---

[1] *Rit. cel.* miss. IV. n. 7. — [2] *Martinucci,* lib. 2. cap. 4. n. 58. — [3] *S. R. C.* 22. Apr. 1871 ad 5. n. 3248. — [4] *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 314.; *Schober,* Caerem. art. 1. cap. 6. n. 5. nota 12.

exposcentia, videlicet *Adoramus Te — Gratias agimus Tibi — Jesu Christe — Suscipe deprecationem nostram — Jesu Christe.*

3. Cantato post Hymnum a Celebrante *Dominus vobiscum,* **Diaconus** et **Subdiaconus** sine ulla reverentia (reg. gen. 2. et 6.) cum Celebrante accedunt ad cornu Epistolae, ubi infra Orationes retro post Celebrantem in linea recta in loco suo stant. Ad *Oremus* et ad ss. Nomen Jesu versus Crucem, ad s. Nomen Mariae et Sancti, cujus fit memoria, versus librum vel versus imaginem ejus in loco principali altaris positam simul cum Celebrante caput inclinant (reg. gen. 7.), et in fine Orationum non respondent *Amen.*[5]

In Missis, in quibus ritus hoc exposcit, cantato a Celebrante *Oremus,* **Diaconus** cantat *Flectamus genua,* **Subdiaconus** vero *Levate,* illo primum genuflectente, hoc primum surgente.[6]

4. Circa finem ultimae Orationis **Diaconus** sine ulla reverentia accedit ad dexteram Celebrantis eique in secundo gradu assistit in legenda Epistola, in cujus fine respondet *Deo gratias.* Finito a Celebrante Graduali, Tractu etc., persistens in cornu Epistolae paululum recedit, ut locum det Subdiacono recipienti benedictionem Celebrantis post cantatam Epistolam.

Dum Diaconus accedit ad dexteram Celebrantis, **Subdiaconus** a Caeremoniario, facta mutua parva inclinatione, accipit librum Epistolarum, quem ad partem inferiorem ambabus manibus ante pectus ita tenet, ut pars libri superior pectori adhaereat[7] et apertura respiciat sinistram. Sic librum tenens accedit in plano ad medium altaris ante gradus, simpliciter genuflecti[8] in primo gradu et ad locum suum in cornu Epistolae reversus statim post conclusionem Orationis incipit Epistolam. Cantat autem voce clara et sonora, facie ad altare conversa, librum apertum

[5] Satis quippe est, quod respondeatur a Choro. Quod valet et pro aliis responsis a Choro faciendis. *Gavantus,* pars 2. tit. 5. n. 20.; *Bauldry,* pars 3. cap. 11. art. 5. n. 9.; *Falise,* Lit. pract. Comp. pg. 152. et alii. — [6] *Rit. cel.* miss. V. n. 5. — [7] Cf. *Rit. cel.* miss. VI. n. 4. — [8] Ibid.

ipse solus utraque manu tenens,[9] se inclinans vel genuflectens, quando opus fuerit. Epistola finita, librum claudit illumque, ut supra, tenens revertitur ad medium altaris, ubi simpliciter genuflectit[10] in primo gradu. Accedens deinde per planum ad cornu Epistolae, ante Celebrantem adhuc ibi morantem utrumque genu flectit in supremo vel secundo gradu,[11] librum aliquantulum ad Celebrantem deflectit, manus ejus dexteram super librum positam osculatur et capite inclinato ab eo accipit benedictionem. Qua accepta surgit et Caeremoniario vel, ubi talis viget consuetudo, Diacono[12] librum ita tradit, ut hic dorsum libri in dexteram accipiat.

§ 3. De Evangelio usque ad Offertorium.

85. — 1. Tradito libro Epistolarum, **Subdiaconus** acceptum de altari missale Celebrantis cum cussino vel pulpito transfert post tergum Diaconi per gradus anteriores ad cornu Evangelii, descendens in planum ibique in medio infimo gradu simpliciter genuflectens. Celebranti legenti Evangelium a sinistris in secundo gradu assistit respondens ad ea, ad quae est respondendum, et se signans, se inclinans aut genuflectens simul cum Celebrante, nisi librum sustineat (reg. gen. 7.).

Interim **Diaconus** librum a Subdiacono acceptum clausum ad partes inferiores ambabus manibus cum apertura in sinistra ad faciem usque elevatum tenens, in planum ante medium altaris descendit,[1] postquam

---

[9] Si pro cantu Epistolae legile adhibeatur, consentaneum est, illud pannis sericis ejusdem coloris, cujus sunt altera paramenta, exornari. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 12. n. 18. Subdiaconus ponit librum super legile, manus extensas autem in extremitate inferiori libri. — [10] *Rit. cel.* miss. ibid. — [11] *S. R. C.* 12. Jul. 1901 ad 5. Colimen. (*Eph. lit.* 1901 pg. 464.) Si Celebrans in recitando Tractu vel Sequentia adhuc occupatus sit, consistit in plano ad latus Epistolae et lectione finita accedit ad Celebrantem. — [12] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 317.

[1] Si autem librum non a Subdiacono acceperit, descendit, dextrorsum se vertens, per gradus laterales in planum, ubi a Caeremoniario librum accipit, quem tenens, ut supra, per planum

Subdiaconus ad cornu Evangelii pervenit. Facta in primo gradu simplici genuflexione (reg. gen. 1. 2.), ad altare ascendit et in ejus medio[2] librum sic deponit, ut ipsius apertura cornu Evangelii respiciat, ipse autem se sistit ad dexteram Celebrantis legentis Evangelium, simul cum eo caput inclinans aut genuflectens, si opus sit (reg. gen. 7.). Evangelio lecto **Subdiaconus,** dicto submissa voce *Laus tibi Christe,*[3] missale Celebrantis cum cussino paululum elevans, non super mappas propellens, collocat versus medium altaris, illuc ad sinistram Celebrantis accedit ibique permanet inter impositionem thuris, uti ante Introitum. Incenso imposito in planum descendit, ubi paululum versus cornu Evangelii se sistit expectans Diaconum Evangelium cantaturum.

2. **Diaconus,** incenso post lectum Evangelium a Celebrante more solito imposito (vide n. **83.** ad 4.) et navicula Caeremoniario (Thuriferario) reddita, ante medium altaris in supremo[4] gradu utroque genu provolutus, mediocriter inclinatus junctisque manibus secreta voce dicit: *Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae prophetae calculo mundasti ignito; ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Assurgit, sumit de altari librum, quem tenet ut antea, et conversus ad Celebrantem, videlicet dextrorsum habens altare, utrumque genu flectit in suppedaneo,[5] benedictionem petit a Celebrante librum aliquantulum versus eum deflectens et intelligibili voco dicens: *Jube, Domne, benedicere.* Benedictionem, quin se signet et quin respondeat *Amen,*[6] a Celebrante accipit, ejusque dexteram super librum positam osculatur, surgit et capitis inclinationem facit

et gradus altaris anteriores, facta genuflexione in infimo gradu, defert ad altare. Cf. n. 64. ad 4. — [2] *Rub. spec.* in Ord. miss.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 2.; *S. R. C.* 12. Jul. 1901 ad 3. Colimen. (*Eph. lit.* 1901 pg. 463.) — [3] Cf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 41.; *Eph. lit.* 1892 pg. 549. — [4] *Martinucci,* lib. 1. cap. 13. n. 41. et lib. 2. cap. 4. n. 105. — [5] *Martinucci,* lib. 1. cap. 13. n. 41. — [6] Cf. *Rub. spec.* in Ord. miss.

Celebranti. Deinde librum, ut supra, ante pectus tenens, quin se ad altare convertat aut genuflectat, sinistrorsum se vertens descendit in planum, ubi se adjungit Subdiacono, qui ei adstabit a sinistris.

3. Cantu chori finito, **Diaconus** et **Subdiaconus**, facta in primo gradu genuflexione (reg. gen. 1.), accedunt ad locum Evangelii in presbyterio a gradu infimo altaris aliquantulum distantem, Subdiaconus junctis manibus a sinistris[7] Diaconi librum deferentis. Ibi **Subdiaconus**, medius inter duos Ceroferarios, facie ad Diaconum conversa, de ejus manibus librum apertum accipit, quem circa inferiorem partem ambabus manibus ita tenet elevatum, ut faciem suam libro tegat, quin tamen liber fronti innitatur. Toto Evangelii tempore Subdiaconus stat immobilis, quia repraesentat legile immobile, ideoque nec se inclinat nec genuflectit, licet genuflectant ceteri.[8] **Diaconus** ita stans, uti Sacerdos stat ad Evangelium in Missa privata, videlicet latere dextero quasi ad altare, sinistro quasi ad populum, facie vero ad cornu Evangelii conversis,[9] manibus junctis ante pectus, clara voce cantat *Dominus vobiscum;* deinde palma manus sinistrae in libro[10] posita, pulpa pollicis dexterae, reliquis digitis extensis et junctis, signum crucis facit super principio Evangelii i. e. super initio textus sacri, (qui regulariter incipit post illa verba *In illo tempore*), cantans *Sequentia* vel *Initium;* prosequens *sancti Evangelii,* sinistra infra pectus posita, seipsum in fronte, deinde nihil dicens in ore, et ad verba *secundum N.* in pectore signat. Mox thuribulo accepto ter simplici ductu librum incensat: in medio, a dexteris libri seu ad sui sinistram, et a sinistris libri

[7] *Rit. cel.* miss. VI. n. 5. — [8] Cf. *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4. Si Evangelium cantatur in legili, Subdiaconus stat post illud amplectens ipsum legile et hinc inde librum tangens, non se signat neque inclinat neque genuflectit. Si cantatur in ambone, Subdiaconus assistit Diacono porrigens thuribulum, vertens folia et suo tempore se signans, inclinans et genuflectens. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 45.; *S. R. C.* 2. Maji 1900 ad 3. Tirasonen. (*Eph. lit.* 1900 pg. 459.). — [9] *Schober,* Caer. art. 1. cap. 9. n. 3. nota 20. — [10] *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 11. n. 2572.

seu ad sui dexteram, capitis inclinatione ante et post incensationem facta. Thuribulo reddito Evangelium cantat manibus ante pectus junctis. Inclinationes ad ss. Nomen Jesu, Mariae vel Sancti, cujus fit Festum vel Commemoratio semper facit versus librum, item genuflexiones, si quae sint faciendae, exequuntur versus librum.[11]

4. Cantato Evangelio **Subdiaconus** librum super brachium sinistrum demittit, partem ejus lateralem manu sinistra tenens, inferiorem vero dextera. **Diaconus** cantu Evangelii finito initium textus Evangelii Subdiacono manu dextera junctis et extensis digitis indicat, sinistra super pectus[12] posita, deinde parum se retrahit, ne Subdiaconum transeuntem ad Celebrantem impediat. **Subdiaconus** cum libro aperto[13] super brachium sinistrum posito, via recta per gradus anteriores altaris absque ulla reverentia (etiam coram Sanctissimo exposito) ad Celebrantem tendit, cui extremitate manus dexterae junctis extensisque digitis initium textus sacri ostendit nihil dicens; tum librum per partes laterales tenens Celebranti osculandum offert. Librum a Celebrante osculatum claudit et, capitis inclinatione Celebranti facta, per gradus laterales in cornu Epistolae descendit in planum, librum ministro tradit vel in credentia deponit et exspectat, donec incensatio Celebrantis per Diaconum fuerit peracta. Interim **Diaconus** ter duplici ductu Celebrantem incensat. Thuribulo Thuriferario restituto, **Diaconus** et **Subdiaconus** procedunt ad loca sua ibique simpliciter genuflectunt (reg. gen. 1.).

5. Intonato a Celebrante *Credo,* ad vocem *Deum* caput inclinant et absque ulla reverentia praemissa (reg. gen. 2.) ad Celebrantem ascendunt, quocum submissa voce prosequuntur Symbolum non praeveniendo nec sequendo, sed concomitanter,[14] sese inclinantes, signo crucis munientes et genuflectentes, quotiescunque Celebrans idem facit (reg. gen. 4. et 7.).

[11] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4. — [12] *Herdt,* S. Lit. Prax I. n. 318. — [13] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 46. — [14] *S. R. C.* 22. Apr. 1871 ad 5. n. 3248.

Symbolo recitato, si non sit sedendum, **Diaconus** et **Subdiaconus** manibus junctis ante pectus hinc inde a lateribus Celebrantis persistunt paululum retro post eum, donec chorus cantet: *descendit de coelis.* Ad quae verba simul cum Celebrante descendunt ad secundum gradum et in ora suppedanei a dexteris et sinistris Celebrantis genuflectunt[15] utroque genu cum profunda capitis i. e. tota capitis et modica humerorum inclinatione[16] toto tempore, quo cantantur verba: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est.* Deinde assurgunt et sine reverentia iterum cum Celebrante ad altare ascendunt, unde **Diaconus,** remanente Subdiacono a sinistris Celebrantis, mox genuflexione facta (reg. gen. 1.) via breviori per gradus laterales Epistolae ad credentiam descendit, ubi bursam cum corporali de calice ipse[17] accipit eamque per latera tenens ambabus manibus, pollicibus desuper et reliquis digitis subtus eam positis, apertura ad seipsum conversa, quasi jacentem et usque ad oculos[18] elevatam defert ad altare via longiori per planum non omittens in transitu ante Chorales in choro congregatos debitas capitis inclinationes. Genuflexione in infimo gradu facta (reg. gen. 1.) ad altare ascendit et absque ulla reverentia praemissa corporale manu dextera e bursa extractum explicat[19] in medio mensae, bursa versus cornu Evangelii prope medium altaris ad candelabra collocata cum apertura versus Crucem altaris, nisi ornatus ipsius bursae aliam positionem requirat. Quo facto iterum Celebranti assistit a dexteris, sicut Subdiaconus a sinistris. Dum cantatur *Et vitam venturi* simul cum **Subdiacono** absque ulla reverentia (reg. gen. 2.) descendit, unusquisque ad locum suum, ubi stant usque ad cantatum ante Offertorium a Celebrante *Oremus.*

---

[15] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 3. et 4. — [16] *S. R. C.* 23. Maji 1846 ad 6. n. 2915. Cf. *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 1. Soc. Sales. (*Eph. lit.* 1906 pg. 208.) — [17] *Rit. cel.* miss. VI. n. 7.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 54. — [18] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 3. — [19] Non licet ante Missam solemnem corporale super altare explicare. *S. R. C.* 2. Maji 1900 ad 1. Tirasonen. (*Eph. lit.* 1900 pg. 459.)

Si autem sessio fiat, recitato ad altare Symbolo, simul cum Celebrante ad sedes accedunt sicut dictum est in regula generali 11. Dum chorus incipit *Et incarnatus est* caput detegunt et profunde inclinant, quod praestant etiam ad verba *Jesum Christum* et *Simul adoratur*. Statim quum chorus cantare inceperit *Crucifixus etiam pro nobis*, ad nutum Caeremoniarii **Diaconus** detecto capite surgit et, deposito in sede bireto factaque Celebranti capitis inclinatione, pergit Caeremoniario comite ad credentiam et bursam cum corporali de calice sumptam solus[20] sine Caeremoniario per planum defert ad altare, uti supra dictum est, debitam faciens reverentiam Celebranti et Choralibus, ante quos forte transit. Corporali in medio mensae ambabus manibus totaliter explicato et bursa manu dextera ad candelabra, ut supra, collocata atque missali Celebrantis prope corporale accommodato, revertitur ad sedem et quidem, si talis vigeat consuetudo propter situm sedis in anteriori parte presbyterii, per viam longiorem genuflexione in primo gradu facta, secus per viam breviorem genuflexione in suppedaneo facta (reg. gen. 1.), sive adsit Sanctissimum in tabernaculo inclusum sive non. Reversus ad sedem, antequam accedat ad locum suum, Celebranti,[21] deinde stans in loco suo Subdiacono[22] debitam facit capitis inclinationem, antequam sedeat. Interim dum haec fiunt, **Subdiaconus,** qui ad cantum *Crucifixus etiam pro nobis* simul cum Diacono surrexit, in suo loco in sede stat usque ad Diaconi reditum (reg. gen. 11.) biretum ambabus manibus tenens ante pectus. Quo reverso factaque ad invicem debita invitatione per modicam capitis inclinationem, ut supra, iterum sedent omnes. Circa finem Symboli uterque cum Celebrante redit ad altare in locum suum, facta in primo gradu simplici genuflexione.

---

[20] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 3. — [21] Cf. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 13. Hanc salutationem supponit etiam decretum *S. R. C.* 18. Aug. 1877 ad 5. n. 3434. saltem vigente tali consuetudine. Cf. *Eph. lit.* 1895 pg. 624. — [22] Ratio est, quia inclinatio ista est actus invitationis utriusque Ministri ad sedendum.

6. In tribus Missis Nativitatis Domini et in Festo Annuntiationis B. M. V. vel in die translationis[23] ejus, ante verba *Et incarnatus est* a choro cantanda **Diaconus** et **Subdiaconus** una cum Celebrante surgunt et relictis biretis in sedibus manibus ante pectus junctis, accedunt ad altare, ubi in infimo gradu in genua procumbunt cum profunda capitis i. e. tota capitis et modica humerorum inclinatione usque ad verba *Et homo factus est* inclusive. Postea assurgunt et, genuflexione simplici facta (reg. gen. 1.), cum Celebrante ad sedes redeunt, unde Diaconus admonitus a Caeremoniario, antequam sedeat, vadit ad credentiam delaturus inde bursam, ut supra dictum est.

7. Si non dicitur *Credo*, Subdiaconus, dicto *Oremus* ante Offertorium, simul cum calice ad altare defert etiam bursam cum corporali, ut in numero sequenti ad 1. dicetur.

§ 4. De Offertorio usque ad Consecrationem.

86. — 1. Ad *Oremus* a Celebrante cantatum **Diaconus** caput profunde inclinat et sine alia reverentia (reg. gen. 2. et 7.) ascendit ad dexteram Celebrantis, ibique exspectat Subdiaconum calicem de credentia afferentem. **Subdiaconus** ad eamdem vocem genuflectit in primo gradu (reg. gen. 1.) et ad credentiam pergit, ubi a Caeremoniario vel ab aliquo Acolytho,[1] tergo ad populum converso, velo humerali coloris Missae congruentis induitur. Velo calicis deposito, calicem sinistra nuda ad nodum accipit et parte longiori veli humeralis a dexteris pendente ita cooperit, ut totus sit velatus, et super[2] velum imponit dexteram extensam. Simul cum calice defert purificatorium, patenam cum hostia, pallam et, si propter omissum *Credo* bursa nondum in altari esset, etiam bursam cum corporali,[3] quae omnia calici imponuntur et velo humerali conte-

[23] *S. R. C.* 16. Jun. 1663 n. 1268. et 13. Jun. 1671 ad 3. n. 1421.

[1] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 60. — [2] *Rit. cel.* miss. VII. n. 9. — [3] *Rit. cel.* miss. VI. n. 7.

guntur, relicto velo calicis in credentia. Ita paratus per gradus laterales in cornu Epistolae sine ulla reverentia (reg. gen. 1.) ascendit ad dexteram Diaconi, calicem super altare deponit et Diacono auxiliante velum humerale de calice tollit. **Diaconus** dexterâ pallam[4] de calice sumptam prope corporale versus cornu Epistolae ponit et patenam cum hostia pollice et indice sinistro ad oram anteriorem, pollice et indice dextero ad oram posteriorem acceptam Celebranti cum osculis consuetis ita offert, ut brachium suum sinistrum sit sub brachio dextero Celebrantis, dum eam ipsi ministrat.

2. Interim **Subdiaconus** calicem sinistra ad nodum accipit et parum elevat, tribus vel quatuor digitis manus dexterae autem medium purificatorii usque ad fundum cuppae deprimit et pollice dextero alterutram purificatorii partem dependentem ad calicis labium externum premit sicque purificatorium semel iterumque undequaque circumducit. Calicem ita extersum supra altare versus Diaconum deponit, purificatorium complicatum ita tenens, ut extremitates ejus ad labium cuppae pollice manus dexterae cuppam tenentis premantur, residua ejus pars autem ad pedem calicis pendeat, ubi a pollice sinistro, extensis et junctis interim reliquis digitis, ad pedem premitur.

Diaconus, patena Celebranti tradita, calicem a Subdiacono una cum purificatorio manu sinistra ad nodum accipit ita, ut extremitates purificatorii super pollicem et calicis pedem defluant. **Subdiaconus** calice exterso et sinistrâ pectori admota, ampullam vini ab Acolytho allatam ex parte ansae sine osculis tradit **Diacono,** qui ex ea vinum in calicem infundit eamque retinet, donec Subdiaconus aquam infuderit. **Subdiaconus** scilicet ampullam aquae aliquantulum elevans et Celebranti quasi ostendens, parum inclinatus versus eum, dicit: *Benedicite Pater reverende,* et, signo crucis e Celebrante super ampullam facto, guttulas paucas

[4] Si Subdiaconus calicem cum bursa attulerit, prius bursam accipit et corporale ex ea extractum explicat, ut supra dictum est.

aquae in calicem infundit vel immediate ex ampulla vel mediante parvo cochleari. Ampullam vini de manu Diaconi acceptam una cum ampulla aquae Acolytho reddit et manibus junctis exspectat, quoadusque a Diacono patenam accipiat.

Diaconus interim guttas infra cuppam dispersas purificatorio circa indicem dexterum plicato abstergit, quod subinde juxta corporale supra patenam ponit. Calicem dexterâ circa cuppam, sinistrâ vero infra pedem apprehensum Celebranti tradit, osculato prius pede calicis et dein manu Celebrantis et in eo offerendo, sinistâ pectori admotâ, dexterâ brachium Celebrantis dexterum sustentat vel pedem calicis tangit,[5] secreto dicens cum Celebrante: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae majestatis tuae, pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.* Calicem a Celebrante in altari depositum palla cooperit, patenam vero in manum dexteram nudam[6] Subdiaconi tradit ita, ut pars concava Subdiaconum respiciat.[7]

Subdiaconus patenam extremitate veli a dextera pendente, Diacono auxiliante,[8] cooperit, sinistra vero brachium dexterum sustentat, absque ulla reverentia descendit per gradus anteriores in planum, ubi, in infimo gradu genuflexione facta,[9] stat usque ad finem Orationis Dominicae, patenam semper usque ad faciem[10] elevatam tenens, nisi dum ad *Orate fratres* orat *Suscipiat* etc. (quin se inclinet) vel dum genuflectit, se inclinat, procedit et dum incensatur, quibus in casibus patenam demittit usque ad pectus. Genuflectit autem, idque utroque genu, solummodo infra elevationem in medio infimo gradu, unico genu autem

---

[5] *Rit. cel.* miss. VII. n. 9. — [6] *Carpo*, pars. 2. n. 192.; *Martinucci*, lib. 2. cap. 4. n. 156. — [7] Patena a Subdiacono sustineri debet etiam in secunda et tertia Missa solemni Nativitatis Domini, licet prius superposita fuerit calici nondum purificato. *S. R. C.* 11. Sept. 1847 ad 6. n. 2956. — [8] *Rit. cel.* miss. VII. n. 9. — [9] *Rit. cel.* miss. ibid.; *S. R. C.* 9. Jun. 1899 ad 2. et 3. n. 4027. — [10] *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. n. 56.

in primo accessu in locum suum in plano[11] et antequam ad finem Orationis Dominicae ascendat ad altare,[12] ceterum nunquam, nec quando Celebrans et Diaconus genuflectunt.[13] Inclinat se ter: *a)* ante et post sui incensationem, dum resalutat Diaconum; *b)* ad finem Praefationis, dum a sinistris Celebrantis ad altare cum eo recitat *Sanctus*; *c)* dum infra elevationem Sanctissimum genuflexus adorat. Vide infra n. **87.** not. 1.

3. **Diaconus,** tradita Subdiacono patena, juxta Celebrantem persistit, eique ad impositionem thuris more solito naviculam ministrat dicens: *Benedicite Pater reverende,* et ad incensationem assistit nullam faciens reverentiam ante incensationem Oblatorum (hostiae et calicis), faciens autem genuflexionem immediate ante et post incensationem Crucis et toties, quoties transit ante Crucem. Advertat etiam, ut toto tempore incensationis partem posteriorem casulae sinistra paulisper elevet, dextera pectori imposita, et insuper infra incensationem Oblatorum pedem calicis extremitate manus dexterae teneat,[14] ne evertatur in actu thurificationis, eumque subinde ex eadem ratione dexterâ versus cornu Epistolae, sed non extra corporale, collocet et, Cruce incensata, statim in medio corporalis reponat. Incensatione altaris peracta, Celebrantem tribus ductibus duplicibus incensat stans in plano ad cornu Epistolae, inclinatione facta ante et post incensationem; deinde vadit ante angulum gradus infimi e latere Epistolae et Subdiaconum stantem in medio ante gradus ad se conversum incensat duobus ductibus duplicibus, item sub mutua inclinatione. **Subdiaconus** ante incensationem sui ipsius sine genuflexione (quia non movetur e loco suo) dextrorsum se vertit versus Diaconum, post incensationem iterum sine reverentia ad altare se convertit. Thuribulo reddito, **Diaconus** ad locum suum in secundo gradu ascendit sine genuflexione, quia altare non reliquerat,

---

[11] *Rit. cel.* miss. l. c. — [12] *Rit. cel.* miss. X. n. 8. — [13] Cf. *S. R. C.* 11. Febr. 1764 n. 2474. — [14] *Rit. cel.* miss. VII. n. 10.

et ad Thuriferarium conversus ab eo duobus ductibus duplicibus incensatur, quo facto ad altare se convertit absque genuflexione.

Si chorus adsit, incensatio fit modo et ordine infra descripto n. **95.** Notamus hic, quod sub exitum Praefationis cantatae omnino finis thurificationis est faciendus, quocunque loco stet thurificationem agens.[15]

4. Incensatione absoluta **Diaconus** stat in loco suo post Celebrantem usque ad Praefationis finem, sub quo sine ulla reverentia (reg. gen. 2. et 6.) cum Subdiacono ad dexteram Celebrantis ascendit et humeris inclinatis voce submissa dicit cum Celebrante: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis.* Ad verba sequentia: *Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis,* se erigit et signat (reg. gen. 7.). **Subdiaconus** sub finem Praefationis simul cum Diacono sine ulla reverentia (reg. gen. 2. et 6.) ascendit,[16] se sistit ad sinistram Celebrantis, ubi se gerit sicut Diaconus, excepto hoc, quod ad *Benedictus* non se signet, quia tenet patenam; deinde absque genuflexione aut inclinatione antecedente vel subsequente (reg. gen. 2. et 6.) descendit in locum suum. **Diaconus** vero dicto *Sanctus* ad sinistram Celebrantis transit, facta in supremo gradu i. e. in ora suppedanei in medio altaris retro post Celebrantem genuflexione (reg. gen. 2.), ibique assistit Celebranti in legendo Canone.

Ad *Memento* vivorum **Diaconus** librum deponit, aliquantulum recedit et stat junctis manibus, quamdiu Celebrans mentaliter orat; deinde iterum ad librum accedit.[17] Ad verba *Quam oblationem* denuo ad dexteram Celebrantis transit, genuflexione, ut antea, in medio supremo gradu facta.

---

[15] *Martinucci*, lib. 1. cap. 5. n. 30. Cf. *S. R. C.* 31. Mart. 1640 n. 701. — [16] Consuetudo aliquibus in locis vigens, non ascendendi ad dicendum *Sanctus*, ex parte Subdiaconi potest servari. *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 30. n. 2682. — [17] *Schober*, Caer. art. 1. cap. 13. n. 2.

§ 5. De Consecratione usque ad Communionem.

87. — 1. Infra Consecrationem **Diaconus** et **Subdiaconus** utrumque flectunt genu, hic in infimo gradu in loco suo usque ad elevationem Calicis inclusive, ille in suppedaneo paululum retro post Celebrantem ad dexteram ejus. Dum hic utramque Speciem genuflectendo adorat, uterque caput profunde inclinat.[1] Celebrante ss. Hostiam elevante, non intra Consecrationem, **Diaconus** sinistrâ partem posteriorem casulae elevat, dexterâ super pectus positâ. Elevata et deposita Hostia, casulam dimittit factaque a Celebrante genuflexione simul cum eo surgit, pallam de calice tollit et prope corporale versus cornu Epistolae ponit, quo facto iterum in genua procumbit et ad elevationem Calicis casulam elevat ut supra. Dum Celebrans Calicem elevatum deponit, Diaconus casula dimissa surgit et Calicem palla cooperit; tunc genuflexione simul cum Celebrante iterata ad ejus sinistram transit, ubi iterum genuflectit (reg. gen. 3.) et Celebranti ad librum assistit, uti ante Consecrationem. Ad *Supplices te rogamus* non se inclinat nec ad *omni benedictione* se signat nec ad *Nobis quoque peccatoribus* pectus percutit (reg. gen. 7. et 8.). Ad verba *Per quem haec omnia* genuflectit (reg. gen. 3.) et ad dexteram Celebrantis accedit, ubi palla de Calice sublata et super altare

[1] Si ad mentem decreti S. C. Indulg. 18. Maji 1907 (vide num. 36. ad 13.) se gerere voluerint, sequentia observabunt. Dum Celebrans Hostia consecrata genuflectit, Subdiaconus caput profunde inclinat, infra elevationem erecto capite Hostiam elevatam aspicit et, Celebrante genuflectente, iterum capite inclinato Sanctissimum adorat. Quod pari modo praestabit ad Consecrationem et elevationem Calicis. Diaconus similiter, Celebrante Hostiam consecratam genuflexione adorante, caput profunde inclinat, infra elevationem vero casulam, ut supra, elevat et capite erecto ss. Hostiam elevatam aspicit. Deposita Hostia casulam dimittit et, Celebrante genuflexionem iterante, inclinato capite ss. Sacramentum adorat. Absoluta a Celebrante genuflexione simul cum eo assurgit, pallam, ut supra, de calice tollit, genuflectit et inclinato capite adorat. Ad elevationem Calicis casulam, ut antea, elevat et erecto capite Calicem elevatum aspicit. Dum Celebrans Calicem elevatum deponit, demissa casula surgit et reliqua peragit ut supra.

posita ut supra, simul cum Celebrante genuflectit. Intra crucis significationes nunc a Celebrante faciendas, extremitatem manus dexterae super pedem Calicis ponit,[2] sinistra pectori admota, et postquam Celebrans pollices et indices super Calicem absterserit, palla Calicem iterum cooperit et facta cum Celebrante genuflexione (reg. gen. 4.) surgit et ibi consistit[3] usque ad Orationem Dominicam, ante quam ad *Oremus* simul cum Celebrante caput inclinat (reg. gen. 7.). Inchoato *Pater noster* genuflectit (reg. gen. 3.) et statim ad locum suum in secundo gradu se confert ibique stat usque versus finem Orationis Dominicae.

2. Ad verba *Et dimitte nobis debita nostra* **Diaconus** et **Subdiaconus** genuflectunt in locis suis (reg. gen. 3.) et ascendunt ad altare ibique se sistit **Diaconus** ad dexteram Celebrantis, **Subdiaconus** ad dexteram Diaconi. **Subdiaconus** patenam adhuc velatam porrigit **Diacono,** qui eam discooperit et manu dextera acceptam statim in sinistram immittit et dextera cum purificatorio interius exteriusque[4] abstergit. Reposito in loco suo purificatorio, super illud collocat patenam erectam ita, ut pars concava Celebrantem respiciat, eamque cum purificatorio[5] utraque manu circa partem inferiorem hinc inde sustinet et in circumferentia superiori osculatur. Patenam Celebrante accipiente, **Diaconus** manum ejus osculatur, purificatorium vero in loco suo juxta corporale deponit. Postmodum junctis manibus stat juxta Celebrantem non se signans ad *da propitius pacem etc.* (reg. gen. 7.). Hostia ab hoc in patena posita, Calicem discooperit et palla in altari collocata simul cum Celebrante genuflectit (reg. gen. 4.). Infra fractionem s. Hostiae stat junctis ante pectus manibus in eodem loco juxta Cele-

---

[2] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 5. — [3] *Rit. cel.* miss. IX. n. 4. — [4] *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 327. — [5] Quod quidem est praeter, non autem contra Rubricas. et ab auctoribus optimae notae commendatur. *Martinucci,* lib. 1. cap. 13. n. 90. et lib. 2. cap. 4. n. 198.; *Herdt,* l. c.; *Schober,* art. 1. cap. 15. n. 2.; *Stappen,* Sacra Liturg. pg. 148.; *Appeltren,* Man. Liturg. tom. 1. pars 1. cap. 6. art. 2. n. 8.

brantem; particula s. Hostiae ab hoc in Calicem immissa, Calicem palla cooperit et genuflectit cum Celebrante (reg. gen. 4.).

Subdiaconus patena, ut supra, Diacono tradita et velo humerali in manus Acolythi dimisso, genuflectit (reg. gen. 3.) et post Celebrantem per gradus anteriores altaris descendit in planum, ubi non genuflectit, neque cum Celebrante, quia non stat ad latus ejus (reg. gen. 4.). Ad verba *Pax Domini etc.* genuflectit in infimo gradu (reg. gen. 3.) et ascendit ad sinistram Celebrantis, ubi non genuflectit, nisi cum Celebrante.

3. Dum Celebrans dicit *Agnus Dei etc.* **Diaconus** et **Subdiaconus** paululum ab altari recedentes, capite profunde inclinato, manibus ante pectus junctis, voce submissa idem cum Celebrante dicunt, pariterque sinistra infra pectus posita, dextera ter pectus percutiunt (reg. gen. 8.), prima et secunda vice ad *Miserere nobis*, tertia vice ad *Dona nobis pacem.* Quo ultimo dicto, **Subdiaconus** genuflexione facta (reg. gen. 3.) descendit in locum suum in plano, ubi non genuflectit; **Diaconus** vero utroque genu flexo[6] juxta Celebrantem permanet, donec hic se inclinet ad altare osculandum, quo tempore surgit et, manibus ante pectus junctis (non supra altare positis reg. gen. 5.), simul cum Celebrante altare osculatur extra corporale. Pace a Celebrante modo consueto accepta, genuflectit (reg. gen. 3.) et sinistrorsum se vertens descendit ad dexteram Subdiaconi in plano,[7] ubi non genuflectit, sed statim, nulla praemissa inclinatione, ei dat Pacem ita, ut interim Diaconus habeat latus suum dexterum, Subdiaconus vero sinistrum ad altare conversum.[8] Pace data, **Diaconus** caput inclinat Subdiacono, genuflectit (reg. gen. 3.) in primo gradu et ascendit ad sinistram Celebrantis, cui sine nova genuflexione assistit ad librum. **Subdiaconus** vero, antequam accipiat Pacem, dextrorsum se vertens caput inclinat Diacono et accipit Pacem ab eo, qua accepta et in-

[6] *Rit. cel.* miss. X. n. 8. [7] *Schober*, Caer. art. 1. cap. 15. n. 4. nota 14. — [8] De modo dandi Pacem vide n. 97—100 incl.

clinatione Diacono facta, ad altare conversus genuflectit simpliciter simul cum Diacono in infimo gradu et, si non habeatur chorus, convertit se ad Caeremoniarium post se stantem eique dat Pacem, tum iterum cum eodem genuflectit et ascendit ad dexteram Celebrantis, ubi non genuflectit (reg. gen. 2.), nisi cum Celebrante (reg. gen. 4.).

Si adsit chorus, **Subdiaconus,** accepto a Diacono osculo Pacis, una cum Diacono genuflectit in primo gradu (reg. gen. 1.) et Caeremoniario comite pergit in chorum ad distribuendam Pacem modo et ordine infra descripto n. **100.** Ad altare reversus genuflectit in primo gradu (reg. gen. 1.), dat Pacem Caeremoniario comiti, iterum genuflectit (reg. gen. 3.) et ascendit ad dexteram Celebrantis, nulla ibi addita genuflexione aut inclinatione (reg. gen. 2. et 6.).

§ 6. De Communione usque ad finem.

88. — 1. Accepta et data Pace **Diaconus** a sinistris et **Subdiaconus** a dexteris Celebrantis stant et genuflectunt, quotiescunque ipse genuflectit (reg. gen. 4.). Ad verba Celebrantis *Domine non sum dignus etc.* mediocriter se inclinant nihil dicentes nec pectus parcutientes (reg. gen. 8.). Celebrante cum ss. Hostia se signante, paululum a mensa recedunt et profunde[1] se inclinant, donec sumpto Christi Corpore Celebrans se erigat; idipsum ad sumptionem ss. Sanguinis faciunt, sese scilicet infra sumptionem inclinantes et iterum sese erigentes, dum sumpto ss. Sanguine Celebrans Calicem in altari reponit. Dum Celebrans peracta post sumptionem ss. Corporis meditatione manus disjungit, **Subdiaconus** pallam de Calice tollit et in loco solito collocat, subinde cum Celebrante et Diacono genuflectit (reg. gen. 4.) et, sumpto a Celebrante ss. Sanguine, dexterâ vinum in Calicem infundit, sinistrâ super pectus posita, qua sinistra subinde accipit ampullam aquae et super pollices et indices Celebrantis infundit prius vinum deinde aquam, quo facto

[1] *Rit. cel.* miss. X. n. 8.

ampullas ministro inferiori reddit et Celebranti purificatorium apte ministrat, imponendo[2] illud super digitos ablutos Celebrantis.

2. **Diaconus** facta a Celebrante digitorum ablutione, missale cum cussino aut pulpito, absque praemissa reverentia per dexteram suam se volvens, a cornu Evangelii more solito transfert a cornu Epistolae, descendens de suppedaneo in penultimum gradum et genuflectens in ora suppedanei, quum transit ante medium altaris (reg. gen. 2.). Simul cum eo genuflectit in medio inferiori gradu **Subdiaconus,** qui redditis ampullis a cornu Epistolae transit ad cornu Evangelii calicem adaptaturus. Velo calicis nempe interim a Caeremoniario vel alio ministro de credentia ad cornu Evangelii translato, Subdiaconus calicem accipit et stans prope cornu Evangelii purificatorio totaliter extergit. Quem in finem calicem uti ad Offertorium (n. **86.** ad 2.) tenens, purificatorium cuppae immissum bis vel ter circumducit, quo facto illud extrahit eoque a parte opposita sicca, si opus fuerit, iterum intromisso et bis vel ter, ut antea, circumacto cuppam perfecte exsiccat. Calici sic exterso purificatorium, patenam pallamque imponit, velo eum cooperit, corporale plicat, in bursam immittit, utrumque super calicem ponit, et calicem sic paratum[3] sinistra ante pectus ad nodum tenens, dextera bursae imposita, ad credentiam defert, in transitu ante medium altaris super infimum gradum genuflectens (reg. gen. 2.). In credentia calicem ita accommodat, ut a parte anteriore totus sit coopertus velo.

3. **Diaconus** Celebranti non assistit ad Antiphonam, quae dicitur Communio, nec ad Postcommuniones, nisi deficiente Caeremoniario, sed missali in cornu Epistolae translato descendit[4] in locum suum retro post Celebrantem, ubi stat tam ad Communionem

---

[2] *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. n. 69. et lib. 2. cap. 4. n. 211. — [3] In extergendo et componendo calice Subdiaconus sit festinus, ne postea Celebrantem impediat in cantando *Dominus vobiscum*, praesertim in Missis coram exposito Sanctissimo. — [4] *Rit. cel.* miss. XI. n. 3.

quam ad Postcommuniones, caput inclinans ad verba inclinationem exposcentia.

In Missis ferialibus solemnibus Quadragesimae, cantato a Celebrante *Oremus* ante Orationem super populum, **Diaconus** in loco suo in cornu Epistolae absque reverentia praevia sinistrorsum se vertit ad populum[5] et manibus junctis ante pectus cantat *Humiliate capita vestra Deo,* quibus verbis cantatis iterum se vertit ad altare sine reverentia.

4. **Subdiaconus,** calice in credentia collocato, redit in locum suum retro post Celebrantem, ubi genuflectit in primo gradu (reg. gen. 1.), si Celebrans in medio altaris versetur, secus accedit ad cornu Epistolae in locum suum, ubi non genuflectit (reg. gen. 1.). Orationibus absolutis **Diaconus** et **Subdiaconus** simul cum Celebrante sine reverentia facienda (reg. gen. 2. 6.) iterum ad medium altaris accedunt in loca sua, ubi cantato a Celebrante *Dominus vobiscum,* **Diaconus** absque[6] praevia genuflexione ad populum conversus cantat *Ite missa est,*[7] si Hymnus angelicus in Missa dictus sit, vel facie ad altare conversa *Benedicamus Domino,* quando *Gloria* in Missa dictum non fuit. Quo cantu finito aliquantulum versus cornu Epistolae se sistit, ut locum det Subdiacono, et utrumque flectit genu in ora suppedanei. Eodem tempore etiam **Subdiaconus** ascendit ad supremum gradum ibique genuflexus a sinistris Diaconi simul cum eo accipit benedictionem, infra quam ambo caput profunde inclinant et mox erecto capite se signant, tum surgunt et **Subdiaconus** ascendit ad cornu Evangelii, ubi assi-

[5] *Rub. miss.* in Fer. IV. Cinerum. — [6] *Martinucci,* lib. 1. cap. 13. n. 100. — [7] Canitur in tono de B. M. V., quamvis dies solemniores sint, in Festis Deiparae, in omnibus Festis infra Octavam Nativitatis et Corporis Christi incidentibus et generatim quotiescunque Praefatio de Nativitate Domini in Missa vel doxologia B. M. V. *Jesu Tibi sit gloria qui natus etc.* in Officio praescribitur, e. g. in Festo Ss. App. Petri et Pauli accidentaliter occurrente infra Octavam Corporis Christi et die Octava s. Joannis Apostoli, quae Festa non habent quidem Praefationem de Nativitate Domini, habent tamen in casu doxologiam B. M. V. *S. R. C.* 25. Maji 1877 Dub. 1. 2. 3. n. 3421. et 14. Jun. 1901 ad 4. (*Eph. lit.* 1901 pg. 402.)

stit Celebranti Evangelium legenti, **Diaconus** vero in secundo gradu consistit usque ad finem Evangelii,[8] quo finito cum Celebrante accedit ad medium altaris.

Si Evangelium legendum sit e missali, **Subdiaconus,** dicto a Celebrante *Ite missa est,* accipit missale cum cussino vel legili in cornu Epistolae, per gradus anteriores descendit in planum et, facta in infimo gradu genuflexione simplici, transfert ad cornu Evangelii, idque vel ante[9] vel post[10] acceptam benedictionem Celebrantis. Si primum, libro translato et in cornu Evangelii collocato, iterum descendit ad secundum gradum et in ora suppedanei utrumque flectit genu a sinistris Diaconi, benedictionem accepturus; si alterum, benedictionem accipit genuflexus in ora suppedanei a sinistris Diaconi, missale utraque manu tenens ante pectus, quin se signet.

5. In legendo Evangelio **Subdiaconus,** si opus sit, ministrat tabellam Celebranti, sinistra eam tenendo coram ipso, dextera pectori admota. Si in legendo Evangelio Celebrans genuflectat, genuflectit etiam **Diaconus,** minime vero Subdiaconus sustinens[11] tabellam vel missale. Evangelio finito ambo dicunt *Deo gratias,* et Subdiaconus reponit tabellam in loco suo, missale autem in cussino cum apertura versus tabernaculum. Subinde cum Celebrante ad medium altaris accedunt, per gradus descendunt et genuflectunt in plano (reg. gen. 1.), sive adsit ss. Sacramentum in tabernaculo sive non. Bireto a Diacono Celebranti cum osculis tradito, caput suum cooperiunt et revertuntur in sacristiam ordine consueto. Ibi detectum caput primo Cruci profunde inclinant deinde minus profunde Celebranti, quo facto vestes sacras deponunt. Non tenentur Ministri sacri adjuvare Celebrantem in exuendis sacris vestibus, sicut non tenentur eum adjuvare in iis induendis, nisi adsit consuetudo contraria, quae servari debet.[12]

---

[8] Cf. *Schober,* Caer. art. 1. cap. 17. notam 8. — [9] *Martinucci,* lib. 1. cap. 12. n. 73. et lib. 2. cap. 4. n. 220. — [10] *Carpo,* pars 2. n. 197. — [11] *Martinucci,* lib. 1. cap. 12. n. 75. — [12] *S. R. C.* 9. Jul. 1895 ad 1. n. 3866.

Caput IV.

Conspectus genuflexionum a Ministris sacris faciendarum in Missis solemnibus.

89. Sequentes genuflexiones a Ministris sacris faciendae sunt in Missis solemnibus ordinariis, sive in altari sit tabernaculum cum ss. Sacramento incluso, sive sola Crux. Auctores enim quoad genuflexiones in Missa solemni a Ministris sacris faciendas discrimen non faciunt inter altare cum vel sine ss. Sacramento incluso.

A. Subdiaconus genuflectit:

1. In primo accessu ad altare, in plano simul cum Diacono.

2. Ante et post incensationem Crucis altaris, in suppedaneo, et quotiescunque infra incensationem transit ante Crucem, simul cum Diacono.

3. Recitato Hymno angelico, si sessio fiat, ante accessum ad sedes et post recessum a sedibus, ante medium altaris simul cum Diacono.

4. Immediate ante et post Epistolam cantatam, in medio infimo gradu simul cum Caeremoniario.

5. In recipienda benedictione Celebrantis post Epistolam cantatam, utroque genu in supremo vel penultimo gradu cornus Epistolae.

6. In translatione libri Celebrantis a cornu Epistolae ad cornu Evangelii, in medio infimo gradu.

7. Immediate ante Evangelium cantandum, in medio infimo gradu simul cum Diacono.

8. Incensato post Evangelium Celebrante et libro tradito Caeremoniario reversus ante medium altaris, in loco suo simul cum Diacono genuflectente etiam in loco suo.

9. Infra Symbolum, dum dicit Celebrans *Et incarnatus est etc.* unico genu; dum autem cantantur eadem verba nec sessio fit, utroque genu in ora suppedanei, in utroque casu simul cum Celebrante et Diacono.

10. Infra cantum Symboli, si sessio fiat, ante et post sessionem, sicut supra n. 3.

11. Ante Offertorium dicto a Celebrante *Oremus*, antequam accedat ad credentiam, in medio infimo gradu.

12. Post Offertorium statim ac cum patena descendit in planum, in medio infimo gradu.

13. Infra Consecrationem et Elevationem, utroque genu in infimo gradu in loco suo.

14. Infra Orationem Dominicam, antequam cum patena ascendat ad altare, simul cum Diacono, uterque in loco suo.

15. Post Orationem Dominicam in suppedaneo, antequam, patena Diacono tradita, descendat per gradus ad locum suum.

16. Ad *Pax Domini* in medio infimo gradu, antequam ascendat ad altare, ubi iterum genuflectit cum Celebrante et Diacono.

17. Post dictum cum Celebrante *Agnus Dei*, in suppedaneo a sinistris Celebrantis, antequam descendat ad locum suum in plano.

18. Accepta a Diacono in plano Pace, antequam adeat chorum ad distribuendam Pacem, in medio infimo gradu simul cum Diacono et Caeremoniario.

19. Reversus e choro ad medium ante gradus altaris, antequam Caeremoniario det Pacem et iterum post datam ei Pacem, antequam ascendat ad dexteram Celebrantis, in utroque casu in medio infimo gradu simul cum Caeremoniario.

20. Ablutione facta, dum a dexteris Celebrantis transit ad ejus sinistram, in medio infimo gradu simul cum Diacono genuflectente in gradu secundo.

21. In translatione calicis ad credentiam, dum transit ante medium altaris, in infimo gradu.

22. Deposito calice in credentia et inde reversus ad medium altaris ante gradus, in infimo gradu, minime vero, si consistat ad cornu Epistolae.

23. Infra benedictionem Celebrantis, utroque genu in ora suppedanei a sinistris Diaconi.

24. Ad verba Evangelii s. Joannis *Et Verbum caro factum est,* nisi sustineat tabellam vel librum.

25. Ante reditum in sacristiam, ante gradus altaris in plano simul cum Diacono.

26. Generaliter loquendo, toties quoties Celebrans genuflectit, dummodo ad latus ejus stet et patenam non sustineat.

B. Diaconus genuflectit:

1. In primo accessu ad altare, in plano simul cum Subdiacono.

2. Ad incensationem Crucis et altaris, sicut Subdiaconus n. 2.

3. Ante et post sessionem, sicut Subdiaconus num. 3.

4. Dum cantata Epistola librum Evangeliorum transfert a cornu Epistolae ad medium altaris, in medio infimo gradu.

5. Dum dicit *Munda cor meum etc.,* utroque genu in ora suppedanei.

6. Dum petit et accipit benedictionem Celebrantis ante Evangelium cantandum, utroque genu in suppedaneo.

7. Immediate ante Evangelium cantandum, in medio infimo gradu, simul cum Subdiacono.

8. Infra Evangelium cantandum, si genuflexio praescribatur, versus librum.

9. Postquam, Evangelio cantato et Celebrante incensato, ad altare pervenit in locum suum, in secundo gradu simul cum Subdiacono genuflectente in primo gradu.

10. Infra Symboli recitationem et cantum, sicut Subdiaconus n. 9.

11. Ante et post sessionem, sicut Subdiaconus num. 10.

12. Dum infra cantum Symboli bursam cum corporali de credentia affert ad altare, antequam ascendat in suppedaneum, in medio infimo gradu. Et iterum explicato corporali, antequam redeat ad sedem, in medio altaris in suppedaneo, si accedat ad

sedem via breviori, vel in medio infimo gradu, si accedat ad sedem via longiori.

13. Infra incensationem post Offertorium, ante et post incensationem Crucis et quotiescunque transit ante medium altaris.

14. Post incensationem chori et Subdiaconi, antequam ipse incensetur a Thuriferario, in medio secundo gradu in loco suo.

15. Post dictum *Sanctus*, dum a dextera Celebrantis transit ad ejus sinistram, in medio supremo gradu post Celebrantem.

16. Ad *Quam oblationem*, dum revertitur a sinistra Celebrantis ad ejus dexteram, in medio supremo gradu post Celebrantem.

17. Infra utramque Consecrationem et Elevationem, utroque genu. Elevatione absoluta accedit ad sinistram Celebrantis genuflexione facta utrimque a lateribus Celebrantis.

18. Ad *Per quem haec omnia*, antequam a sinistra accedat ad dexteram Celebrantis.

19. Ante Orationem Dominicam, antequam descendat a suppedaneo in locum suum.

20. Ad verba *Et dimitte nobis debita nostra*, antequam ascendat ad dexteram Celebrantis, simul cum Subdiacono, uterque in loco suo.

21. Dum Celebrans primam Orationem ante Communionem legit, utroque genu in suppedaneo ad dexteram Celebrantis, antequam Pacem ab eo accipiat.

22. Pace accepta, antequam descendat in planum ad dandam Subdiacono Pacem, et iterum antequam data Subdiacono Pace ascendat ad sinistram Celebrantis.

23. Ablutione Celebrantis facta, dum transfert missale ad cornu Epistolae, in medio secundo gradu in ora suppedanei, simul cum Subdiacono genuflectente in medio infimo gradu.

24. Infra benedictionem Celebrantis, utroque genu in ora suppedanei a dexteris Subdiaconi.

25. Ad verba Evangelii s. Joannis *Et Verbum caro factum est*, simul cum Celebrante.

26. Ante reditum in sacristiam, ante gradus altaris in plano simul cum Subdiacono.

27. Generaliter loquendo, toties quoties Celebrans genuflectit, dummodo ad ejus latus stet.

Caput V.

De Diacono et Subdiacono in Missa solemni cum planetis plicatis.

90. Juxta Rubricas generales missalis XIX. n. 6. in cathedralibus et praecipuis ecclesiis, quales sunt collegiatae, insigniores regularium ecclesiae et etiam parochiales,[1] in Dominicis et Feriis Adventus (excepta Dominica tertia, dicta *Gaudete*) et Quadragesimae (excepta Dominica quarta, dicta *Laetare*) et diebus jejuniorum aliisque in Rubrica enumeratis, Diaconus et Subdiaconus loco dalmaticae et tunicellae utuntur planetis plicatis, etiam coram exposito Ss. Sacramento.[2] Quae planetae ejusdem sunt formae et coloris ac illa Celebrantis, sed a parte anteriori intrinsecus plicatae usque ad pectus, aciculis vel vittis firmatae, ne decidant.

Subdiaconus lecturus Epistolam, sub finem ultimae Orationis a Celebrante cantatae, antequam a Caeremoniario accipiat librum Epistolarum, accedit ad credentiam vel scamnum ibique adjuvante Caeremoniario deponit planetam plicatam. Deinde accepto libro accedit ad altare concomitante Caeremoniario et, genuflexione in medio infimo gradu facta, in loco consueto cantat Epistolam. Qua cantata et genuflexione in medio infimo gradu facta, accedit, uti moris est, ad Celebrantem, a quo accipit benedictionem, deinde reddit librum ministro, accedit ad credentiam vel scamnum et resumit planetam plicatam.

[1] *S. R. C.* 23. Apr. 1875 ad 7. n. 3352. In ecclesiis minoribus usus planetarum plicatarum est ad libitum. Ideoque in ecclesiis hujusmodi Ministri sacri assistere possunt vel in albis tantum vel cum planetis plicatis, uti magis placet. *Eph. lit.* 1898 pg. 312. Cf. *Eph. lit.* 1909 pg. 132. — [2] *S. R. C.* 31. Aug. 1867 ad 2. n. 3161.

A credentia (scamno) directe accedit ad altare sine genuflexione et defert missale Celebrantis ad cornu Evangelii more consueto.

Diaconus planetam plicatam deponit, antequam librum Evangeliorum deferat ad altare. Dum scilicet Subdiaconus post Epistolam transfert librum Celebrantis, Diaconus descendit in planum ad credentiam vel scamnum ibique adjuvante Caeremoniario dimittit planetam plicatam, ejusque loco super stolam suam diaconalem assumit stolam latiorem nulla cruce ornatam,[3] quae ab humero ejus sinistro dependens, funiculis sub brachio dextero ligatur. Ita indutus acceptum a Caeremoniario librum Evangeliorum more solito defert ad altare et deinceps per totam Missam ministrat Celebranti usque ad factam Communionem. Qua peracta et missali ad cornu Epistolae translato, descendit ad credentiam vel scamnum, ubi, deposita stola latiori, resumit planetam plicatam. Deinde accedit ad altare.

Finita Missa pars plicata demitti potest, ut planetae inserviant pro celebratione Missae.

Tractatus II.

De Incensatione, de Pace necnon de Osculis manuum et instrumentorum.

Caput I.

De Incensatione seu Thurificatione.

§ 1. De Modo et Ordine incensandi.

91. Quomodo fit incensatio?

In peragenda incensatione distinguitur ductus duplex et simplex. Ductus duplex fit elevando dexterâ thuribulum clausum a loco cinguli usque ad faciem (ictus prior) et movendo illud versus rem aut personam incensandam ita, ut manus describat lineam

[3] *S. R. C.* 25. Sept. 1852 ad 7. n. 3006.

curvam parabolicam (ictus alter), denique iterum illud deprimendo seu reducendo ad eumdem ac antea locum cingulo tenus. Duplex ductus etiam habetur, quando thuribulum, ut supra, elevatum duobus ictibus simplicibus sine mora sibi subsequentibus versus objectum incensandum ducitur et statim infra pectus demittitur.[1] Ductus simplex vero peragitur, si incensans sublevatum ante pectus (non ante faciem) thuribulum lente et linea recta versus objectum incensandum movet moxque ad seipsum retrahit, quin manum demittat. Datur etiam incensatio per modum unius seu transeundo, quando plures simul unico ductu simplici in communi quasi in gyro incensantur.

Omni in casu thuribulum in parte superiori catenularum manu sinistra tenetur immissis duobus vel tribus digitis ultimis in manubrii annulum sicque thuribulum sinistra applicatur pectori nec inde movetur toto incensationis tempore. In parte inferiori autem tribus digitis dexterae, pollice nempe, indice et medio, catenulae comprehenduntur prope thuribuli operculum sicque dexterâ thuribulum movetur et dirigitur modo explicato, quin eodem tempore moveatur caput aut corpus incensantis.

Duplici ductu incensantur: Sanctissimum,[2] Celebrans, Ministri sacri aliique Ministri superiores, Canonici[3] ceterique in choro, exceptis Clericis. Simplici ductu incensantur: Altare, Evangeliorum liber, Acolythi, Cantores, populus, tumulus.[4] Duplici vel simplici ductu, prout fert consuetudo, incensari possunt: Crux altaris, candelae, cineres et palmae solemniter benedicendae.[5] Transeundo seu per modum unius incensantur Clerici in choro congregati.

---

[1] *Carpo*, pars 2. n. 208.; *Martinucci*, lib. 1. cap. 1. n. 20.; *Eph. lit.* 1893 pg. 34. not. 1.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 311.; *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 20. n. 3110. — [2] *S. R. C.* 24. Nov. 1899 ad 9. n. 4048. — [3] *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 20. n. 3110. — [4] *Carpo*, l. c. aliique. — [5] *S. R. C.* 29. Maj. 1900 ad 2. Urgellen. (*Eph. lit.* 1900 pg. 531. et 551. sq.)

Thus datur et accipitur semper detecto capite.[6] Ante et post incensationem tam ab incensante quam ab incensando resp. incensato mutuae quaedam reverentiae tamquam invitationes ad actum thurificationis observandae sunt. Videlicet si is, qui incensat, sit aequalis aut majoris dignitatis cum eo, qui incensandus est, invicem capite inclinato sibi reverentias faciunt ante et post incensationem. Si vero incensans minor sit, ipse quidem versus majores caput profunde inclinat ante et post, illi autem parum vel nihil versus incensantem correspondent pro qualitate ipsius thurificantis, qui et ipse thurificando alios minores, parum versus eos caput inclinat pro eorum qualitate.[7] Quae inclinationes quum non sint tam actus reverentiae quam actus invitationis, nunquam omittuntur, nec coram exposito Sanctissimo.

92. Quo ordine fit incensatio?

1. Celebrans, quisquis sit, sive Episcopus sive simplex Sacerdos, incensato altari, omnium primus incensari debet, etiamsi praesentes sint Episcopus loci, Archiepiscopus, Cardinalis, Legatus.[8]

2. Post Celebrantem incensatur Legatus Cardinalis, si adsit, vel etiam Cardinalis non Legatus, tum Archiepiscopus provinciae, si adsit, et post eum Episcopus ordinarius loci non celebrans sed Missae assistens, cum assistentibus sibi Archidiacono et Diaconis, si eos in casu habeat; postea immediate Presbyter assistens (Archidiaconus) Celebrantis, si adsit, licet non sit prima Dignitas et duo assistentes Diaconi Celebrantis, licet sint ordine inferiores[9] inter Canonicos.

3. Si adsit Nuntius apostolicus cum facultate Legati de Latere intra fines suae legationis, aut Visitator apostolicus Episcopus, thurificatur ante Archiepiscopum et Episcopum praesentem et non sacrificantem, sed si Nuntius apostolicus non habeat talem facultatem vel Visitator non sit Episcopus, incensatur post Episcopum et Archiepiscopum.[10]

[6] *S. R. C.* 11. Nov. 1665 n. 1324. et 12. Jan. 1878 ad 2. n. 3438. — [7] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 20. — [8] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 27. — [9] *Caer. Ep.* ibid. — [10] *Caer. Ep.* ibid. n. 28.

4. Episcopus loci ordinarius, excepto proprio Metropolitano, nulli alii, neque Archiepiscopo vel Patriarchae extraneo, in propria sua dioecesi cedit; ideoque si aderunt Episcopus vel Archiepiscopus hospites, thurificandi sunt post proprium Episcopum.[11]

5. Dignitates ecclesiae collegiatae convenientes in Cathedrali et simul cum hujus Capitulo occasione solemnitatis assistentes, post Canonicos ecclesiae cathedralis thurificandae sunt.[12]

6. Beneficiati, sive parati sive non parati, post omnes Canonicos thurificantur.[13] Idem dicendum est de Parochis est Capellanis.[14]

7. Inter laicos Imperator vel Rex thuris honorem habet ante Episcopum assistentem; provinciarum Gubernatores post Episcopum assistentem eique assistentes Canonicos unum corpus individuum cum eo efficientes, sed ante reliquos omnes Dignitates, Canonicos; Magistratus immediate post Canonicos et Subdiaconum paratum ante Beneficiatos.[15] Ceterum in his rebus observandae sunt legitimae consuetudines.

§ 2. De Ductuum numero.

93. Quot ductus dantur in thurificatione?

1. Sanctissimum expositum[1] et Crux altaris[2] semper tribus ductibus incensari debent, non solum intra sed etiam extra Missam, quandocunque eorum incensatio contingat, et Sanctissimum quidem semper flexis genibus.

2. Episcopo dioecesano et Archiepiscopo in sua provincia, etiam non celebrantibus, semper tres debentur ductus duplices, nisi adsit Legatus vel Cardinalis;[3] Episcopus vero non dioecesanus (extraneus,

---

[11] *Caer. Ep.* l. c. — [12] *S. R. C.* 1. Mart. 1681 ad 2. n. 1664. — [13] *S. R. C.* 28. Sept. 1872 n. 3280. — [14] *S. R. C.* 25. Sept. 1852 ad 3. n. 3003. — [15] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 30.; *S. R. C.* 2. Mart. 1641 n. 737. et 20. Dec. 1659 n. 1140. et 21. Apr. 1668 n. 1365. et 31. Aug. 1669 ad 1. n. 1396. et 22. Jun. 1680 n. 1648.

[1] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 18.; *S. R. C.* 26. Mart. 1859 ad 3. n. 3086. — [2] *Caer. Ep.* ibid. n. 32. — [3] *Caer. Ep.* ibid.

suffraganeus, auxiliaris, titularis) etiam si celebret, praesente Episcopo dioecesano duobus[4] honoratur ductibus duplicibus, tribus[5] vero, absente Episcopo dioecesano.

3. Si adesset Legatus vel Cardinalis, ipsi ter, Episcopus et Celebrans bis, Dignitates et Canonici semel, reliqui per modum unius thurificantur.[6]

4. Celebrans semper ter duplici ductu incensandus est, si nullus adsit eo major, cui ob ejus dignitatem ecclesiasticam tres debeantur ductus, e. g. Episcopus; majore vero praesente duobus ductibus, quamvis ejus collegiales unico tantum ductu honorentur.[7]

5. Si ob praesentiam majoris Celebrans nonnisi duobus ductibus thurificandus sit, bini ductus ei dantur non solum tunc, quando simul cum majore (Episcopo) incensatur, v. g. ad Offertorium, sed etiam seclusa majoris incensatione, v. g. ad Introitum.[8]

6. Praeter Celebrantem tres ductus nemini Episcopo inferiori debentur, neque Dignitatibus aut Canonicis neque Vicario generali, qui, sive sint Canonici cathedralis sive collegiatae ecclesiae, duos[9] tantum accipiunt ductus, idque non tantum Episcopo praesente sed etiam absente.

7. Ministri sacri duobus ductibus thurificantur, si sint Canonici, quia duobus ductibus honorantur etiam Canonici non parati in choro.[10] Totidem ductus iisdem debentur etiam, si non sint Canonici, quia duobus ductibus incensantur etiam Beneficiati et Capellani parati in choro, a fortiori ergo Ministri sacri. Vide ad 8. sq.

8. Beneficiati, Parochi, Capellani, si sint parati[11] i. e. paramentis (e. g. pluviali, non superpelliceo tantum) induti, duobus ductibus sunt incensandi, non parati vero unico ductu.[12]

---

[4] *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 194. ad *b*. — [5] *S. R. C.* 13. Aug. 1763 ad 2. n. 2447. — [6] *Caer. Ep.* l. c. — [7] *Caer. Ep.* l. c.; *S. R. C.* 16. Maj. 1643 ad 4. n. 837. — [8] *Martinucci*, lib. 5. cap. 17. n. 34. — [9] *S. R. C.* 21. Jan. 1741 ad 8. n. 2358.; *Caer. Ep.* l. c. — [10] *S. R. C.* 21. Jan. 1741 ad 8. n. 2358. — [11] *S. R. C.* 28. Sept. 1872 n. 3280. et 13. Mart. 1700 ad 20. n. 2049.; *Eph. lit.* 1901 pg. 51. — [12] *S. R. C.* 16. Jun. 1663 ad 2. n. 1264. et 28. Sept. 1872 n. 3280.

9. Clerici in choro congregati thurificantur transeundo seu per modum unius.[13] Recole dicta n. **91.**

10. Canonici confluentes in festivitatibus extra ecclesiam cathedralem sine habitu canonicali sibi proprio non sunt thurificandi duobus ductibus, sed unico, distincto tamen et non transeundo.[14] Si tamen Capitulum cathedrale cum Episcopo alicui festivitati extra ecclesiam cathedralem assistat, singuli Canonici ante alios duobus ductibus incensari debent.

11. Inter laicos incensatur Imperator vel Rex ejusque vicarius (Statthalter, Landespräsident, Bezirkshauptmann) tribus ductibus, magistratus in corpore et in habitu officiali praesentes duobus ductibus, populus tribus ductibus.[15] Viri distincti, jure patronatus in quibusdam parochiis gaudentes et in ecclesiis sui patronatus Missae solemni vel per se vel per suum administratorem in loco distincto extra presbyterium interessentes honorantur tribus ductibus. Ceterum attendatur consuetudo hac in re vigens.

12. Reliquia s. Crucis vel alicujus Instrumenti Dominicae Passionis a Sacerdote stante, etiam Feria VI. in Parasceve, tam intra quam extra Missam, tribus[16] ductibus incensatur; Reliquiae vero et Imagines Sanctorum, etiam B. M. Virginis, duobus[17] tantum ductibus, etiamsi solae sint thurificandae seclusa altaris incensatione.

13. Candelae, cineres, palmae, novae cruces etc. solemniter benedicendae tribus[18] ductibus incensantur.

94. Unde notantur sequentes regulae generales:

1. Absente Episcopo Celebrans incensatur tribus, Canonici et Ministri sacri duobus, Clerici unico ductu in communi, populus tribus ductibus.

---

[13] *S. R. C.* 3. Aug. 1839 ad 4. n. 2791. — [14] *Eph. lit.* 1896 pg. 287., ubi interpretatur Decretum *S. R. C.* 31. Aug. 1680 ad 5. n. 1650. — [15] Cf. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 30. — [16] *S. R. C.* 15. Sept. 1736 ad 2. n. 2324. et 20. Mart. 1869 ad 7. n. 3201. et 17. Sept. 1897 n. 3966. — [17] *S. R. C.* 28. Jul. 1789 n. 2535. — [18] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 16. n. 8.

2. Praesente Episcopo hic ipse incensatur tribus, Celebrans, Dignitates, Canonici et Ministri sacri duobus ductibus, reliqui ut ad 1.

3. Absente Choro Celebrans incensatur tribus, Ministri sacri et alii parati ac Rector (Parochus) ecclesiae non celebrans duobus ductibus, Sacerdotes non parati singuli unico ductu, ceteri omnes per modum unius.

§ 3. De Incensatione in Missis solemnibus.

95. In Missis solemnibus ordinariis: Altari a Celebrante post Offertorium incensato, Diaconus stans ad cornu Epistolae in plano ante omnes incensat Celebrantem tribus ductibus duplicibus, deinde Thuriferario comite procedit e cornu Epistolae[1] ad chorum incensandum. Ad cujus medium quum pervenerit, salutat profunda capitis inclinatione utrimque Chorales, prius a parte, a qua incipienda est incensatio, deinde ab altera. Incipienda autem est incensatio semper a parte digniore.[2] Pars dignior censenda est ea, in qua adest Hebdomadarius,[3] vel eo absente appensa est tabella chori;[4] ab hac igitur parte incipienda est incensatio. Si vero vigeat consuetudo, nullo habito respectu Hebdomadarii, semper incipiendi a parte, in qua sedet dignior[5] e praesentibus, servari potest.[6] Incensata hac in parte Dignitate prima vel Canonico digniore, incensantur successive per ordinem reliqui Canonici omnes in eadem chori parte[7] singuli duobus ductibus duplicibus, dein procedit Diaconus ad incensandos Canonicos in altera

---

[1] Supponitur chorus post altare. Si vero chorus sit ante altare in utroque latere presbyterii, Diaconus antequam adeat chorum incensandum, procedit in medium ante altare ibique simpliciter genuflectit, postea incensat chorum. *Martinucci*, lib. 1. cap. 5. n. 19. — [2] *S. R. C.* 26. Sept. 1643. n. 851. — [3] *S. R. C.* 22. Jul. 1848 ad 1. n. 2960. — [4] *S. R. C.* 14. Nov. 1654 n. 973. — [5] *S. R. C.* 12. Sept. 1857 ad 25. n. 3059. et 20. Aug. 1870 n. 3216. — [6] *S. R. C.* 29. Maj. 1900 ad 6. Urgellen. (*Eph. lit.* 1900 pg. 532.). Cf. *Eph. lit.* 1899 pg. 573 sq. — [7] *S. R. C.* 26. Sept. 1643 n. 851. et 12. Sept. 1671 n. 1429. et 20. Jul. 1686 ad 3. n. 1773.

chori parte,[8] facto initio a digniore illius partis. Canonicis in hac altera parte incensatis thurificantur in eadem chori parte ii, qui sunt in sedibus inferioribus, idque per modum unius i. e. unico ductu in communi, si sint Clerici (vide n. **93.** ad 9.), secus singuli singulis ductibus successive per ordinem, si sint Beneficiati, Parochi, Capellani (vide ibid. ad 8.). Subinde incensantur eodem prorsus modo existentes in sedibus inferioribus alterius partis chori.

Incensatione chori absoluta et salutatis, ut supra, ab utraque parte Choralibus, Diaconus eadem via, qua venerat, id est e cornu Epistolae revertitur ad altare et subsistens ante infimum gradum anteriorem ad cornu Epistolae, se convertit ad Subdiaconum stantem in plano ante medium altaris, quem incensat duobus ductibus duplicibus. Subdiacono incensato et thuribulo Thuriferario reddito, Diaconus accedit ad locum suum in secundo gradu, ubi genuflexione simplici facta se convertit ad Thuriferarium, a quo stante in eodem loco i. e. in plano ante infimum gradum anteriorem ad cornu Epistolae, bis duplici ductu incensatur. Deinde Thuriferarius incensat Caeremoniarium et Acolythos assistentes ad credentiam unico ductu in communi et postremo populum tribus ductibus simplicibus, sicut in instructione pro Thuriferario dictum est n. **58.** ad 7.

Si laicis thura danda sint, thurificantur a Diacono Missae, et servatur ordo expositus n. **92.** ad 7. et n. **93.** ad 11.

96. In Missis solemnibus pontificalibus: Altari post Offertorium incensato omnium primus a Diacono incensatur Celebrans, sive sit Episcopus sive alius Praelatus, tribus ductibus duplicibus, deinde Presbyter assistens, Diaconus assistens primus, Diaconus assistens secundus,[9] post quos Dignitates et Canonici in choro, singuli duobus ductibus duplicibus, modo supra exposito, demum Subdiaconus duo-

[8] Si chorus sit ante altare, Diaconus transiens ex una parte chori ad alteram, genuflectit in medio ante altare. —
[9] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 27.

bus ductibus duplicibus. Quae incensationes omnes peraguntur per Diaconum Missae, qui redux ad altare in loco suo genuflexione facta, facie ad Thurifera-rium conversa, ab hoc incensatur bis duplici ductu. A Thuriferario incensatur subinde Clerus minor in choro a Diacono non incensatus,[10] modo in numero praecedenti exposito. Ad altare reversus eadem via, qua in chorum venerat, scilicet e cornu Epistolae, Thuriferarius genuflectit in medio ante gradus et in eodem loco stans incensat Acolythos ad credentiam unico ductu simplici in communi, facta capitis inclinatione ante et post. Iterata dein genuflexione, paulum progreditur versus aditum presbyterii (vel, exposito Sanctissimo, versus alterutrum latus cancellorum) ibique populum incensat tribus ductibus simplicibus cum inclinatione capitis ante et post incensationem. Quibus absolutis ad altare reversus simpliciter genuflectit in plano et thuribulum tradit ministro inservienti vel ipse reportat in sacristiam, inde reversurus ad credentiam in locum suum, genuflexione simplici in plano aute medium altaris facta.

Si Celebrans non sit Episcopus, sed alius Praelatus habens usum pontificalium, neque habeat Canonicos assistentes, tunc, si adsit chorus, immediate post Celebrantem incensantur Dignitates et Canonici in choro, singuli duobus ductibus duplicibus, deinde ad altare Presbyter assistens, Diaconi assistentes primus et secundus, demum Subdiaconus, singuli duobus ductibus duplicibus, omnes a Diacono, qui eodem prorsus modo in loco suo incensatur a Thuriferario. Prosequens subinde incensationem Thuriferarius adolet residuos, ut supra.

[10] Est ergo discrimen quoad incensationes post Offertorium in Missis solemnibus ordinariis et pontificalibus. In Missa solemni ordinaria enim servandae sunt Rubricae missalis *Rit. cel.* miss. VII. n. 10., juxta quas Diaconus integrum chorum thurificat; in Missa pontificali vero juxta Rubricas *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 24. Diaconus thurificat tantum Dignitates et Canonicos in choro, Thuriferarius autem Clerum minorem in scamnis inferioribus chori congregatum. Cf. *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 188. ad *a* et ibid. sub 26. ad *a*.

Caput II.

De Pace.

§ 1. De Modo et Ordine dandi Pacem.

97. In Missis solemnibus post primam ex tribus Orationibus ante Communionem Celebrantis semper datur Pax, sicut in missali notatur. Excipiuntur: *a)* Missae solemnes de Requie, *b)* Missae solemnes in triduo sacro, in quibus non datur Pax. Clero datur per amplexum, laicis per instrumentum.[1] Instrumentum Pacis seu pacificale non potest esse patena, sed esse debet tabella argentea aut ex pretiosa aliqua materia confecta, in qua sit alicujus Sancti, B. M. V. vel potius ss. Crucifixi imago. Ejus manubrio velum conveniens appenditur, ad idem post quodlibet osculum abstergendum.[2]

98. Quomodo datur et accipitur Pax?

1. Pax semper datur et accipitur capite detecto.[3]

2. In danda et accipienda Pace per amplexum standum est, non sedendum nec genuflectendum juxta regulam: Nulli ecclesiastico osculum pacis dandum est nisi stanti.[4]

3. Dans Pacem inclinat caput recipienti non ante, sed post[5] datam Pacem, excepto Celebrante, qui nec post datam Pacem se inclinat sua superioritate impeditus.[6] Accipiens autem Pacem ante et post datam Pacem caput inclinat deferenti Pacem plus minusve pro dignitate personae.[7] Quae inclinationes nunquam omittuntur, neque exposito Sanctissimo, quia pertinent ad ritum.

4. Dans Pacem super humeros recipientis ponit utramque manum extensam, recipiens autem alterum quasi complectens brachia sua supponit brachiis dantis.[8] Solummodo in Pace danda Praesulibus i. e. Cardinalibus, Episcopo ordinario, Legatis seu Nuntiis apo-

[1] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 6. — [2] *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 200. *e.* — [3] *S. R. C.* 12. Jan. 1878 ad 2. n. 3438. — [4] *Caer. Ep.* ibid. n. 7. — [5] *S. R. C.* 28. Sept. 1872 ad 1. n. 3281. — [6] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 329. — [7] *Caer. Ep.* l. c. n. 5. — [8] *Gavantus*, pars 2. tit. 10. n. 43.; *S. R. C.* 23. Maj. 1846 ad 7. n. 2915.

stolicis in locis suae nuntiaturae subjectis, dans Pacem manus suas non imponit, sed supponit brachiis Praesulis.[9]

5. Dantis et recipientis genae sinistrae sibi invicem appropinquant[10] sine tactu reali.

6. In amplexu dans Pacem dicit *Pax tecum* et recipiens respondet *Et cum spiritu tuo.* Quo dicto a se invicem aliquantulum recedunt et sibi invicem caput paululum inclinant.

99. Quibus et quo ordine datur Pax?

1. In danda Pace generaliter tenendus est ordo dignitatis, ita ut Celebrans semper det Pacem, recipiat nunquam.

2. Post Celebrantem datur Pax primo cujusque ordinis, incipiendo a dignioribus et descendendo ad minus dignos.[11]

3. Ad chorum defertur Pax in Missis solemnibus ordinariis per Subdiaconum,[12] in Missis vero, in quibus adest Presbyter assistens, ut in Missis pontificalibus, per Presbyterum assistentem,[13] qui tamen eam praebent solummodo Dignitatibus et Canonicis, minime vero Clericis, utpote quibus datur a Caeremoniario.[14]

4. Episcopo non celebranti, sed assistenti Missae solemni, sive in throno sive in choro, Pax datur non a Subdiacono, sed a Diacono, utpote digniore, imo a Presbytero assistente, si adsit.[15]

5. Quando per instrumentum danda est Pax, antequam deferatur, instrumentum osculandum est ab eo, qui primus a Celebrante accepit Pacem, ergo a Diacono in Missis solemnibus ordinariis, a Presbytero assistente in Missis pontificalibus.[16]

---

[9] *Martinucci*, lib. 1. cap. 6. n. 7.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 196. a. — [10] *Rit. cel.* miss. X. n. 8. — [11] *Rit. cel.* miss. X. n. 8.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 6. 7. — [12] *Rit. cel.* miss. l. c.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 11. — [13] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 4. et lib. 2. cap. 8. n. 75. — [14] *Rit. cel.* miss. l. c.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 7. — [15] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 8.; *S. R. C.* 11. Febr. 1702 ad 5. n. 2089. — [16] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 6. *S. R. C.* 28. Sept. 1630 ad 2. n. 544.

§ 2. De Pace danda in Missis solemnibus.

100. In Missis solemnibus ordinariis Pax datur: *a)* Diacono et Subdiacono, *b)* Canonicis in choro, *c)* ministris inferioribus seu Acolythis assistentibus ceterisque Clericis. Celebrans dat Pacem Diacono ad altare in suppedaneo, Diaconus autem Subdiacono in plano, modo n. **87.** ad 3. descripto. Subdiaconus accepta Pace caput inclinat Diacono et facta in primo gradu simul cum Diacono genuflexione simplici, Caeremoniario comite, tendit per cornu Epistolae[1] ad chorum, ubi sine salutatione Choralium ob reverentiam ss. Sacramenti in altari, directe accedit ad digniorem inter Canonicos in stallis superioribus. Post datam illi Pacem descendit gradus chori et facta in plano praedicto Canonico inclinatione, transit ad alteram chori partem,[2] Pacem daturus absque praevia inclinatione primo Canonico in stallis superioribus. Data Pace et inclinatione illi in plano facta, absque salutatione choro facienda per cornu Evangelii[3] Caeremoniario duce redit ante altare, ubi genuflectit[4] simpliciter in primo gradu et data Pace Caeremoniario comiti[5] repetitaque genuflexione ascendit ad dexteram Celebrantis facturus, quae sunt sui muneris. Caeremoniarius repetita simul cum Subdiacono ante altare genuflexione, se confert ad credentiam et Pacem praebet primo ex ministris inferioribus, procedit deinde ad Clericos congregatos in scamnis chori et dat Pacem primo in singulis scamnis, qui eam tradit sequenti et sic alter alteri per ordinem usque ad ultimum.

Laicis Pax nunquam datur per amplexum, sed semper per instrumentum, et quidem post Pacem datam Canonicis in choro juxta dicta n. **92.** ad 7. quoad incensationem, et ab eodem, qui illam per osculum defert

---

[1] *Carpo*, pars 2. n. 195. Supponitur chorus post altare. — [2] Si ante altare transire cogatur, non omittat debitam genuflexionem in transitu altari faciendam. — [3] *Carpo*, l. c. — [4] *Rit. cel.* miss. X. n. 8. — [5] Ex *Rit. cel.* miss. X. n. 8. Subdiaconus Caeremoniario comiti dat Pacem reversus ante altare, non in choro. Cf. *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 201. ad a. Vide infra notam 9.

Dignitatibus et Canonicis,[6] in casu ergo a Subdiacono. Data igitur Subdiacono Pace, Diaconus (n. **99.** ad 5.) osculatur instrumentum de credentia a Caeremoniario acceptum sibique porrectum dicens *Pax tecum,* cui Caeremoniarius respondit *Et cum spiritu tuo.* Tum Caeremoniarius, genuflexione simplici simul cum Subdiacono ante altare facta, comitatur Subdiaconum Pacem deferentem ad chorum, qui postquam Canonicis in choro dederit Pacem, reversus ad altare ibique simul cum Caeremoniario genuflexione simplici facta, comite Caeremoniario instrumentum ante pectus reverenter deferente, pergit ad Magistratum illique instrumentum a Caeremoniario acceptum et velo albo appenso abstersum osculandum praebet dicens *Pax tecum,* qui respondet *Et cum spiritu tuo.*[7] Reverentia Magistratui facta et instrumento Caeremoniario restituto revertitur ad altare, ubi genuflectit simul cum Caeremoniario, qui deposito in credentia instrumento, redux ad altare ab eo accipit Pacem, quam, iterata simul cum Subdiacono ante altare genuflexione, defert ad Acolythos, ut supra. Subdiaconus vero ascendit ad dexteram Celebrantis prosecuturus suum assistendi officium.

101. In Missis solemnibus pontificalibus Pax eodem modo datur hoc discrimine, quod dicto *Agnus Dei* Presbyter assistens in suppedaneo a dexteris Celebrantis genuflectat,[8] post primam ante Com-

---

[6] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 7.; *S. R. C.* 12. Jul. 1892 ad 9. n. 3780. — [7] Si pluribus danda sit Pax, instrumentum singulis offertur dicendo *Pax tecum* et post singula oscula instrumentum abstergitur. — [8] Agitatur inter auctores quaestio, utrum Presbyter assistens in Missa pontificali, antequam Pacem a Celebrante accipiat, flectere debeat unum vel utrumque genu. Alii enim contendunt, faciendam esse genuflexionem simplicem, provocantes ad verba *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 75.: „genuflectit et *statim* surgit" dicentes: „Quum Presbyter assistens ad dexteram Celebrantis pervenerit, hic Orationem *Domine Jesu Christe etc.* ordinarie absolvit, proinde unico genu flectere et statim surgere debet" (*Herdt,* Prax. Pont. II. n. 118. *b.*; *Schober,* Caerem. art. 9. cap. 7. notam 8.). Alii vero praescribunt duplicem genuflexionem, verba Caeremonialis ita intelligentes, ut Presbyter assistens genuflexus exspectet Pacem et post absolutam primam Oratio-

munionem Orationem statim assurgat et, osculato simul cum Celebrante altari extra corporale, ab eo accipiat Pacem, quam subinde defert Dignitatibus et Canonicis in choro (n. **99.** ad 3.). Pace hisce distributa, antequam ad altare redeat, dat eam in choro[9] Caeremoniario. Deinde redit ad altare et genuflexione simplici in primo gradu facta, accedit ad locum suum. Caeremoniarius accepta Pace, eam distribuit ceteris in choro, scilicet primo cujusque partis reliquorum in choro, qui Pacem a Presbytero assistente non acceperunt, postmodum Acolythis ad credentiam primo cuique in ordine. Interim post Presbyterum assistentem accesserunt ad Celebrantem Pacem accepturi Diaconi assistentes, postea Diaconus et Subdiaconus Missae. Hi omnes postquam accesserunt ad Celebrantem, genuflectunt quidem in suppedaneo ante et post acceptam Pacem, minime vero altare osculantur.[10]

Laicis (Magistratui) datur Pax post Canonicos in choro. In hoc casu, quum dicitur *Agnus Dei*, Caeremoniarius de credentia accipit instrumentum, et dum Presbyter assistens Pacem accepturus ad dexteram Celebrantis exspectat in suppedaneo, ipse genua submittit in infimo gradu. Presbytero descendente surgit eique instrumentum porrigit, quod Presbyter accipiens osculatur dicens *Pax tecum* et Caeremoniarius respondet *Et cum spiritu tuo*. Deinde, genuflexione

---

nem ante Communionem *statim* assurgat ad recipiendam Pacem. Ita *Martinucci*, lib. 1. cap. 6. n. 11. et lib. 5. cap. 9. n. 134.; *Baldeschi*, III. cap. 1. art. 5. n. 52.; *Hazé*, art. 5. n. 6.; *Hartmann*, § 179. IX. n. 1. et ipse *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 124. pag. 185. Quid ergo? Utramque sententiam componentes dicendum esse arbitramur, sufficere simplicem genuflexionem, si Celebrans infra accessum Presbyteri assistentis ad sui dexteram jam absolverit Orationem respectivam, Assistentem autem utrumque genu submittere debere, si Celebrans in legenda Oratione diutius immoraretur et proinde Assistens per aliquod temporis spatium exspectare cogeretur, ad conformitatem cum Diacono in Missa solemni ordinaria, qui genuflexus exspectat Pacem (*Rit. cel. miss.* X. n. 8.). — [9] Juxta *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 6. Presbyter assistens Caeremoniario Pacem dat in choro. Quod valet tantum pro Missa pontificali. Cf. notam 5. — [10] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 3.; *S. R. C.* 18. Mart. 1899 ad 3. n. 4015.

simplici ante altare simul cum Presbytero facta, a sinistris Presbyteri incedens instrumentum ante pectus reverenter defert, ut illud opportuno tempore Presbytero offerat, scilicet quando, Pace distributa Canonicis, Presbyter illud laicis daturus est osculandum.[11] Reliqua fiunt ut supra.

Caput III.

De Osculis manuum et instrumentorum in horum traditione.

102. Regulae generales:

1. In sacris functionibus res vel instrumenta, veluti aspersorium, thuribulum, cochlear, patena, calix, ampullae, biretum, ita tradenda sunt in manus accipientis, ut hic commode et rite ea accipere possit.

Unde semper attendendum est, num res Celebranti tradenda sit immediate an mediante alio Ministro. Si e. g. aspersorium tradendum sit Celebranti immediate, sumitur in medio et offertur extremitate manubrii ad Celebrantem versa; si autem mediante alio Ministro tradendum sit Celebranti, sumitur per extremitatem manubrii, ut Minister intermedius illud apprehendat in medio et Celebrans in extremitate manubrii. Osculandum est aspersorium semper in extremitate manubrii. De traditione thuribuli recole dicta n. **57.** reg. spec. 10. De traditione cochlearis vide n. **83.** ad 4. De traditione aliarum rerum suis locis.

2. Quoties aliquid offertur Celebranti, sive sit Episcopus sive simplex Sacerdos, toties osculanda est res, quae offertur ac deinde manus accipientis; et quum ab eodem aliquid accipitur, primo manus, deinde res, quae accipitur, osculanda est.[1]

Exceptiones ab hac regula: *a)* Quum Episcopo chirothecae imponuntur, prius manus ejus deinde chirothecae osculandae sunt.[2] Ratio est, quia quum

[11] *Herdt,* Prax. Pont. I. n. 200. *f.*

[1] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 16. — [2] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 19.

manus per chirothecas obtegantur, chirothecae alias bis osculandae viderentur.[3] — *b)* In accipiendis candelis et palmis benedictis prius osculandae sunt candelae et palmae, postea manus.[4] Ratio esse videtur, quia in recipiendis candelis aut ramis dignitas rei benedictae requirit, ut Ministri prius illam osculentur.[5] — *c)* Minister inserviens Missae privatae et Clericus assistens Missae cantatae tam in porrigendo quam in recipiendo osculantur utramque ampullam vini et aquae, quin tamen osculentur manum Celebrantis.[6]

3. Soli Celebranti non autem Ministris ejus hoc obsequium osculi praestandum est.[7] Quapropter in traditione rerum in manus Ministrorum sive superiorum sive inferiorum, vel in earum receptione, non sunt osculandae neque manus accipientis Ministri neque res tradendae.

103. Oscula in traditione rerum omittenda sunt:

1. In Missis et functionibus pro defunctis.[8]

2. In functionibus in Parasceve Domini.[9]

3. In ministrando thure et thuribulo, quotiescunque solum ss. Sacramentum incensandum est.[10] Quo in casu nec benedicitur thus, sed simpliciter imponitur.[11]

4. In Missis solemnibus coram exposito ss. Sacramento omittuntur omnia oscula mere reverentialia, non autem ritualia. Reverentialia sunt, quae fiunt ob meram reverentiam Celebranti debitam, oscula nempe manus in traditione et receptione cochlearis, thuribuli, ampullarum, annuli, baculi, aspergilli, bireti necnon oscula ipsorum horum instrumen-

[3] *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 83. sub 19. — [4] *S. R. C.* 16. Sept. 1865 n. 3139.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 16. n. 9. et cap. 21. n. 6. — [5] Cf. *Schober*, Caer. art. 1. cap. 2. n. 7. — [6] *Rit. cel.* miss. VII. n. 4.; *S. R. C.* 16. Nov. 1906 ad 2. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 65.) — [7] *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 163. *a.* — [8] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 2.; *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 16. et lib. 2. cap. 11. n. 5. et *S. R. C.* 16. Nov. 1906 ad 3. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 65.) — [9] *S. R. C.* ibid. — [10] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 18. — [11] Ibid.

torum. Ritualia sunt, quae pertinent ad ritum, qualia sunt oscula missalis, patenae, calicis necnon manus in traditione rerum harum.[12]

5. Praesente Episcopo omittenda sunt omnia oscula reverentialia ceterum Celebranti debita, quae exposito ss. Sacramento omittenda sunt.[13]

Unde regula: In Missis et functionibus in colore nigro omittuntur omnia oscula tum reverentialia tum ritualia; in Missis et functionibus coram exposito Sanctissimo et coram Episcopo omittuntur solummodo oscula reverentatia; in Missis solemnibus ordinariis nulla omittuntur oscula.

Tractatus III.

De Officio Ministrorum superiorum in Missa pontificali et in Missis coram Episcopo.

Caput I.

Regulae generales observandae in functionibus pontificalibus et coram Episcopo.

104. — 1. Soli Episcopo competit titulus „Reverendissimus", quapropter in petenda benedictione ipsi soli dicitur *Benedicite Pater Reverendissime* et nulli alii Episcopo inferiori.[1] Alii tituli, ut „Celsissime",

---

[12] *Gardellini*, Comment. in Instr. Clement. XXX. n. 14. — [13] Patet hoc ex *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 16., ubi dicitur: „Idem (i. e. oscula manuum et instrumentorum) observandum est erga alios Celebrantes absente Episcopo." Si oscula, recte infert *Herdt*, absente Episcopo sint facienda, concludendum est, eadem praesente Episcopo esse omittenda, illa scilicet quae exposito ss. Sacramento omittenda sunt. Prax. Pont. I. n. 163. ad *g*. Ad quaesitum: Utrum in Missa coram Episcopo cantata Diaconus cessare debeat ab osculis manus Celebrantis a Rubrica praescriptis, e. gr. patenam vel thuribulum porrigendo? *S. R. C.* 12. Sept. 1857 ad 2. n. 3059. respondit: Servandum Caeremoniale Episcoporum. Cf. *Bouvry*, tom. 2. pg. 600.

[1] *Martinucci*, lib. 1. cap. 13. n. 15. nota *a*. Cf. *S. R. C.* 28. Aug. 1734 ad 3. n. 2309.

„Illustrissime", „Eminentissime", in hac formula minime adhibentur.[2]

2. Quater in Missa pontificali secundum Rubricas Pontifex lavat manus: *a)* in throno vel in sacristia (sacello), antequam capiat paramenta;[3] *b)* in throno post lectum Offertorium accepta mitra extractisque annulo et chirothecis; *c)* in cornu Epistolae post incensationem Oblatorum, altaris et sui ipsius; *d)* in cornu Epistolae post Communionem ablutione sumpta acceptaque mitra.[4] Quinta lotio post Missam depositis paramentis non est praescripta.[5]

3. Dum Episcopus (non alius Praelatus Episcopo inferior) manus lavat, sive ante sive infra Missam, non tantum ministri lotionis, sed et reliqui omnes ad thronum assistentes et circumstantes, exceptis Canonicis et Dignitatibus, in genua procumbunt, nisi adsit Episcopo dignior,[6] et nisi expositum sit Sanctissimum.

4. Si incensum imponendum sit in solio, e. g. ante Evangelium cantandum, navicula Pontifici ministratur a Presbytero assistente, si autem ad altare, e. g. ante Introitum et post Offertorium, a Diacono Missae. Thuribulum omni in casu ministratur a Thuriferario.[7]

5. Dum Pontifex stat ad altare, incensatur a Diacono Missae, e. g. ante Introitum, post Offertorium; dum autem est apud sedem, incensatur a Presbytero assistente,[8] e. g. finito Evangelio.

6. In Missis pontificalibus Celebrans manipulo non induitur ante Missam simul cum reliquis paramentis, sed infra Missam post Confessionem, praeterquam in Missis pontificalibus de Requie, in quibus eum sumit statim cum aliis paramentis.

7. Episcopo ordinario, sive pontificaliter sive cappa tantum aut mozzetta induto, occasione functio-

---

[2] Ibid.; *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 109. *b.* — [3] Si cantatur Tertia, haec lotio fit infra ejusdem cantum. — [4] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 11. — [5] *S. R. C.* 15. Maji 1900 ad 2. (*Eph. lit.* 1900 pg. 529.) — [6] Clerus in choro et de choro non genuflectit, quia diversum chorum efficit. — [7] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 1. — [8] *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 58. *c.*

num ecclesiasticarum ab omnibus, qui non sunt de gremio capituli cathedralis, sive sacris paramentis sive superpelliceo tantum sint induti,[9] reverentia exhibenda est per simplicem genuflexionem in accessu, transitu et recessu,[10] nisi *a)* functio fiat coram exposito Sanctissimo, quia tunc cessant omnes reverentiae, etiam Episcopo debitae,[11] quae alioquin (non ritus, sed) honoris ratione fiunt[12] et nisi *b)* adsit Episcopo dignior, Metropolita, Cardinalis, Legatus, quia tunc tantum se inclinant.[13]

Secundum hanc regulam igitur genuflectere tenentur coram Episcopo dioecesano in actu functionis: *a)* Ministri superiores, nisi sint Canonici capituli cathedralis, *b)* Ministri et assistentes inferiores, Beneficiati, Capellani etc., *c)* Canonici ecclesiae collegiatae,[14] nisi adsit consuetudo aut privilegium in contrarium.[15]

Non tenentur ad genuflexionem, sed ad capitis et humerorum inclinationem[16] tantum: *a)* Celebrans, licet sit simplex Sacerdos, quia Celebrans nunquam genuflectit Episcopo;[17] *b)* Canonici capitulares ecclesiae cathedralis,[18] quia sunt consiliarii Episcopi ejusque senatus; *c)* Canonici honorarii ecclesiae cathedralis.[19]

8. Episcopo extraneo, Praelatis Episcopo inferioribus habentibus usum pontificalium et Abbatibus extra suae jurisdictionis ecclesias in accessu, transitu et recessu non debetur reverentia per genuflexionem, sed per inclinationem.[20] Si vero Episcopo extraneo a dioecesano cessus fuerit thronus,[21] eo ipso idem

[9] *S. R. C.* 15. Maji 1745 n. 2381. et 9. Maji 1857 n. 3046. — [10] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 3.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 150 ad f. — [11] *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 6. n. 2928. — [12] Recole num. 43. not. 9. — [13] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 15. — [14] *S. R. C.* 21. Jan. 1741 n. 2356., 20. Maji 1741 n. 2361., 26. Mart. 1757 n. 2443., 24. Sept. 1788 n. 2534. — [15] *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 150 ad *e*. — [16] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 3. — [17] *S. R. C.* 13. Mart. 1700 ad 1. n. 2049. — [18] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 3. — [19] *S. R. C.* 25. Sept. 1875 ad 2. n. 3377. — [20] *S. R. C.* 12. Sept. 1857 ad 20. n. 3059. — [21] *S. R. C.* 12. Jun. 1899 n. 4023. Episcopo Coadjutori aut Auxiliario aut Vicario generali aut Dignitati seu Canonico suae ecclesiae Episcopus thronum cedere nequit. *S. R. C.* ibid.

acquirit etiam jus ad reverentias per genuflexionem sibi praestandas. Cui enim conceditur principale, quod in casu est thronus, eidem etiam conceditur accessorium, quod sunt honorificentiae cum throno maximam relationem dicentes.[22]

In sequentibus praefatae reverentiae brevitatis causa exprimuntur verbis „debita cum reverentia" vel similibus, per quae intelligenda est mox genuflexio mox inclinatio, prout Celebrans est vel Episcopus ordinarius vel alius Praelatus, Ministri superiores autem vel Canonici vel non.

Caput II.

De Missa solemni pontificali.

§ 1. De Tertia cantanda ante Missam pontificalem Episcopi.[1]

105. — 1. Episcopus secundum morem ad altare deductus, simul cum Presbytero et Diaconis assistentibus accedit ad thronum, ubi stans, recitato *Pater noster* et *Ave Maria*, intonat *Deus in adjutorium meum intende.*

2. Hymno a choro finito et psalmo incepto Episcopus sedet et capite bireto cooperto legit praeparationem ad Missam, adstantibus ministris de libro et de candela. Presbyter et Diaconi assistentes, a lateribus discooperti stantes, Psalmos praeparationis cum Episcopo alternatim[2] recitant. Quum Episcopus sederit, statim accedunt sex Acolythi, qui facta coram Episcopo genuflexione, in forma semicirculi thronum circumdant, dum Praesul caligis et sandaliis induitur.[3] Quibus expeditis Acolythi omnes simul coram

[22] *Eph. lit.* 1899 pg. 727. sq.

[1] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 5 – 23. — [2] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 3. — [3] Juxta *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 7. detractis Episcopo ab ejus cubiculario calceis ordinariis, Subdiaconus Missae paratus et genuflexus deberet Episcopum induere caligis et sandaliis; sed vigente consuetudine hoc fieri potest, etiam per cubicularium (scutiferum) Episcopi, adstante interim Subdiacono. *S. R. C.* 18. Mart. 1899 ad 2. n. 4015.

Celsissimo simpliciter genuflectunt et redeunt ad loca sua. Mox Pontifex deponit cappam et lavat manus more solito, omnibus (exceptis Canonicis) circumcirca thronum interim genuflectentibus (reg. gen. 3.), quo facto Presbyter et Diaconi assistentes in sacristiam se conferunt ad sumenda paramenta, Diaconus et Subdiaconus Missae autem jam parati eorum locum ad solium Episcopi occupant.[4]

3. Interim Caeremoniarius ministris inferioribus, qui successive ad altare accedunt, ordine infra ad 4 descripto distribuit paramenta in altari posita, quae dicti ministri inferiores debita cum genuflexione per ordinem, unus post alium,[5] ad thronum afferunt et omnes pro induendo Episcopo ministro tradunt, quo facto ad suum quisque locum apud credentiam redit.

4. Post lotionem manuum Pontifex induitur hoc ordine: amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, stola et pluviali[6] eique imponitur mitra. Episcopo sic parato, Diaconus et Subdiaconus Missae de throno descendunt et facta reverentia Episcopo et altari accedunt ad sedes suas, Diaconi assistentes autem jam parati accedunt ad Episcopum ad loca sua.

5. Dum psalmis finitis a choro repetitur antiphona, Caeremoniarius Subdiaconum debitis cum reverentiis deducit ad locum, ubi cantari solet Epistola, ad cantandum capitulum, et omnes surgunt.

6. Paulo ante Orationem ad nutum Caeremoniarii duo Ceroferarii cum candelabris accensis, facta

---

[4] Nonnullis in locis tamen Presbyter assistens, duo Diaconi assistentes, Diaconus et Subdiaconus Missae statim post adventum Episcopi accedunt ad sacristiam, ubi suis paramentis induuntur, remanentibus interim in habitu canonicali duobus Canonicis apud Episcopum in solio facientem praeparationem ad Missam. Reversis ordinatim assistentibus paratis e sacristia ad altare, duo Canonici in habitu canonicali accedunt ad stalla sua in choro, facta debita reverentia tum Episcopo tum altari: Presbyter assistens et Diaconi assistentes autem accedunt ad thronum, unusquisque in locum suum, Diaconus et Subdiaconus Missae vero ad sedes in cornu Epistolae. — [5] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 12. — [6] Si Tertia in choro non cantatur, Episcopus pluviali non induitur, sed statim tunicella, dalmatica etc. ut n. 7. dictum est.

in transitu ante altare genuflexione, accedunt ad thronum Episcopi, ubi, praemissa genuflexione, stant versis invicem faciebus infra Orationem, quam Episcopus deposita mitra cantat. Oratione absoluta debitis cum reverentiis tum ante Episcopum tum ante altare recedunt ad credentiam.

7. Infra Orationem ab Episcopo cantandam Caeremoniarius reliqua paramenta pontificalia ministris inferioribus distribuit scil. tunicellam, dalmaticam, chirothecas et planetam, quibus Episcopus absoluta Oratione et deposito pluviali induitur. Denique ei imponitur mitra, porrigitur annulus et traditur baculus. Omnibus sic praeparatis accedit cum Ministris ad altare Missam incepturus.

§ 2. De Officio Diaconi et Subdiaconi in Missa solemni pontificali.

106. Missa pontificalis hoc ordine celebratur: *a)* ab initio usque ad peractam primam incensationem altaris et Celebrantis ante Introitum — ad altare; *b)* ab Introitu inclusive usque ad oblationem hostiae exclusive — ad thronum; *c)* ab oblatione hostiae usque ad finem — ad altare. Sedes Diaconi et Subdiaconi sunt ad cornu Epistolae e regione throni episcopalis.

1. Ante Missam pontificalem, ad quam Pontifex in sacello vel sacristia paramentis induitur, ab eo thus imponitur more solito ante accessum ad altare;[1] minime rero inponitur incensum, si induatur in throno ad altare majus.[2] Pro impositione thuris Thurifer-arius, tradita Presbytero assistenti navicula, accedit ad Pontificantem debitis cum reverentiis (reg. gen. 7. et 8.), eique thuribulum ministrat genuflexus, si sit Episcopus, secus stans.

2. Ad altare quum pervenerint, **Diaconus** Missae Pontifici deponit mitram et omnes ita se sistunt, ut in medio ante altare stet Pontifex, a dexteris ejus

[1] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 23. — [2] Ibid. n. 25.; *S. R. C.* 23. Sept. 1837 ad 2. n. 2776.

Presbyter assistens, a sinistris vero **Diaconus** Missae, a cujus sinistris modicum retro **Subdiaconus**;[3] retro post Presbyterum assistentem stat Diaconus assistens primus, post hunc ministri de baculo et de mitra; retro post Diaconum Missae Diaconus assistens secundus, post hunc minister de candela et de libro[4] ac Caeremoniarius, reliqui ad abacum. Vide stationem in fine libri.

3. Quum Pontifex incipit *Indulgentiam, absolutionem etc.* **Subdiaconus** a Caeremoniario vel a ministro de libro accipit manipulum Pontificis, hucusque in libro Evangeliorum inclusum eumque osculatur in cruce laterali. Praedicta oratione completa, Diacono paululum retrocedente, eum Pontifici offert osculandum in cruce superiori et applicat brachio sinistro ejus statimque, manu ejus osculata, accedit ad locum suum.

4. Ascendente Pontifice per gradus Presbyter assistens et **Diaconus** Missae loca sua mutant post Pontificem. Assistens scilicet accedit ad sinistram post Episcopum ante Diaconum, hic autem post Presbyterum ad dexteram Pontificis et simul cum illo ascendunt ad altare. **Subdiaconus** cum libro Evangeliorum a ministro accepto etiam ascendit[5] a sinistris Presbyteri assistentis. Ad altare librum aperit in folio Evangelii Festi, et postquam Pontifex altare osculatus est, ante incensationem altaris, eidem librum offert osculandum in principio Evangelii, textum indicante Presbytero assistente. Quo facto Subdiaconus librum claudit et ministro reddit.

5. Incensatione ante Introitum more solito peracta, Pontifex stans cum mitra in cornu Epistolae,[6] non in throno, tribus ductibus duplicibus a **Diacono** Missae stante in plano cornus Epistolae cum Subdiacono a sinistris incensatur, quo facto omnes accedunt ad sedes ibique permanent usque ad Offertorium.

6. Ante Epistolam cantandam **Subdiaconus** more solito tenens librum a Caeremoniario acceptum, ac-

[3] *Caer. Ep.* l. c. n. 30. — [4] *Herdt*, Prax. Pont II. n. 88. *a.* — [5] *Caer. Ep.* l. c. n. 33. — [6] Ibid. n. 35.

cedit ante gradus altaris, factisque simul cum Caeremoniario debitis reverentiis (reg. gen. 7. et 8.) prius Cruci altaris deinde Pontifici,[7] vadit ad locum, ubi Epistola cantari solet. Qua cantata redit ante medium altaris, debitam Cruci facit reverentiam, accedit comitante Caeremoniario ad Pontificem in sede, debitam ei exhibet reverentiam, scilicet stans et profunde inclinatus, si sit Canonicus, genuflexus in primo gradu, si sit simplex Sacerdos, librum versus Pontificem declinat, dexteram ejus super libro positam osculatur et benedictionem de more accipit. Qua accepta surgit, paululum a sede regressus Pontifici debitam facit reverentiam, librum tradit Caeremoniario et, facta altari reverentia, redit ad locum suum.

7. Osculata manu Celebrantis per Subdiaconum, accedunt duo ministri de libro et candela ad Celebrantem, cui serviunt ad librum in lectione Epistolae et aliorum usque ad Evangelium inclusive.

8. Circa finem cantus Gradualis vel lecto a Pontifice Evangelio, **Diaconus** librum Evangeliorum a Caeremoniario acceptum solus defert ad altare debitam faciens reverentiam prius Pontifici deinde Cruci[8] altaris ante gradus. Librum clausum deponit in medio altaris cum apertura versus cornu Evangelii et, si positio throni id permittit, facta Cruci reverentia via breviori, secus via longiori i. e. descendens per gradus anteriores, facta altari reverentia accedit ad Pontificem, cujus dexteram, praemissa reverentia, deosculatur stans inclinatus, si sit Canonicus, genuflexus in gradu sedis, si sit simplex Sacerdos. Quo facto iterataque debita reverentia Pontifici, redit ad altare in cujus infimo[9] gradu genuflexus et mediocriter inclinatus secreto dicit *Munda cor meum etc.*, quo dicto ascendit ad altare ad accipiendum librum.

9. Dicente Diacono *Munda cor meum etc.* **Subdiaconus**[10] et Ceroferarii cum candelabris accensis,

[7] Hunc ordinem observari vult *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 40. — [8] Hic ordo praescribitur a *Caer. Ep.* l. c. n. 42. — [9] *Caer. Ep.* l. c. — [10] *Martinucci*, lib. 5. cap. 9. n. 96.

duce Caeremoniario, ut alias, accedunt ante gradus altaris, ubi se ita sistunt, ut triplex series efficiatur sicut dictum est n. **47.** ad 4. vel n. **64.** ad 5. Eodem tempore[11] Presbyter assistens comitante Thuriferario debita cum reverentia accedit ad thronum, ubi cum osculo consueto et usitata formula *Benedicite Pater Reverendissime* Pontifici offert naviculam ad ingerendum thus in thuribulum praesentatum a Thuriferario a dexteris Presbyteri assistentis genuflexo vel stante, prout Celebrans est vel Episcopus vel non. Thure imposito et facta Celebranti debita reverentia, Presbyter assistens redit ad locum suum, Thuriferarius autem cum thuribulo et navicula se adjungit Caeremoniario stanti ante gradus altaris.

10. Dum tempus est eundi ad cantandum Evangelium, omnes i. e. **Diaconus** cum missali clauso ante pectus et **Subdiaconus** manibus junctis ante pectus, Caeremoniarius et Thuriferarius cum thuribulo et navicula, et Ceroferarii cum candelabris accensis, facta altari debita reverentia, accedunt ad thronum. Ibi se sistunt: **Diaconus** in medio ante thronum, **Subdiaconus** a sinistris Diaconi paulo post eum, Ceroferarii post eos medium habentes inter se Caeremoniarium, et post hunc Thuriferarius. Dum **Diaconus** inclinatus, si sit Canonicus, alioquin genuflexus, in gradu throni, petit benedictionem dicens *Jube Domne benedicere,* ministri inferiores omnes in genua procumbunt,[12] **Subdiaconus** vero profunde caput inclinat vel genuflectit, sicut **Diaconus.** Data a Celebrante benedictione Diacono, qui manum ejus nunc non osculatur, quia eam jam antea osculatus est, surgunt omnes et facta debita reverentia Celebranti procedunt ad locum, ubi Evangelium cantari solet ibique se sistunt, uti moris est. Recole n. **47.** ad 4. Infra Evangelium singuli se gerunt, sicut in aliis Missis solemnibus. Evangelio cantato, **Subdiaconus** absque praevia reverentia librum apertum portat ad Celebrantem eique in folio, ubi est principium Evangelii cantati, offert osculandum, nulla ei facta reve-

[11] *Caer. Ep.* l. c. n. 43. — [12] *Caer. Ep.* l. c. n. 44.

rentia, nisi postea, libro clauso. **Diaconus** et alii cum debitis reverentiis eodem ordine revertuntur et Presbyter assistens,[13] non Diaconus, Celebrantem incensat tribus ductibus duplicibus.

11. Infra cantum Symboli omnes se gerunt, sicut in Missis solemnibus ordinariis, sed in Nativitate Domini et in Festo Annuntiationis B. M. V. vel in die translata ejusdem, dum a Choro cantantur verba *Et incarnatus est etc.* non genuflectunt in infimo gradu altaris, sicut in Missis solemnibus ordinariis (cf. n. **85.** ad 6.); sed Pontifex cum mitra apud sedem suam, reliqui autem in locis suis genuflectunt[14] et finito cantu versiculi iterum sedent. Versiculo *Et incarnatus est etc.* a cantoribus cantato, **Diaconus** a Caeremoniario admonitus surgit, surgente etiam **Subdiacono,**[15] accedit ad credentiam et more solito bursam cum corporali inde affert ad altare, in via ante medium altaris prius Pontifici, dein[16] altaris Cruci debitam faciens reverentiam. Reliqua peragit, uti n. **85.** ad 5. dictum est.

12. Dicto Offertorio ab Episcopo, **Subdiaconus** directe accedit ad credentiam allaturus inde calicem cum hostia ad altare more solito, exspectans, si necesse sit, in plano ante gradus laterales adventum Episcopi ad altare, ne prius quam hic ascendat in suppedaneum. Quum Episcopus ante gradus altaris pervenerit, ei mitra aufertur a Diacono Missae. Ante infusionem vini idem **Diaconus,**[17] non Subdiaconus[18] uti in aliis Missis solemnibus, extergit calicem purificatorio. Quoad ordinem incensandi post Offertorium perlege dicta n. **96.** Dicto psalmo *Lavabo,* ante *Gloria Patri etc.* aufertur Episcopo mitra per Diaconum assistentem secundum.

13. Accepta thurificatione usque ad finem Orationis Dominicae **Diaconus** stat in loco suo post Celebrantem, exceptis hisce casibus: *a)* ad *Sanctus:*

---

[13] Ibid. n. 47. — [14] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 53. et cap. 15. n. 10. — [15] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 54. — [16] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 3. — [17] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 62. — [18] *Rit. cel.* miss. VII. n. 9.

b) ad elevationem utriusque Speciei; *c)* ad *Per quem haec omnia* ante Orationem Dominicam;[19] *d)* ad *Et dimitte nobis etc.* in dicta Oratione, quibus in casibus accedit ad dexteram Celebrantis ibique se gerit, uti in aliis Missis solemnibus. — **Subdiaconus** tenens patenam non ascendit ad Celebrantem ad recitandum *Sanctus*,[20] neque, tradita patena, ad recitandum *Agnus Dei*,[21] sed toto tempore haeret loco suo. — Infra elevationem uterque omnesque alii assistentes convenienter se gerunt, uti pro Choralibus dictum est n. **36.** ad 13.

14. Dicto *Agnus Dei* Presbyter assistens et **Diaconus** Missae mutant loca, videlicet Presbyter assistens, qui hucusque stetit a sinistris Celebrantis, facta genuflexione accedit ad ejus dexteram, ibique recipit Pacem, sicut dictum est n. **101.**; Diaconus Missae vero, qui hucusque stetit a dexteris Celebrantis, accedit ad sinistram ejus, facta utrimque genuflexione, ibique permanet, donec venerit tempus recipiendi Pacem, quo tempore revertitur ad dexteram Celebrantis facta utrimque genuflexione et Pacem recipit. De Pace danda et recipienda recole dicta n. **101.**

15. Pace a Celebrante Subdiacono data, **Diaconus** ascendit ad dexteram Celebrantis, cui ministrat ad purificationem et ablutionem. Ante lotionem manuum Pontifici imponit mitram, quam post lotionem iterum aufert, dein redit ad locum suum. **Subdiaconus** vero accepta Pace factaque Pontifici inclinatione et ss. Sacramento genuflexione, recedit in locum suum nec ascendit ad altare, dum Pontifex se purificat et digitos abluit, sed facta ablutione Pontificis ascendit ad cornu Evangelii, extergit calicem eumque more solito defert ad credentiam.

16. Dum Episcopus dicit *Placeat* ante benedictionem populi, Presbyter assistens a Caeremoniario ac-

[19] Reposita Hostia ab Episcopo super corporale et tecto Calice illico redit ad locum suum in gradibus (*Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 5) ad distinctionem a Missa solemni ordinaria, in qua manet ad dexteram Celebrantis, usque ad initium *Pater noster* (*Rit. cel.* miss. IX. n. 4.). — [20] Cf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 67. — [21] Cf. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 5. et lib. 2. cap. 8. n. 75.

cipit libellum Indulgentiarum, stans in suppedaneo semiconversus ad populum clara voce ex eo lecturus post benedictionem formulam ad promulgandas Indulgentias ab Episcopo concedendas, quae promulgatio omittitur, si post Missam danda sit benedictio apostolica. Osculato altari, **Diaconus** Episcopo mitram imponit, data benedictione lectaque formula Indulgentiarum eam iterum aufert. Dicto *Initium S. Evangelii etc.* eam denuo imponit, quae aufertur post accessum ad thronum, puta, si Evangelium s. Joannis recitetur eundo ad thronum,[22] secus detecto capite manet, si legatur ultimum Evangelium in loco consueto ad altare.

§ 3. De Mitra imponenda et deponenda in Missa solemni pontificali.

107. Regulae generales:

1. Existente Episcopo apud sedem suam, regulariter sedenti aufertur et imponitur mitra; secus quando genuflectit pro oratione facienda, quia tunc stanti imponitur, genuflexo aufertur; apud altare stanti imponitur et aufertur.[1]

2. Dum Pontifex est in sede, regulariter primus Diaconus assistens imponit ei mitram, secundus Diaconus assistens eam deponit; ad altare vero Diaconus Evangelii eam imponit et deponit, nisi sit impeditus, uti post utramque altaris incensationem, quo in casu primus Diaconus assistens eam imponit et secundus eam tollit,[2] et, iis deficientibus, Caeremoniarius[3] idem facit.

3. In Missa pontificali coram exposito ss. Sacramento cessat mitrae usus, quapropter mitra deponitur, simulac Pontifex venerit in conspectum Sanctissimi et imponitur, postquam venerit e conspectu ss. Sacramenti.

---

[22] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 80.

[1] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 8. n. 3. — [2] Ibid. — [3] *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 147.

108. Specialiter mitra imponitur et deponitur in his casibus:

1. Imponitur infra Tertiam, postquam Episcopus pluviale induerit; deponitur ante Orationem cantandam.

2. Imponitur, postquam Episcopus indutus fuerit casula; deponitur post accessum ad altare, antequam in principio Missae altari reverentiam faciat.

3. Imponitur immediate post altaris incensationem, antequam Pontifex ipse incensetur; deponitur, antequam ad sedem redux incipiat Introitum.[4]

4. Imponitur, quum Pontifex dicto *Kyrie* sederit; deponitur, dum chorus ultimum *Kyrie* cantat.

5. Imponitur, quum Pontifex recitato Hymno angelico sederit; deponitur finito cantu Hymni, antequam assurgat.

6. Imponitur, quum Pontifex cantatis Orationibus sederit; deponitur data Diacono benedictione ante Evangelium cantandum.

7. Imponitur, quum Pontifex Symbolo recitato sederit; deponitur, antequam Symbolo a choro cantato surgat.[5]

8. Imponitur, quum Pontifex lecto Offertorio sederit: deponitur, postquam ante infimum gradum altaris pervenerit, ante inclinationem Cruci altaris exhibendam.

9. Imponitur incensatione altaris peracta, antequam Pontifex incensetur; deponitur finito psalmo *Lavabo* ante *Gloria Patri.*

10. Imponitur post Communionem ad lotionem manuum, qua expleta statim deponitur.

11. Imponitur recitata Oratione *Placeat;* deponitur benedictione impertita vel Indulgentiis publicatis.

---

[4] Si Episcopus duabus utatur mitris, hic mitra pretiosa amovetur et auriphrygiata affertur. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 36. — [5] Si Episcopus duabus utatur mitris, hic mitra auriphrygiata amovetur et pretiosa iterum affertur. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 57.

12. Imponitur dicto ultimo Evangelio;[6] deponitur, quum Pontifex ad sedem redierit.

13. Si post Missarum solemnia Benedictio apostolica ab Episcopo danda sit, Pontifex ad thronum reversus sedet cum mitra, quae deponitur lecto Brevi Pontificio vulgari idiomate. Iterum imponitur formula Benedictionis dicta et aufertur Benedictione impertita et promulgatis Indulgentiis.

§ 4. De Benedictione apostolica post Missam solemnem pontificalem.

109. Bis in anno, Dominica Resurrectionis Domini et in alio ad libitum Episcopi eligendo Festo, post Missam solemnem pontificalem ab Episcopo celebratam solemnis Benedictio apostolica seu papalis cum Indulgentia plenaria juxta formulam praescriptam populo impertiri solet. Sed haec benedictio non potest dari ab Episcopo post Missam ab alio celebratam,[1] neque substitui potest benedictioni ordinariae in fine Missae,[2] quae pertinet ad ritum Missae ideoque omittenda non est.

Finito ultimo Evangelio, Episcopus indutus iisdem paramentis, quae habuit in Missa (ergo cum casula, non cum pluviali), dempto tamen manipulo et reassumptis chirothecis,[3] cum mitra sedet in throno, dum Litterae apostolicae leguntur. Legendae sunt a Clerico (vel Capellano sine stola) superpelliceo induto stante ad cancellos presbyterii facie ad populum conversa vel in ambone, voce sonora, lingua latina et vernacula,[4] nisi habeatur indultum apostolicum, ut solo sermone vulgari legantur.[5] Assentiente Episcopo haec lectio Brevis apostolici ex rationabili causa, maxime si alias jam iterum iterumque integrum lectum

---

[6] Si ultimum Evangelium s. Joannis dicendum sit eundo ad thronum, imponitur statim post dictum *Initium s. Evangelii etc.*, secus post Evangelium. Vide n. 106. ad 16.

[1] *S. R. C.* 8. Aug. 1835 n. 2732. — [2] *S. R. C.* 23. Maj. 1835 n. 2720. — [3] *S. R. C.* 23. Febr. 1884 ad 9. n. 3605. et ornatus cum pallio, si sit Archiepiscopus et illa die eo uti possit. — [4] *S. R. C.* 7. Dec. 1844 n. 2871. — [5] *S. R. C.* 27. Febr. 1847 n. 2931. —

fuerit, omitti potest, salva Indulgentia.[6] *Confiteor* non est publice dicendum, neque cum neque sine cantu, quum in formula ejus locus non sit.[7] Lectione Brevis finita Episcopus, deposita per Diaconum assistentem secundum mitra, stans junctis manibus, legit vel in tono Orationum feriali cantat formulam benedictionis ex libro a ministro sustento, scil. *Precibus et meritis etc. Misereatur, Indulgentiam.* Simul cum Episcopo assurgunt etiam Canonici, qui hucusque sederunt, reliqui vero assistentes utrumque genu flectunt. Dicto *Indulgentiam* Diaconus assistens primus mitram imponit Episcopo, qui oculos elevans ac manus disjunctas ante faciem jungens cantat *Et benedictio Dei omnipotentis* et accepto baculo prosequitur *Pa† tris et Fi† lii et Spiritus† Sancti descendat etc.* Benedictione impertita, Episcopus deponit baculum, sedet cum mitra et omnes surgunt; statim publicantur Indulgentiae per formulam *Attentis facultatibus etc.* lingua latina et vernacula ut supra. Deinde exuitur Episcopus et reliqua fiunt de more.

Si Celebrans sit Archiepiscopus, tunc lectis Litteris apostolicis crux archiepiscopalis a ministro ante thronum affertur, ab eoque genuflexo sustentatur; deinde Archiepiscopus, deposita mitra, Cruci caput inclinat et detecto capite dat benedictionem. Reliqua fiunt ut supra.

Caput III.

De Presbytero assistente et de Diaconis assistentibus in Missa pontificali.

Ultra Diaconum et Subdiaconum, de quibus in praecedentibus, ad Missam pontificalem solemnem Episcopo assistunt tamquam Ministri superiores: Presbyter assistens (etiam Archidiaconus vel Archipresbyter dictus) et duo Diaconi assistentes.

[6] S. C. Indulg. 24. Jul. 1885 (*Eph. lit.* 1905 pg. 624.) — [7] Cf. *Eph. lit.* 1899 pg. 447. sq.

110. Regulae pro Presbytero assistente:

1. Presbyter assistens induitur amictu super rocheto et super eo pluviali, sine stola.[1]

2. Presbyteri assistentis est, Episcopo suggerere submissa voce, si in aliquo forte deficeret aut titubaret, praesertim indicare illi legenti ad altare quae sint legenda, quapropter ejus locus est prope Episcopum ad librum. Ad thronum ejus locus est a dexteris Episcopi ante ipsius faciem, ubi, Episcopo sedente et nihil agente, sedet semiconversus ad eum super scabello ligneo, nudo, forma pulchra fabrefacto, non autem in sede camerali;[2] ceteroquin stat.

3. Ipsius etiam est, librum a ministro acceptum sustinere Episcopo ad thronum aliquid cantanti,[3] ergo ad Orationem Tertiae, ad intonationem Hymni *Gloria,* ad Orationes ante Epistolam, ad intonationem Symboli.[4] Non sustentat librum in danda Benedictione apostolica, neque in benedictionibus candelarum, cinerum et palmarum, neque in Absolutione defunctorum.[5]

4. Sustentat librum adjuvante ministro de libro et, si opus sit, etiam de candela, ita ut elevato a ministris libro caput submittat eumque actualiter supra caput teneat.[6]

5. Nisi per alium ministrum hoc fiat, ipsemet Presbyter assistens librum cum cussino ab altari amovere infra incensationem et transferre debet, antequam ab Episcopo legatur Communio.[7]

6. Porrigit mantile (manutergium), quotiescunque Episcopus manus lavat.[8] Recole dicta n. **104.** ad 2. Ante lotionem Episcopo annulum aufert et post lotionem iterum digito ejus imponit, utroque in casu debitis cum osculis.

---

[1] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 1. et 3. — [2] *S. R. C.* 17. Sept. 1822 ad 2. n. 2621. et 23. Mart. 1592 Decl. 7. n. 14. — [3] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 38. — [4] Similiter librum sustentat in Vesperis pontificalibus ad intonationem Antiphonarum, Hymni et ad Orationes. — [5] *S. R. C.* 8. Apr. 1702 ad 6. et 7. n. 2097. — [6] *S. R. C.* l. c. ad 1. et *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 38. — [7] *S. R. C.* 8. Apr. 1702 ad 3. et 5. n. 2097. — [8] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 3.

7. Naviculam cum cochleari Episcopo ministrat ad impositionem thuris extra altare[9] et Episcopum incensat ad thronum tantum.

8. Pacem a Celebrante acceptam defert ad chorum, sicut dictum est n. **101.**

111. Regulae pro Diaconis assistentibus:

1. Induuntur modo diaconali, hoc est dalmatica super rochetto et amictu, sine stola.[10]

2. Eorum locus est ad thronum hinc inde a lateribus Episcopi; ibique stant nudo capite, quandocunque ministrant aut Episcopus, etiam sedens, aliquid facit e. g. legit, incensum imponit; alio tempore cum Episcopo et choro sedent capite cooperto. Ad altare eorum locus est vel in plano ante gradus anteriores altaris vel in secundo gradu.

3. Ipsorum est, Episcopo servire ad thronum, praesertim in legendo vel cantando ex libro; primus (a dexteris) folia volvit, alter (a sinistris) textum indicat.[11]

4. Ad ipsos pariter spectat, Episcopo offerre aut auferre mitram in throno; primus eam imponit, alter eam deponit. Quod praestant etiam ad altare, sed deficiente Diacono Missae tantum.[12] Consule dicta n. **107.** Quando mitra imponenda et auferenda sit, vide n. **108.**

5. Serviunt in gremiali imponendo et auferrendo; primus illud a ministro acceptum post impositam mitram imponit super gremium Episcopi, alter illud amovet ante mitram et ministro tradit.[13] Nonnullis in locis autem invaluit consuetudo, gremiale auferrendi et offerrendi per ministrum ipsum, sicut supra sub n. **51.** ad 3. diximus.

6. Quotiescunque aliquid ministrant, e. g. mitram vel gremiale imponunt vel auferunt, toties ante et post ministerium respectivum debitam Episcopo faciunt reverentiam per profundam capitis inclinationem.

---

[9] *Caer. Ep.* ibid. — [10] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 8. n. 2. — [11] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 8. n. 3. — [12] *Caer. Ep.* ibid. — [13] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 11. n. 9.

Caput IV.

De Officio Diaconi et Subdiaconi in Missa solemni coram Episcopo assistente in choro.

112. Episcopus Missae solemni assistere potest in choro vel in throno. In choro assistit regulariter rochetto et mozzetta vel etiam cappa magna[1] indutus in primo stallo.[2] In throno assistit vel cum cappa magna vel in ornatu episcopali i. e. cum pluviali, mitra et baculo.[3] Unde triplex distinguitur assistentia Episcopi, videlicet *a)* rochetto et mozzetta vel cappa magna vestiti in primo stallo chori; *b)* cappa magna induti in throno; *c)* pontificaliter parati item in throno.

113. Si Episcopus Missae solemni assistat in primo stallo chori, ratione illius Ministris sacris nihil est observandum, praeter haec tria: *a)* Diaconus Episcopum incensat tantum ad Offertorium post incensatum Celebrantem immediate ante incensationem chori tribus ductibus duplicibus, Celebrantem vero duobus ductibus duplicibus ad Introitum, Evangelium et Offertorium;[4] *b)* Diaconus accepta Pace a Celebrante, eam defert ad Episcopum,[5] deinde reversus ad altare eam dat Subdiacono, qui, genuflexione cum Diacono in medio infimo gradu facta, eam reliquis distribuit. Si Celebrans habeat Sacerdotem assistentem, hic, non Diaconus Missae, Pacem a Celebrante acceptam defert ad Episcopum et ad Canonicos in choro, reversus ad altare eam dat Diacono et Caeremoniario, Diaconus eam dat Subdiacono; *c)* si chorus sit retro post altare, Episcopus quoad reverentias faciendas plane ignoratur, ac si non adesset, praeterquam in danda thurificatione et Pace, quia in his duobus casibus reverentiae ei exhibendae sunt, ut alias. Si vero chorus sit ante altare in anterioribus presby-

---

[1] *S. R. C.* Mart. 1700 ad 5. n. 2049. — [2] *S. R. C.* 24. Jul. 1638 n. 650. et 22. Jan. 1877 n. 3411. et 17. Febr. 1905 Cajacen.; *Eph. lit.* 1905 pg. 514. sq. — [3] Ex speciali indulto etiam cum rochetto et mozzetta. Cf. *S. R. C.* 23. Nov. 1906 De Chiapas (*Eph. lit.* 1907 pg. 135.) — [4] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 9. n. 8. et *S. R. C.* 8. Jun. 1709 ad 2. n. 2195. — [5] *S. R. C.* 11. Febr. 1702 ad 5. n. 2089.

terii lateribus, tunc secundum communem sententiam auctorum, in accessu, recessu et transitu ante Episcopum ordinariae reverentiae ei non sunt denegandae. Consule n. **118.**

Dicta observantur etiam in Missis coram Episcopo assistente cum rochetto et mozzetta in throno[6] vel extra Cathedralem in ecclesiis propriae dioeceseos.[7]

Caput V.

De Missis solemnibus coram Episcopo assistente in throno.

§ 1. Regulae servandae in Missis solemnibus coram Episcopo assistente in throno.

114. Regulae circa incensationes:

1. Si Episcopus pontificaliter paratus assistat Missae solemni, ter incensatur, scilicet ante Introitum, post Evangelium et post Offertorium, et quidem post Evangelium cantatum ipse[1] solus secluso Celebrante, ante Introitum et post Offertorium vero post incensatum duobus ductibus duplicibus Celebrantem.[2]

2. Si Episcopus cappa vel rochetto et mozzetta indutus assistat, semel tantum incensatur, idque post Offertorium,[3] ter duplici ductu post Celebrantem duobus tantum ductibus incensatum.[4]

3. Episcopus assistens post Celebrantem omnium primus[5] idque tribus ductibus duplicibus incensatur, et quidem a Presbytero assistente sibi,[6] eo deficiente, a Diacono Missae.[7]

---

[6] Vide notam 3. — [7] *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 156.

[1] Nisi adsit Episcopo major, Legatus, Cardinalis vel Metropolita, quia tunc post Evangelium hi incensantur, non Episcopus. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 13. — [2] *Caer. Ep.* ibid. — [3] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 9. n. 8. Cf. *S. R. C.* 8. Jun. 1709 ad 2. n. 2195. et 3. Aug. 1837 ad 6. n. 2331. et 23. Nov. 1906 De Chiapas (*Eph. lit.* 1907 pg. 135.). — [4] Non solum Episcopus, sed etiam Legatus, Cardinalis, Metropolita, Missae assistentes non parati pontificaliter, non thurificantur nisi post Oblata. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 13. — [5] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 27. — [6] *S. R. C.* 19. Maj. 1607 ad 9. n. 235. — [7] *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 156. ad 3.

4. Si post Episcopum assistentem, sive pontificaliter paratum sive cappa indutum, incensandi sint etiam alii, uti ad Offertorium, tunc immediate post Episcopum ante alios quoscunque incensantur Canonici Episcopo assistentes, quippe qui unum quasi corpus individuum cum ipso constituunt[8] nimirum Presbyter assistens, si adsit, et Diaconi assistentes a dexteris et a sinistris ejus.[9] Subinde incensantur Canonici in choro, postea Subdiaconus, demum Diaconus ceterique de more.

5. Thus imponitur ab Episcopo assistente sive in pontificalibus sive in cappa tantum,[10] ministrante thuribulum Thuriferario, naviculam autem Presbytero assistente Episcopo, vel, eo deficiente, Diacono Missae. Excipitur impositio incensi ante Consecrationem, utpote quae fit more solito a Caeremoniario. Si simul cum Ordinario assistat eo major, Cardinalis vel Metropolita, ad hunc spectat impositio thuris.[11]

115. Dantur ergo sequentes casus:

1. Si Episcopus assistens habeat Presbyterum assistentem, Celebrans autem non habeat Capellanum assistentem, tunc Assistens cum osculis solitis Episcopo offert naviculam et Thuriferarius genuflexus thuribulum ad impositionem incensi. Facta post impositionem incensi debita genuflexione Episcopo et altari, Thuriferarius thuribulum affert Diacono, qui illud tradit sine osculis Celebranti ad incensandum altare, quo incensato Celebrans duobus ductibus duplicibus incensatur a Diacono. Si post Celebrantem etiam alii sint incensandi, e. g. ad Offertorium, tunc comite Thuriferario Diaconus debitis cum reverentiis altari et Episcopo faciendis thuribulum affert sine osculis Presbytero assistenti, qui Episcopum incensat tribus ductibus duplicibus. Quo facto Diaconus thuribulum recipit e

---

[8] *Caer. Ep.* lib. 3. cap. 5. n. 1. — [9] *S. R. C.* 23. Maj. 1603 n. 129. et 19. Jan. 1608 n. 243. et 10. Apr. 1728 ad 8. n. 2283. — [10] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 14. — [11] *S. R. C.* 13. Sept. 1898 ad 4. n. 4001.

manibus Presbyteri assistentis, quem duobus incensat ductibus duplicibus et subinde eodem modo et numero Diaconos assistentes Episcopo. Facta deinde debita reverentia Episcopo, ambo redeunt ad altare et deinde, exhibita altari reverentia debita, tendunt in chorum ad incensandos Chorales. Reversus ad altare Diaconus incensat Subdiaconum, Diaconum autem Thuriferarius, qui prosequitur thurificationem uti alias in Missis solemnibus ordinariis. Vide n. **95.**

2. Si nec Episcopus habeat Presbyterum assistentem nec Celebrans Capellanum assistentem, Diaconus Missae debitis cum reverentiis ad Episcopum cum Thuriferario accedit, quotiescunque incensum est imponendum, ministrat naviculam cum debitis osculis et Episcopum incensat, quotiescunque est incensandus, immediate post eum autem Canonicos ipsi assistentes, si alioquin post Episcopum aliquis sit incensandus, ut ad Offertorium; post hos incensat reliquos, ut dictum est ad 1.

3. Si Episcopus habeat Presbyterum assistentem et Celebrans Capellanum assistentem, imposito, uti supra ad 1., ab Episcopo incenso, Diaconus Missae absoluta altaris et Oblatorum thurificatione ad Offertorium et accepto thuribulo a Celebrante, hunc incensat duobus ductibus duplicibus, dein facta simul cum Thuriferario genuflexione ante altare, pergit ad thronum, ubi, facta Episcopo debita reverentia, Presbytero assistenti Episcopi sine osculis tradit thuribulum, qui tribus ductibus duplicibus adolet Episcopum. Thuribulo a dicto Presbytero recepto, Diaconus duobus ductibus duplicibus adolet hunc ipsum Presbyterum assistentem, deinde Diaconum assistentem Episcopi primum et secundum. Facta Episcopo et altari reverentia, cum Thuriferario tendit in chorum ad incensandos Chorales more solito (recole n. **95.**), redux ad altare incensat Capellanum assistentem. Celebrantis et Subdiaconum, postremo ipse incensatur a Thuriferario, qui prosequitur incensationem reliquorum, uti dictum est n. **95.**

4. Si Episcopus non habeat Presbyterum assistentem, habeat autem Celebrans Capellanum assistentem, omnia peraguntur, sicut ad 2. dictum est. Incensatis Canonicis in choro, reversus ad altare Diaconus Missae incensat Capellanum assistentem, Diaconos assistentes Celebranti, primum et secundum, postremo Subdiaconum. Reliqua n. **95.**

116. Regulae circa Pacem dandam:

1. Presbyter assistens Episcopi semper accipit Pacem immediate a Celebrante, etiamsi hic habeat suum Capellanum assistentem, eamque illico defert ad Episcopum, qui eam dat duobus Diaconis sibi assistentibus,[12] iisque solis.

2. Si adsit tantum Capellanus assistens Celebrantis, non autem Presbyter assistens Episcopi, Capellanus assistens Pacem a Celebrante acceptam defert ad Episcopum.[13]

3. Si nec Capellanus assistens Celebrantis nec Presbyter assistens Episcopi adsit, Pax ad Episcopum defertur per Diaconum Missae.[14]

117. Dantur ergo sequentes casus:

1. Si Episcopus habeat Presbyterum assistentem, non autem Celebrans Capellanum assistentem, Presbyter assistens Episcopi ascendit in suppedaneum ad Celebrantem, a quo accipit Pacem, quam, genuflexione in suppedaneo facta, defert sine reverentia primo ad Episcopum, qui dat illam Diaconis assistentibus, deinde, facta Episcopo debita reverentia, Presbyter assistens eam dat Subdiacono Missae,[15] qui ideo ad eum accessit, quique deinde eam distribuit Canonicis in choro, deinde reversus ad altare et genuflexione ibi facta eam dat Diacono et postremo Caeremoniario, qui eam distribuit reliquis,[16] sicut dictum est n. **64.** ad 10.

2. Si Celebrans habeat Capellanum assistentem, non autem Episcopus Presby-

[12] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 24. n. 8. et 10. — [13] *Herdt.* Prax. Pont. I. n. 202. ad a. — [14] *S. R. C.* 11. Febr. 1702 ad 5. n. 2089. — [15] *Caer. Ep.* l. c. n. 10. — [16] *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 151.

terum assistentem, tunc ille Pacem a Celebrante acceptam defert ad Episcopum, deinde ad Canonicos in choro, postea dat eam Diacono et Caeremoniario, qui eum comitatus est; Diaconus eam dat Subdiacono.[17]

3. Si Celebrans habeat Capellanum assistentem et Episcopus Presbyterum assistentem, hic ut supra ad 1. acceptam a Celebrante Pacem defert ad Episcopum, deinde dat eam Capellano assistenti Celebrantis,[18] qui ideo ad eum accessit. Capellanus assistens eam more solito distribuit in choro, reversus ad altare et facta ibi genuflexione eam tradit Diacono, deinde Caeremoniario comiti, qui eam praebet reliquis. Subdiaconus eam accipit a Diacono.[19]

4. Si nec Episcopus habeat Presbyterum assistentem nec Celebrans Capellanum assistentem, Diaconus Missae acceptam a Celebrante Pacem defert debitis cum reverentiis ante altare ad Episcopum, cui nullam facit reverentiam. Data Pace soli Episcopo factaque illi debita reverentia, ad altare reversus genuflectit et Pacem dat Subdiacono ut supra n. **100.** dictum est. Episcopus dat Pacem binis Diaconis sibi assistentibus.

118. Regulae circa reverentias praestandas:

1. Qui non sunt de gremio Capituli, etiam Diaconus et Subdiaconus non Canonici, semper genuflectere tenentur accedendo, recedendo vel transeundo tam ante altare quam ante Episcopum proprium, sive pontificaliter sive cappa tantum sive mozzetta indutum. Celebrans autem, etiamsi non sit Canonicus, nunquam genuflectit Episcopo, sed se tantum inclinat.[20] Recole n. **104.** reg. gen. 7.

2. Exposito sanctissimo Sacramento omittendae sunt omnes inclinationes et genuflexiones ante Epi-

---

[17] *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 43. ad 17. — [18] *S. R. C.* 15. Apr. 1899 Dub. VI. ad 2. n. 4018. — [19] *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 164. pg. 261., n. 165. pg. 264., n. 166. pg. 267. — [20] *S. R. C.* 13. Mart. 1700 ad 1. n. 2049.

scopum in accessu, recessu et transitu, non tamen illae reverentiae, quae fiunt potius ritus quam honoris ratione, e. g. ad incensationem, post Pacem datam, aut ad aliquid ministrandum. Recole n. **104.** reg. gen. 7.

3. Quum aliquis transeundo ante Celebrantem, altare et Episcopum facturus erit plures reverentias, non inspicitur, cui prius vel postea reverentia exhibeatur, sed tantum commoditas gradientis, ita ut reverentia fieri debeat primo ei, a quo discreditur et ultimo ei, ad quem itur, nullo habito respectu, quis eorum sit major.[21]

§ 2. De Officio Diaconi et Subdiaconi in Missa solemni coram Episcopo assistente in throno.

119. Supponitur: *a)* assistentia Episcopi in throno, sive cappa magna induti sive pontificaliter parati, sed sine Presbytero assistente; *b)* functio Celebrantis cum assistentibus Ministris sacris (non Canonicis) et inferioribus ordinariis, sine Sacerdote assistente. Quoad reverentias faciendas vide n. **118.** Si Episcopus Presbyterum assistentem habeat, hic illi servit tantum a finita Confessione usque ad initium Praefationis, quia alio tempore est in stallo chori. De ministerio ejus consule n. **122.**

1. Si praesente jam Episcopo **Diaconus** et **Subdiaconus** ceterique assistentes ad altare supervenerint, facta ad altare genuflexione simplici in plano, in eodem loco persistentes omnes se vertunt ad Episcopum eique faciunt genuflexionem simplicem, nisi expositum sit Sanctissimum in altari, in quo faciendum est Sacrum, quia tunc nulli, nec Episcopo, debetur reverentia. Recole n. **118.** regulam 2.

Si vero, quod certe decet, ante adventum Episcopi ad altare accesserint, in scamno ad cornu Epistolae cum Celebrante sedent, exspectantes adventum Episcopi. Quo adveniente surgunt, eique super genuflexorium procumbenti debitam faciunt genuflexio-

[21] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 13.

nem. Deinde dum Episcopus orat, a tergo ejus simul cum Celebrante accedunt ad altare,[1] ibique se sistunt ut mox dicetur.

2. Si facienda sit Aspersio aquae benedictae **Diaconus** aspergillum sine osculis (vide n. **103.** ad 5.) tradit Celebranti. Dum Celebrans accedit ad thronum, ut Episcopus accipiat aspersionem aquae benedictae, **Diaconus** et **Subdiaconus** ad altare permanent genuflexi in primo gradu; reverso Celebrante ad altare acceptaque ab eo aspersione, surgunt. Reliqua fiunt de more. Vide n. **83.** ad 2. Aspersione absoluta et debita altari ac Episcopo facta genuflexione, accedunt ad scamnum ibique manipulos accipiunt. Quibus acceptis cum Celebrante ad altare revertuntur et, genuflexione simplici tam altari quam Episcopo facta, Missa incipitur.

3. Dum Episcopus in principio Missae dicit psalmum *Judica* et Confessionem ad altare a dexteris Celebrantis, Ministri sacri stant retro post Celebrantem, Diaconi assistentes Episcopi autem retro post Episcopum juxta Ministros sacros. In hoc casu Ministri sacri et Diaconi assistentes Episcopo non respondent, sed inter se bini et bini Confessionem recitant.[2]

4. Facta Confessione **Diaconus** ad altare non ascendit cum Celebrante et **Subdiacono,** sed comite Thuriferario (vel, eo deficiente, comite Caeremoniario) facta genuflexione altari accedit ad Episcopum, coram quo simpliciter genuflectit ante gradus throni simul cum comite. Deinde utroque genu flexo in gradu throni ministrat Episcopo naviculam cum osculis consuetis dicens: *Benedicite Pater Reverendissime,* ministrante thuribulum Thuriferario genuflexo. Incenso imposito, **Diaconus** et Thuriferarius assurgunt et, facta Episcopo genuflexione, revertuntur ad altare, ubi iterum genuflectunt, Diaconus in primo gradu, Thuriferarius in plano, et Diaconus acceptum a Thuriferario thuri-

[1] *Herdt,* S. Lit. Prax. II. n. 43. ad 6. — [2] *S. R. C.* 14. Nov. 1676 ad 6. n. 1583. Si Ministri sacri fuerint Canonici, stant medii inter Canonicos assistentes. *S. R. C.* ibid.

bulum tradit sine osculis[3] Celebranti, qui incensat altare more solito, sed finita incensatione duobus[4] tantum ductibus duplicibus et quidem ipse solus a Diacono incensatur. Episcopus hic non incensatur, nisi Missae assistat paratus cum pluviali, mitra et baculo, et tunc, incensato Celebrante duobus ductibus a Diacono, ter duplici ductu incensatur. Vide n. **114.** reg. 1.

5. Antequam **Subdiaconus** cantet Epistolam, simul cum Caeremoniario more solito genuflectit altari deinde Episcopo. Cantata Epistola et facta simul cum Caeremoniario ante medium altaris genuflexione, procedit ad thronum, ante quem simpliciter genuflectit in plano, ascendit ad thronum, in cujus gradu genuflexus manum Episcopi super libro positam osculatur. Caeremoniarius interim utrumque genu flectit in plano. Accepta benedictione surgit simul cum Caeremoniario, quocum ante thronum genuflectit eique reddit librum et reversus ad altare iterum genuflectit, ceteroquin se gerens more solito.

6. Ante Evangelium cantandum **Diaconus** librum de more transfert in medium altaris non omittens debitas genuflexiones altari et Episcopo faciendas. Relicto in altari libro accedit ipse solus ad thronum cum reverentiis supra n. 5. assignatis ad osculandam manum Episcopi. Immediate post osculum manus et ante[5] orationem *Munda cor meum* ministrat Episcopo naviculam interim a Thuriferario allatam ad impositionem thuris, ut ad Introitum dictum est supra ad 4. Incenso imposito et facta simul cum Thuriferario ante Episcopum genuflexione, ad altare reversus in infimo gradu genuflexus et mediocriter inclinatus recitat *Munda cor meum etc.* Interim ad nutum Caeremoniarii Acolythi cum candelabris accensis accedunt ante gradus genuflexionem tam altari quam Episcopo facientes et se gerunt ut in Missa pontificali. Vide n. **106.** ad 9. Oratione *Munda cor etc.* absoluta Dia-

[3] Vide n. 103. ad 5. — [4] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 32. Vide n. 114. reg. 2. — [5] *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 43. ad 12.

conus ascendit ad altare et accipit librum Evangeliorum, descendit et, si nondum sit tempus eundi ad cantandum Evangelium, ante gradus altaris in plano exspectat. Dum tempus est, praemissa ad altare genuflexione, simul cum **Subdiacono,** Caeremoniario, Thuriferario et duobus Ceroferariis debita cum genuflexione accedit ad Episcopum, a quo genuflexus petit benedictionem dicens: *Jube, Domne, benedicere,* **Subdiacono** interim retro a sinistris[6] ejus, reliquis sicut in Missa pontificali ante sedem episcopalem genuflexis. Recole n. **106.** ad 10. Benedictione accepta, **Diaconus** manum Episcopi non osculatur, sed statim assurgit cum Subdiacono ceterisque et omnes, facta Episcopo genuflexione, accedunt ad locum, ubi cantari solet Evangelium. Finito Evangelio **Subdiaconus** librum apertum sine reverentia facienda defert ad Episcopum, qui initium sacri textus osculatur. Deinde Subdiaconus librum clausum, facta Episcopo genuflexione, tradit Caeremoniario. **Diaconus** autem Celebrantem[7] duobus ductibus duplicibus incensat, minime vero Episcopum, nisi Missae assistat pontificaliter paratus, in quo casu Episcopus solus[8] tribus ductibus duplicibus incensatur a Diacono. Reliqui se gerunt, ut in Missa pontificali.

7. Ad Offertorium, infuso a **Diacono** vino in calicem, **Subdiaconus** stans in cornu Epistolae vertit se ad Episcopum, coram eo paulisper elevat ampullam aquae et dicens *Benedicite Pater Reverendissime* genuflectit[9] unico genu. Accepta a Diacono patena descendit in planum, genuflectit[10] in primo gradu et deinde Episcopo[11] et se consistit ut alias.

8. Facta oblatione calicis et tradita Subdiacono patena, **Diaconus** ad imponendum thus accedit ad Episcopum comite Thuriferario, observans ad amussim

---

[6] *Martinucci,* lib. 5. cap. 17. n. 73.; *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 165. pg. 263. — [7] *S. R. C.* 4. Aug. 1668 ad 8. n. 1275. et 13. Febr. 1892. Dub. 29. ad 10. n. 3767. — [8] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 13. — [9] Ita auctores communiter. — [10] *Rit. cel.* miss. VII. n. 9. — [11] *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 165.

omnia, quae dicta sunt ad 4. Absoluta altaris incensatione duobus ductibus duplicibus incensat Celebrantem, debitis cum reverentiis Thuriferario comite accedit ad Episcopum, quem tribus ductibus duplicibus, ejusque assistentes scil. Diaconum assistentem primum et secundum, singulos duobus ductibus duplicibus incensat. Facta debita genuflexione Episcopo et altari, adit chorum ad incensandos Canonicos singulos bis duplici ductu, ad altare reversus incensat **Subdiaconum** more consueto (vide n. **93.** ad 7.) et reddito thuribulo ipse de more incensatur a Thuriferario.

9. Si genuflexorium, super quo Episcopus in genua procumbit, collocatum sit in medio ante infimum gradum, **Subdiaconus** tenens patenam aliquantulum recedit versus cornu Epistolae, ubi postea ad elevationem genuflectit, ne terga vertat Episcopo.

10. **Diaconus** accepta a Celebrante Pace factaque in suppedaneo et mox in infimo gradu genuflexione, comite Caeremoniario accedit ad Episcopum sine ulla reverentia illique soli, exclusis Diaconis assistentibus, dat Pacem, qua data facit genuflexionem Episcopo et, reversus ad altare ibique genuflexione facta, Pacis osculum praebet **Subdiacono,** qui eum distribuit reliquis de more. Vide n. **117.** ad 4.

11. Ad benedictionem Episcopi ambo Ministri simul cum Celebrante se retrahunt ad cornu Epistolae, **Diaconus** in secundo gradu, **Subdiaconus** in plano convertunt faciem suam versus Episcopum, et infra benedictionem genuflectunt. Benedictione accepta cum Celebrante redeunt ad medium altaris, ibique facta debita reverentia, accedunt ad cornu Evangelii.

12. Finito Evangelio vel in cornu Evangelii cum Celebrante vertunt se ad Episcopum debitam ei facientes reverentiam et exspectantes, donec hic discesserit, vel, dato signo ab Episcopo, in medium altaris reversi descendunt, in plano genuflectunt primo altari deinde Episcopo et more solito in sacristiam recedunt.

120. Ritus praescripti servantur in celebratione Missae coram Episcopo in dioecesi sua, co-

ram Cardinali ubique terrarum, coram Legato apostolico in locis suae legationis et coram Archiepiscopo in sua provincia, modo non peregrinentur incognito necnon coram Abbate benedicto in sua ecclesia tantum.

Si autem Missa solemnis celebretur coram Episcopis extraneis, hi non faciunt Confessionem cum Celebrante, non benedicunt incensum, neque osculantur librum Evangeliorum, et in fine Celebrans populo benedicit, ac si illi non essent praesentes. Incensantur tamen ante Canonicos et alios tribus ductibus duplicibus, et tunc Celebrans etiam tribus ductibus duplicibus, vel saltem duobus. Pax eisdem etiam ante alios defertur. Celebrans et Ministri eos nudo capite salutant ante et post Missam.[12]

Caput VI.

De Assistentia praestanda Episcopo praesenti Missae per alium cantatae.

121. Episcopus rochetto et mozzetta indutus non habet assistentiam Canonicorum.[1] Episcopo ordinario[2] Missae cum cantu ab alio celebratae in throno assistenti, sive cappa induto sive pontificaliter hoc est pluviali, mitra et baculo parato, praeter quatuor ministros inferiores regulariter ad thronum assistunt tres Canonici in habitu canonicali,[3] videlicet duo Diaconi assistentes et Presbyter assistens. Deficientibus Canonicis, nemo assistit, nisi Episcopus alios sacerdotes ad hoc munus accire velit. Ad assistentiam, de qua sermo, pertinent etiam Circuli a Canonicis formandi.

122. Presbyteri assistentis est:

1. Episcopo ministrare naviculam incensi a Thuriferario allatam. Recole n. **114.** reg. 5.

---

[12] *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 141.

[1] *S. R. C.* 24. Jul. 1638 n. 650. et 23. Nov. 1906 ad 1. De Chiapas (*Eph. lit.* 1907 pg. 134.) — [2] Nulli alii, etiamsi sit Legatus apostolicus. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 8. n. 4. — [3] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 7. et cap. 8. n. 4.

2. Episcopum incensare, juxta dicta n. **114.** reg. 1. 2. 3. et n. **115.** ad 1.

3. Pacem a Celebrante acceptam deferre ad Episcopum, juxta dicta n. **116.** reg. 1. et n. **117.** ad 1.

Locus ejus est a finita Confessione usque ad initium Praefationis in scabello a dexteris Episcopi prope thronum, ut in Missis pontificalibus (vide n. 110. reg. 2.); alio tempore in stallo chori proprio, nisi dum fiunt circuli (vide infra), ad quos ipse accedit et recedit cum aliis.[4]

123. Diaconorum assistentium est:

1. Episcopo e libro legenti servire ad thronum folia volvendo et textum indicando eique in throno sessuro fimbrias cappae elevando, ne super eas sedeat.

2. Episcopo in pontificalibus assistenti servire in offerendo et auferendo mitra juxta regulam 4. n. 111. Vide infra n. **124.**

3. Cum Episcopo alternatim dicere *Kyrie eleison* et concomitanter cum eo recitare Hymnum, Symbolum, Trisagium; ad *Benedictus* se signant, ad *Agnus Dei* pectus percutiunt.

4. Thurificantur immediate post Episcopum, a quo etiam Pacem accipiunt.

Locus eorum est hinc inde a lateribus Episcopi tam ad thronum quam in genuflexorio; in exordio Missae stant in plano, uti dictum est n. **119.** ad 3.

124. Ministri de mitra est, tempestive Diacono assistenti primo porrigere mitram eamque suo tempore recipere a Diacono assistente secundo.

1. Mitra imponitur Episcopo pontificaliter parato ante accessum ad altare; deponitur post accessum.

2. Imponitur post Confessionem, antequam accedat ad thronum; deponitur accepta thurificatione post Introitum.

3. Imponitur sedenti ad cantum Hymni angelici; deponitur cantu finito.

4. Imponitur finita ultima Oratione; deponitur ad *Dominus vobiscum* ante cantum Evangelii.

[4] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 7.

5. Imponitur sedenti post recitatum Symbolum; deponitur antequam surgat post cantatum Symbolum,

6. Imponitur sedenti post lectum Offertorium; deponitur ad Praefationem.

7. Imponitur dicto *Sanctus,* antequam ad genuflexorium descendat; genuflexo ibi deponitur.

8. Imponitur elevatione peracta ante accessum ad thronum; deponitur post recessum ad eum.

9. Imponitur post Communionem Celebrantis; deponitur ad *Dominus vobiscum* ante Postcommunionem.

10. Imponitur dum Celebrans dicit *Placeat;* deponitur data benedictione ab Episcopo et publicata Indulgentia, si concedatur.

Locus hujus ministri est, sicut in Missa pontificali. Vide n. **55.** ad 4. Dum Episcopus genuflectit in genuflexorio, minister de mitra cum socio in genua procumbit retro post eum.

125. Ministri de baculo est, tempestive ac debitis cum reverentiis et osculis Episcopo baculum tradere et ab eo recipere.

Baculus Praesuli offertur: *a)* ante accessum ad altare, ad thronum et ad genuflexorium, recipitur a ministro post accessum hujusmodi; *b)* offertur ante cantum Evangelii, recipitur immediate post cantatum Evangelium; *c)* offertur ante benedictionem solemnem Episcopi in fine Missae, recipitur data benedictione et publicata Indulgentia, si concedatur.

Locus ministri de baculo est, sicut in Missa pontificali. Vide n. **56.** ad 3. Dum Episcopus genuflexus assistit in genuflexorio, minister de baculo cum socio in genua procumbit retro post eum.

126. Ministri de libro et de candela debitis cum reverentiis tempore debito accedant ad Episcopum lecturum e libro: *a)* Introitum; *b)* Epistolam cum sequentibus usque ad Evangelium inclusive; *c)* Offertorium; *d)* Antiphonam, quae dicitur Communio. Dum non ministrant ad thronum, eorum locus est ad credentiam. Recole dicta n. **53.** ad 2. et **54.** ad 5.

127. Circuli Canonicorum. Ante Episcopum ordinarium quater in Missis cum cantu, quibus ad thronum, sive in cappa sive in pontificalibus, assistit, a Canonicis ecclesiae cathedralis circuli formantur, videlicet *a)* ad Introitum usque ad recitatum Hymnum angelicum inclusive; *b)* ad recitandum Symbolum, si sit dicendum; *c)* ad Trisagium; *d)* ad *Agnus Dei.* Quem in finem dicti Canonici in habitu canonicali capite detecto tempore opportuno descendunt de stallis suis, conveniunt ante altare[5] et, factis altari et Episcopo debitis reverentiis, se sistunt in circulum ante Episcopum ita, ut dignior ex eis stet ad dexteram Episcopi et successive alter penes alterum ordine dignitatis usque ad juniorem, qui se collocat ante faciem Episcopi habens altare ad dexteram[6] sic perficiendo circulum (vel potius semicirculum). Accedentes ad circulum prius altari et deinde Episcopo debitam exhibent reverentiam, discedentes autem prius Episcopo postea altari. Quae reverentiae sunt: capitis et humerorum inclinatio,[7] praeterquam quarta vice ad *Agnus Dei;* tunc enim ob praesentiam ss. Sacramenti reverentia Episcopo facienda omittitur, reverentia versus altare autem exhiberi potest vel per genuflexionem duplicem[8] vel, si talis vigeat consuetudo, per genuflexionem simplicem.[9] Stantes in circulis detecto capite, facie ad Episcopum versa, cum Episcopo recitant *Kyrie eleison* alternatim, Hymnum, Symbolum, Trisagium et *Agnus Dei* simul cum Episcopo non praeveniendo aut sequendo, sed concomitanter.[10] Dimittuntur e circulis per Episcopum cum benedictione i. e. signo crucis, ad quod signum seipsos non signant.

Praefati circuli non sunt formandi ante Episcopum extraneum, quantumvis Episcopo proprio

---

[5] Canonici in solio Episcopo assistentes remanent in locis suis. — [6] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 21. n. 3. — [7] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 18. n. 3. — [8] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 21. n. 3. — [9] *S. R. C.* 20. Maj. 1904 ad 1. Rhemen. (*Eph. lit.* 1904 pg. 450.) et 4. Nov. 1904 Carpen. (*Eph. lit.* 1904 pg. 719.) — [10] *S. R. C.* 7. Jan. 1880 Dub. I. n. 3507.

superiorem (Metropolitanum, Legatum de latere etc.), sed ante Episcopum ordinarium dumtaxat,[11] idque in quibuscunque ecclesiis, etiam exemptis, propriae dioecesis, si assumere velit suos Canonicos.[12] Ad circulos faciendos tenentur Canonici ecclesiae cathedralis, non collegiatae simul cum illis,[13] neque alii quicunque Presbyteri et Clerici, Canonicis absentibus.[14]

Circuli omittendi sunt etiam coram Episcopo ordinario: *a)* si adsit Episcopo superior; *b)* in Missis de Requie; *c)* Feria sexta in Parasceve; *d)* in Vesperis.[15]

Adnotatio. Genuflexorium, de quo in praecedentibus sermo, est diversum ab illo ad genuflectendum ante altare accommodato. Juxta Caer. Ep. lib. 1. cap. 12. num. 8. debet esse „panno viridi seu violaceo, pro qualitate temporum, coopertum, sed si Episcopus erit Cardinalis, serico vel panno rubei seu violacei coloris, prout erunt vestes ipsius Cardinalis, pro temporis diversitate, appositis pulvinaribus superius et inferius, super quae Episcopus genuflexus orabit."

Ante adventum Episcopi ponitur ad cornu Epistolae, cantata Praefatione a ministro ad hoc deputato collocatur ante medium altaris, unde post elevationem iterum removetur.

Pro Diaconis assistentibus apponuntur juxta genuflexorium Episcopi hinc inde genuflexoria communia contecta, sed sine pulvinaribus.

---

[11] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 21. n. 5. — [12] *S. R. C.* 7. Febr. 1604 ad 1. n. 156. — [13] *S. R. C.* 27. Mart. 1628 n. 456. — [14] *S. R. C.* 16. Maj. 1626 n. 406. — [15] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 21. n. 5. et 6.

Sectio quarta.

De Celebrante.

Tractatus I.

De Missa ejusque Ministro generatim.

Caput I.

De variis Missae speciebus.

128. Variae distinguuntur Missarum species, quarum denominationes desumuntur ex diversis circumstantiis et rationibus.

1. Ratione apparatus vel solemnitatis, qua celebratur, distinguitur Missa solemnis, cantata et privata. Solemnis est ea, quae omnem solemnitatem habet cantus, thuris, Ministrorum sacrorum, earumque caeremoniarum, quas praescribunt Rubricae agentes de Missa solemni. Quae cum ab Episcopis vel Praelatis usum pontificalium habentibus celebratur in paramentis pontificalibus, Missa pontificalis audit. — Missae solemni opponitur privata[1] i. e. ea, quae nulla externa solemnitate peragitur, nimirum sine cantu (sc. Celebrantis, etiamsi

[1] Distinguunt inter Missam stricte privatam et non stricte privatam seu late solemnem. Hujusmodi Missae non stricte privatae sunt eae, quae quidem sunt privatae i. e. sine pompa vel apparatu extrinseco, quae nihilominus quamdam prae se ferunt rationem solemnitatis, puta si Missa sit parochialis, si celebretur pro Alumnorum Seminarii aut Collegii communione, si cantari deberet vel de jure posset et aliquo de impedimento non canitur, uti accidit de Missa conventuali, de Missa Neopresbyteri, cui plures invitati assistunt, de Missa jubilari etc. *Eph. lit.* 1893 pg. 478. ad *b.* Huc pertinet etiam Missa ordinationis. Cf. *Eph. lit.* 1892 pg. 163.

populus aut chorus cantet organaque pulsentur) et cum uno dumtaxat ministro. Dicitur etiam lecta, quia tantum legitur, non canitur, et Missa plana, quae denominatio saepius occurrit in Caeremoniali Episcoporum.[2] — Cantata autem dicitur Missa, quae cantatur in nonnullis partibus a Sacerdote celebrante sine Ministris sacris. Haec medium quodammodo locum tenet inter solemnem et privatam, utpote plus solemnitatis habens quam privata et minus quam solemnis, quapropter etiam media[3] nuncupatur. — Ex dictis liquet, Missam cum cantu accipi posse pro Missa tam solemni quam cantata stricte tali. Missae solemnes aliquando dicuntur Missae paratae, quia celebrantur cum Ministris paratis i. e. paramentis indutis; reliquae Missae, sive cantatae sive lectae, sunt simplices, quippe quae sine Ministris paratis celebrantur.

2. Ratione conformitatis cum Officio distinguitur Missa secundum ordinem Officii seu conformis Officio et Missa extra ordinem Officii[4] seu non conformis Officio, quatenus nimirum Missa celebratur de eodem Mysterio vel Sancto, de quo agitur in Officio divino (breviario) vel non. Missa conformis Officio pro qualibet die assignatur in Directorio, eapropter Missa de die vel diei dicta. — Missa non conformis Officio est vel votiva vel de Requie.[5] Missa votiva dicitur ea, quae extra ordinem Officii diei celebratur ex voto vel devotione sive Celebrantis sive eleemosynam (stipendium) offerentis. Missa de Requie autem ea nuncupatur, quae in colore nigro celebratur pro animabus fidelium in Domino defunctorum ideoque etiam simpliciter Missa defunctorum vel pro defunctis vocatur.

3. Ratione coetus, coram quo vel pro quo Missa celebratur, habetur distinctio inter Missam conventualem et parochialem. Missa conventu-

[2] E. g. *Caer. Ep.* lib. I. cap. 12. n. 9. et cap. 24. n. 12. Cf. *Merati*, I. pars 1. Rub. gen. 46. et 47. — [3] *Bouvry*, Expos. Rub. tom. 2. pars 3. sect. 1. § 2. punct. 1. n. 3.; *Merati*, l. c. n. 53. — [4] *Rub. gen.* miss. in initio. — [5] Ibid.

alis, quae etiam principalis[6] vocatur, est ea, quae in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus quotidie choro praesente celebranda est secundum ordinem Officii. Missa parochialis autem nominatur ea, quae diebus dominicis et festis de praecepto ab animarum pastoribus applicatur pro parochianis.

4. Ratione objecti potest esse Missa de tempore et de Sanctis. Si nimirum Missa fit in memoriam alicujus Sancti vel Sanctorum, quorum Festum illa die celebratur, vocatur Missa de Sanctis. Si autem quadam die tale Festum non agitur nec Officium dicitur de aliquo Sancto, sed de Feria vel Dominica occurrente vel de aliquo mysterio Redemptionis nostrae, tunc Missa hujusmodi vocatur Missa de tempore,[7] quia correspondet variis anni ecclesiastici temporibus, et quidem Missa ferialis, si fit de Feria, Missa dominicalis autem, si celebratur de Dominica.[8] Si Feria non habet Missam propriam, sicut habent omnes Feriae Quadragesimae, Vigiliarum etc., tunc pro Missa de Feria resumitur et dicitur Missa de Dominica praecedenti.

5. Ratione ritus distinguitur Missa de duplici, semiduplici et simplici scil. ritu.[9] Differentia inter has Missas generatim consistit in numero Orationum, quatenus nimirum in Missis de semiduplici et simplici ordinarie sumuntur Orationes numero plures, quam in Missis de duplici.

6. Ratione Consecrationis Missa vocatur vel realis vel Missa praesanctificatorum. In Missa reali Consecratio fit et Communio; in Missa

---

[6] *Rub. gen.* miss. IV. n. 3. et V. n. 2. — [7] Si sit de tempore, invenies illam in missalis prima parte, quae inscribitur Proprium Missarum de tempore. Si de Sanctis, reperies illam in missali sub titulo Proprium Missarum de Sanctis vel Commune Sanctorum vel in Appendice, si agatur de Sanctis recenter canonizatis aut concessis aliquibus locis, vel in Proprio Dioecesano. — [8] In Directorio seu Kalendario ecclesiastico Missae feriales et dominicales assignantur breviter verbis „de ea“ (sc. de Feria vel Dominica) vel „de eo“ (sc. de Sabbato). — [9] *Rub. gen.* miss. in initio.

praesanctificatorum autem sola habetur Communio cum Hostia praeconsecrata. Haec Missa in Ecclesia latina non celebratur nisi Feria sexta Parasceves.[10]

Caput II.

De Applicatione Missae.

129. Applicatio Missae est actus voluntatis, quo Sacerdos celebrans fructus sacrificii in aliquem finem honestum cedere vult.

1. Fructus sacrificii quadruplex[1] est: generalissimus, generalis, specialis, specialissimus. Primus ad omnes pertinet fideles cum unitate catholica conjunctos; dicitur enim in Canone Missae: *Quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica.* Secundus seu generalis spectat ad omnes, qui sacrificio pie intersunt, sicut patet ex verbis Orationis in oblatione hostiae: *Et pro omnibus circumstantibus,* necnon ex verbis Canonis: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio.* Tertius seu specialis fructus iis tantum competit, pro quibus sacrificium specialiter offertur vel justitiae lege vel charitatis titulo vel alia quacunque de causa, sicut docent Canonis verba: *Pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt.* Quartus denique seu specialissimus ipsius Celebrantis est, quatenus est minister sacrificii, qui offerens hostiam dicit: *Quam (sc. hostiam) offero tibi Deo meo vivo et vero pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis.*

[10] Alias denominationes Missae videsis apud *Merati*, l. c. n. 20 - 104.

[1] *Hartmann*, Rep. Rit. edit. VII. § 91. Communiter quidem triplex tantum sacrificii fructus distinguitur: generalis (qui est noster 1. et 2.), specialis (medius, ministerialis) et specialissimus. Ast nobis non minus arridet sententia eorum, qui quadruplicem distinguendum putant fructum, tum quia haec distinctio in Ordine et Canone Missae fundata est, tum quia ii, qui sacrificio pie intersunt citra omne dubium plus gratiae ergo maiores fructus percipiunt, quam ceteri fideles sacrificio non adstantes. Cf. *Schmid*, Caerem. n. 25. ad 1.; *Aertnys*, Theol. mor. tom. II. lib. 6. tract. 4. n. 110.

2. Prima itaque fructus pars, utpote quae ad universam extenditur Ecclesiam, et secunda, quae ad circumstantes spectat, omnino independens est a Sacerdotis voluntate, neque applicari ab eo potest, quum ad suum finem jam sit destinata. Tertia tantum fructus pars ex dispositione et voluntate Christi a libera Sacerdotis dependet voluntate tamquam dispensatoris mysteriorum Dei (I. Cor. IV. 1.), adeo ut si Celebrans contra voluntatem Superioris vel stipendium erogantis Missam applicaverit, applicatio quidem illicita sit, sed non invalida, fructusque conveniat illi, cui applicavit. Pars denique quarta, quae est solius Celebrantis exclusive, pro aliis applicari nequit, estque omnino inalienabilis. Quae vero et quanta sit portio fructus, quam Deus voluit ut obveniret sive Ecclesiae sive adstantibus sive illis, pro quibus specialiter offertur, sive ipsimet Celebranti, non constat. Sacerdos ergo ut muneri suo satisfaciat, sufficit sane, ut pro obligatione et devotione sua iis animabus, pro quibus celebrat, tantum intelligat applicare portionis fructus, quantum Deus in illo sacrificio iis applicandum esse statuerit.[2] Ceterum quia fructus sacrificii sunt inexhausibiles Deique bonitatis infinitus est thesaurus, secundum sententiam probabiliorem nihil obstat, quominus Celebrans praeter intentionem dantis eleemosynam, quam ex justitia praemittere debet, habeat adhuc aliam intentionem secundariam quasi privatam ex charitate, sine praejudicio tamen alterius. Imo largus sit et profusus in applicatione satisfactorii fructus sacrificii, specialem tamen fructum ei applicans, pro quo celebrare tenetur; quum enim valor sacrificii infinitus sit, potest infinitos producere fructus.[3]

130. Pro quibus Missa applicari potest?[4]

1. Missa applicari seu offerri potest pro omnibus, qui fructuum sacrificii percipiendorum sunt capaces,

[2] *Zualdi*, Caerem. miss. priv. pg. 89. not. et *Eph. lit.* 1888 pg. 691. — [3] *Müller*, Theol. mor. lib. III. § 12.; *Zualdi*, l. c. p. 225; *S. Alphonsus*, Theol. mor. lib. VI. n. 312. — [4] Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II. n. 176. 177.; *Aichner*, Comp. Jur. Can. § 51. (Edit. 8.). *Noldin*, De Sacram. n. 176. (Edit. 7.). Fusius de hac materia agit *Specht*, Die Wirkungen des euchar. Opfers §§ 37. sq.

neque ab Ecclesia positive excluduntur. Capaces per se sunt omnes homines, quippe pro quibus omnibus Christus mortuus est. Incapaces sunt damnati, utpote quibus sacrificium nil prodest; siquidem in inferno nulla est redemptio. Incapaces hoc sub respectu sunt etiam beati in coelis, quia sacrificio Missae amplius non indigent, nec eorum gloria in coelis per sacrificium augeri potest. Reliqui omnes sunt capaces, tam vivi quam defuncti, ergo pro iis omnibus valide applicari potest, sed non pro omnibus licite, quia respectu nonnullorum intercedit prohibitio Ecclesiae.

2. Relate ad excommunicatos distinguendum est inter toleratos et vitandos. Pro excommunicatis toleratis (francomurariis et in duello occisis), tam vivis quam defunctis, sacrificium applicare licet. Pro excommunicatis vitandis autem, sive vivis sive defunctis, applicare minime fas est, neque si talis excommunicatus vi contritionis perfectae sit in statu gratiae, vel contritus vitam finierit. Ratio est, quia per contritionem excommunicationis vinculum non solvitur.

3. Relate ad haereticos, schismaticos et non baptizatos (Judaeos, Turcas, Infideles), distinguendum est inter vivos et defunctos. Si adhuc vivant, pro iis non tantum generaliter, sed etiam particulariter, pro uno vel altero, celebrare licet, ut convertantur, sed privatim dumtaxat i. e. quin Sacerdos hunc suum actum charitatis palam manifestet. Ad summum applicatio publica permittitur pro principibus acatholicis regnantibus, quia in hoc casu fructus sacrificii redundant etiam in bonum reipublicae. Pro haereticis, schismaticis etc. defunctis autem nullo pacto applicatio publica fieri potest, sed nec privata, nisi tunc tantum, quum talem cum manifestis poenitentiae signis obiisse constat, vel nisi adsint signa positiva, eum inculpabiliter errasse et solum materialiter in haeresi vixisse.

4. Relate ad catechumenos, sive vivos sive ante baptismum defunctos, nulla est prohibitio, imo

pro iis sacrificium Missae offerre, est pietatis matris Ecclesiae.

5. Pro fidelibus, qui decesserunt in actu peccati (ebrii, suicidae etc.) Missa publice offerri potest, nisi privandi sint sepultura ecclesiastica, quia tunc occulte tantum pro eis Missam celebrare licet.

131. Quomodo applicatio Missae sacrificii facienda est?

1. Sufficit intentio habitualis,[5] seu prius elicita et non retractata. Praeferenda tamen intentio actualis seu in actu habita. Ceterum sive habitualis sit sive actualis, certa debet esse ac determinata, saltem implicite determinata,[6] qualis est, si dicas: Offero hoc sacrificium pro eo, pro quo stipendium dans illud vult fieri, vel ad intentionem, quae in intentionum libello assignata est loco primo, secundo etc. Si intentio prorsus sit incognita, applicandum est ad intentionem dantis; si sit inconveniens, applicandum pro salute animae dantis.[7]

2. Sacerdote pro nemine fructum specialem applicante, vel iis, pro quibus applicatur, imparibus eidem fructui percipiendo, vel non indigentibus, fructus hic in Ecclesiae thesauro remanet. Hinc in praxi, quando dubitatur, an is, pro quo offerimus, sit necne capax fructus, consultum est, in Missis gratuitis illas applicare vel nobis ipsis vel alteri sub conditione, si persona, cui applicatur, non sit capax; in Missis vero debitis ex stipendio, quia probabiliter fructus cedit in beneficium propinquorum offerentis ex ejus implicita voluntate, ideo tunc non possumus, cui velimus fructum applicare, nisi sub conditione, ut praejudicium non fiat ei, cui obligatio adsit applicandi.[8]

3. Oportet, ut Celebrans ante Consecrationem sacrificium applicaverit, non postea. Ratio est, quia essentia sacrificii in Consecratione consistit, ut, si post hanc illud applicet, nihil efficiat, quum sub-

[5] *Benedictus XIV.*, De ss. sacrif. Miss. lib. 3. cap. 16. n. 8.; *Müller*, l. c. § 19.; *Noldin*, De Sacram. n. 177. — [6] *Schober*, Introd. II. in s. Alphonsi Lib. de caerem. miss. n. 3.; *Müller*, l. c. n. 2. — [7] *Hartmann*, l. c. n. 2. — [8] *S. Alphonsus*, l. c. n. 336.

stantia desierit. Hinc auctores docent, intentionem faciendam esse ante Consecrationem, saltem ante Consecrationem vini.[9] In praxi optimum erit, intentionem respectivam facere jam ante celebrationem in praeparatione[10] ad Missam, postmodum vero illam renovare intra Missam in Commemoratione pro vivis, sive vivat persona, cui applicandus est fructus, sive sit defuncta.

4. Celebrans insuper tenetur orare pro persona, cui fructum sacrificii applicavit, in Commemoratione pro vivis si est vivens, in Commemoratione pro defunctis si est defuncta, prout Rubrica distinguit.[11] Oret autem mentaliter, commendando personam infinitae misericordiae Dei Optimi Maximi. Quae Oratio neque nimis brevis sit, uti monet Gavantus: Memento, ne Memento fiat in momento,[12] neque nimis longa, ne circumstantibus taedium oriatur ex nimia morositate. Secundum sententiam communem auctorum non multum excedat spatium unius *Pater noster*. In hanc orationem includere potest praeter eos, quibus Missam applicare vult, etiam alios, pro quibus orare intendit,[13] imo, quia haec commemoratio aestimatur tamquam privata Sacerdotis oratio, in Commemoratione vivorum orare potest non tantum pro Christi fidelibus, sed etiam pro infidelibus, haereticis, schismaticis et excommunicatis, sive toleratis sive vitandis; in Commemoratione tamen defunctorum nonnisi pro iis defunctis, quorum salus aliquatenus sperari potest, e. g. pro haereticis materialibus, si alioquin in statu gratiae

---

[9] *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II. n. 187. 188.; *Müller*, l. c. n. 2. — [10] „Tutissima regula est," ait *Benedictus XIV.*, „ut Sacerdos antequam ad altare accedat, eas personas determinet, pro quibus intendit orare, ut illis Missae sacrificium applicetur." Et paulo inferius: „Sacerdos, se ut omnibus expediat difficultatibus, in praeparatione ad Missam antequam sacris se vestibus induat, ne omittat sacrificii fructum applicare." De ss. sacrificio miss. lib. 3. cap. 16. n. 8. et 9. — [11] Cf. *Bouvry*, Expos. Rubr. tom. II. pars 3. sect. 3. tit. 1.; *Zualdi*, l. c. pg. 89. in nota. — [12] Thesaur. sacr. rit. pars 2. tit. 8. n. 3. — [13] Cf. *Rit. cel.* miss. VIII. n. 3.; *Rub. spec.* in Can. miss.

fuerint.[14] Ab hac oratione distinguenda est applicatio ipsa, de qua n. **130.**

5. Literae N. et N. in Commemoratione pro defunctis haud sibi volunt, Celebranti immorandum esse ibi, ut defunctos nominet, pro quibus orare intendit, quum id suo loco ac tempore faciendum sit, nempe post verba *In somno pacis,* ut Rubrica docet. Literae istae ergo solummodo significant, quid suo tempore Celebrans agere debeat.[15] Attamen non est necesse nomina exprimere neque in Memento vivorum neque mortuorum, sed sufficit, ut Celebrans mente tantum eorum memoriam habeat,[16] pro quibus orare intendit, et, si plures sint, unico contextu generalem Commemorationem faciat omnium, pro quibus ante Missam orare proposuit.

6. Non valet applicatio Missae facta sub conditione futura contingente, e. g. offero pro Cajo, si stipendium daturus sit, vel pro eo, qui prius morietur, vel pro Titio vivo, ut ipsi post mortem sacrificium prosit.[17] Ratio est, quia effectus sacrificii suspendi nequit. Neque valet applicatio facta vivo, quem credis mortuum, si tantum pro eo mortuo celebrare debuisses. Ratio est, quia obligatio cadit in applicationem defuncto faciendam ad ejus animam a poenis purgatorii sublevandam; finis autem ille non obtinetur, dum pro vivo sacrificium offertur.[18] Valet autem applicatio facta sub conditione praeterita aut praesenti jam impleta, e. g. offero pro Sempronio, si mortuus sit, vel: si aegrotet, dummodo ita sit.

7. Si quaeritur, quaenam applicatio valeat, si Sacerdos diversas applicationes inter se contrarias fecerit, ut si heri intenderit hodiernam Missam dicere pro Paulo, hodie vero intendat Petro eam applicare, distinguendum est:[19] *a)* Si Sacerdos prioris inten-

[14] *Cavalieri,* tom. 3. cap. 11. n. 3.; *Müller,* Theol. mor. lib. III. tit. 1. § 18.; *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 256. not. 4. — [15] *Zualdi,* l. c. p. 103. not. 2.; *Herdt,* l. c. — [16] *Rit. cel.* miss. l. c. — [17] *Müller,* Theol. mor. lib. III. § 19.; *Linzer Quartalschrift,* 1884 pg. 108. — [18] *Gury,* Compend. Theol. mor. II. n. 358.; cf. *Lehmkuhl* in Linzer Quartalschrift 1900 pg. 345. — [19] *Lehmkuhl,* Theol. mor. vol. II. n. 188.

tionis memor aliam facit, posterior intentio certo praevalet; *b)* si vero immemor prioris intentionis eam in aliam mutat, per se quidem idem dicendum est, etsi, illius memor, mutationem non fecisset; *c)* at si priorem intentionem ita fecit, ut voluerit, eam prorsus valere, etsi forte ex oblivione eam mutaturus sit, prior praevalebit[20]; *d)* quod si non constet, nil restat, nisi ut sequenti die pro illa ex duobus intentionibus Missam dicat, quam Deus scit invalidam remansisse, alterutra enim — etsi Sacerdos ipse id dijudicare nequeat — valida certo erat.

8. In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum sacrificia possunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum i. e. vel pro omnibus fidelibus defunctis vel pro aliquibus vel aliquo tantum.[21]

Caput III.

De Requisitis in Ministro Missae seu in Celebrante.

132. Plura a Rubricis requiruntur in Ministro Missae seu in Celebrante tum ad valide tum ad licite celebrandum, praecipue intentio, immunitas a censuris et irregularitatibus, status gratiae, jejunium naturale, absolutio Matutini cum Laudibus et oratio, cognitio Rubricarum, devotio. Intentio requiritur ad validitatem sacrificii, reliqua requisita autem pertinent ad licitam dignamque celebrationem. In sequentibus de singulis nobis sermo, praeterquam de censuris et irregularitatibus, de quibus agitur in jure canonico.

§ 1. Intentio.

133. Ante omnia requiritur intentio consecrandi panem et vinum. Non est quidem opus, ut intentio haec sit explicita, conficiendi scilicet Christi Corpus et Sanguinem seu consecrandi, sed sufficit intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia, quia in

[20] Cf. *Linzer Quartalschrift*, 1891 pg. 390. — [21] *S. R. C.* 4. Aug. 1663 ad 9. n. 1275.

hac intentione implicite continetur intentio consecrandi panem et vinum seu conficiendi Sacramentum, quum Ecclesia semper id faciat et intendat, quod Christus instituit et fieri jussit.[1] Quae intentio saltem implicita adeo essentialiter et necessario requiritur ad valide celebrandum, ut, ubi nulla adest intentio, etiam nulla adsit Consecratio. Rubrica enim docet: „Si quis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere; item si aliquae hostiae ex oblivione remaneant in altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua hostia lateat, quum non intendat consecrare nisi quas videt, non consecrat, quia requiritur intentio.“[2] Unde non consecratur hostia inscio Sacerdote posita sive in corporali sive infra illud, quia voluntas (intentio) non fertur in incognitum. Similiter non consecrantur fragmenta hostiarum tempore Consecrationis extra corporale dispersa, neque guttae vini, quae exterius calici adhaerent, quia non intenduntur.[3] Talem intentionem implicitam autem quisque habere censetur, qui eam in celebranda Missa non excludit, aut aliam non fecit.[4] Eamdem habere debent etiam Sacerdotes neoordinati concelebrantes Episcopo in Missa ordinationis.[5]

134. Intentio debet esse:

1. Saltem virtualis, quod patet ex Rubrica: „Si intentio non sit actualis in ipsa Consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, quum accedens ad altare intendat facere, quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum.“[6] Non ergo scrupulis locum det Celebrans, si in actu Consecrationis minime cogitaverit de consecranda hostia majori vel de con-

[1] Hoc est de fide. Nam Conc. Trid. sess. VII. can. 11. definivit: „Si quis dixerit, in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.“ Quod valet, sicut de ceteris sacramentis, ita de sacramento Eucharistiae, ergo etiam de Missae sacrificio, in quo conficitur hoc sacramentum. — [2] Rub. de defect. int. n. 1. — [3] *Eph. lit.* 1898 pg. 109.; *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 215.; *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 152. ad 5. — [4] *Herdt*, l. c. ad 3. not. — [5] *Benedictus XIV.*, De ss. sacrif. miss. lib. 3. cap. 16. n. 4. 5. 6. — [6] Rub. de defect. int. n. 4.

secrandis particulis, quia virtualiter perseverat intentio consecrandi antea elicita. Praeferenda utique est intentio actualis seu in actu Consecrationis habita; hinc monet eadem Rubrica: „Curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat."

2. Determinata quoad materiam consecrandam. „Si quis," docet Rubrica, „habeat coram se undecim hostias et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, non consecrat."[7] Unde invalida esset Consecratio, si quis consecrare intenderet partes illas hostiarum, quae fractis Speciebus mansurae sunt in continuo, non quae excident: quia non est materia definita[8] seu determinata, utpote in casu prorsus indeterminabilis.

3. Relata ad omnem materiam tunc consecrandam i. e. ad omnes hostias praesentes, sive sit una vel duae conjunctae, sive sint plures sive pauciores, quam Celebrans putat, et ad omnes guttas vini intra calicem forte dispersas et ad omnes micas panis hostiae adhaerentes.[9] „Ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes (hostias), quas ante se consecrandum positas habet."[10] Auream hanc regulam rubricalem secutus Celebrans nullis unquam inutilibus vexabitur scrupulis circa Consecrationem.[11]

135. Quid ergo faciendum, si Celebrans putans se habere unam hostiam majorem, inveniat esse duas? R. Si id advertat ante Consecrationem, alteram extra corporale seponere debet eamque, si ejus oblatio facta fuerit, sumere post ablutionem; si autem id advertat post Consecrationem, tunc, quum secundum modo dicta utraque consecrata

[7] Rub. de defect. int. n. 1. — [8] *S. Alphonsus*, l. c. n. 214. ad 1. — [9] *Croix*, quem citat *s. Alphonsus* l. c. n. 215. Consuetudo invaluit laudabilis guttas in calice dispersas purificatorio detergere statim post infusionem aquae ad Offertorium. Quae consuetudo, utpote consentanea doctrinae auctorum, observanda est. *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 14. n. 2572. — [10] Rub. de defect. int. n. 1. — [11] Cf. *Benedictus XIV.* l. c. lib. 3. cap. 18. n. 7.

sit, cum alterutra dumtaxat signa facere, sed in sumptione utramque simul sumere tenetur.[12]

§ 2. Status gratiae.

136. „Quodsi necessario fatemur," dicunt Patres Tridentini, „nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum Mysterium, satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur."[1] Quapropter idem concilium monet: „Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. Quodsi necessitate urgente Sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur."[2]

Ex quibus tria haec sequuntur: *a)* Sacerdotem peccati mortalis sibi conscium sub gravi teneri praemittere confessionem sacramentalem Missae celebrationi, nec sufficere contritionem perfectam; *b)* ab hac obligatione confitendi excusari Sacerdotem, si urgeat necessitas celebrandi (i. e. si Parocho celebrandum esset, ut populus Missae intersit die festo, et non esset alius qui celebraret, aut ille non posset celebrationem omittere sine gravi scandalo, vel si adsit necessitas consecrandi particulam ad recreandum Viatico moribundum) et simul desit copia confessarii; *c)* si utraque haec conditio concurrat, Sacerdotem celebraturum teneri contritionem perfectam elicere et quam-

[12] Rub. de defect. int. n. 2.; *Herdt*, l. c. n. 156.

[1] *Conc. Trid.* sess. XXII. decr. de observ. et evit. in celebr. miss. — [2] Sess. XIII. decr. de ss. Euch. sacr. cap. 7.

primum confiteri. Vocabulum „quamprimum“ intelligitur de spatio trium dierum, ita ut Sacerdos hujusmodi saltem intra triduum confiteri teneatur.[3] Attamen aliquando Sacerdos, uti observat s. Alphonsus, tenebitur eadem die et forte eadem hora confiteri, nempe si tunc confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit, vel si cras eadem necessitas celebrandi urgeret nec posset confiteri.[4] Qui vero absque necessitate celebrandi, habens copiam confessarii, nihilominus in statu peccati lethalis Sacrum peragere praesumpserit, sacrilegium committit certe duplex,[5] si non quadruplex.[6]

§ 3. Jejunium naturale.

137. Ad licite celebrandum praeterea requiritur, ut Sacerdos sit jejunus ab ultima media nocte. Rubrica sic habet: „Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquae vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medicinae, et in quantacunque parva quantitate, non potest communicare nec celebrare.“[1] Media nox expletur cum primo ictu horologii; qui ergo sumit post primum ictum, licet ante ultimum, non amplius potest celebrare.[2] In dubio, an transacta sit necne media nox, quando sumpsit cibum aut potum, celebrare poterit.[3] Quoad temporis indictionem causa jejunii naturalis et ecclesiastici sequi possunt[4] horologia publica in singulis locis, quamvis tempus verum non signent.[5] Si in eodem loco plura adsint publica horologia dissonantia, licet ultimum sequi, modo non constet de

[3] *S. Alphonsus*, Homo apostol. tract. XV. n. 30.; *Propst*, Verwalt. d. Euchar. als Sacr. § 72. — [4] Theol. mor. tom. VI. n. 266. Quaer. IV. et Homo apost. l. c. — [5] *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II. n. 35. — [6] *St. Alphonsus*, l. c. tom. VI. n. 35.; *Müller*, Theol. mor. lib. 3. § 39.

[1] Rub. de defect. dispos. corp. n. 1. — [2] *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 282. — [3] Ibid. — [4] *S. Poenitent.* 18. Jun. 1873; *S. R. C.* 7. Aug. 1875 ad 9. n. 3365. — [5] *S. Poenitent.* 29. Nov. 1882; *S. C. Conc.* 22. Jul. 1893; *S. C. S. Offic.* 9. Aug. 1899; *S. R. Univ. Inq.* 11. Aug. 1899. Cf. *S. R. C.* 12. Maj. 1905 ad 3.; *Eph. lit.* 1905 pg. 389.; *Bucceroni*, Ench. moral. pg. 126.

ejus errore et modo ultimum non sit tale, ut plerumque erret, quia tunc praesumitur semper errare.[6] „Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquae praeter intentionem,“[7] vel si inconsulto aliquid per aëra volans (v. g. musca) ore attrahatur et deglutiatur, vel si aliquot granuli pulveris tabaci naribus accepti forte in os descendant et deglutiantur. Neque laedit jejunium, qui sanguinem ex lingua vel dentibus manantem deglutit, quia non sumitur ore ab extra; laedit vero, qui voluntarie glutit sanguinem ex labiis exterioribus vel digito manantem, nisi fiat per modum salivae et nisi excuset parvitas materiae.[8]

138. Causae excusantes Celebrantem a jejunio naturali:

1. Necessitas vitandi grave scandalum, quod oriretur ex omissione Missae. „Nemo tamen esse potest, qui scandalum patiatur, gnarus Sacerdotem (in Natali Domini) ideo reliquas duas Missas non celebrare, quod imprudens in prima Missa jejunium fregerit.“[9] Fractio jejunii ergo occulta sit oportet, quia secus majus scandalum oriretur ex celebratione post fractum notorie jejunium.

2. Necessitas perficiendi sacrificium, videlicet: *a)* Si Celebrans post Consecrationem deficiat vel moriatur, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum;[10] si vero Celebrans deficiens brevi i. e. spatio unius vel duarum horarum vires recuperet, ipse sacrificium perficere debet, quamvis etiam non amplius sit jejunus. Ratio est, quia obligatio Missam perficiendi per seipsum praevalet praecepto jejunii naturalis.[11] *b)* Si post Consecrationem unius speciei Celebrans recordetur, se non esse jejunum, nihilo-

[6] *S. Alphonsus*, l. c. — [7] Rubr. l. c. — [8] *Lehmkuhl*, l. c. tom. 2. n. 60.; *Noldin*, De sacram. n. 149. — [9] *Benedictus XIV.*, De sacrif. miss. lib. 3. cap. 12. n. 4. — [10] Rub. de defect. in minist. ipso occurr. n. 3. — [11] *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 167. 171.

minus ulterius procedat in celebranda Missa, ne sacrificium maneat imperfectum.[12] *c)* Si Celebrans in sumptione hostiae vel calicis advertat, hostiam esse corruptam ideoque invalide consecratam, vel non esse speciem vini sed aquam, tenetur apponere novam materiam, facta mentaliter oblatione illam consecrare et sumere, quamvis non sit jejunus.[13] *d)* Si ablutione sumpta, imo post Missam in sacristia sacris vestibus adhuc indutus, Sacerdos advertat, aliquas ejusdem sacrificii reliquias remansisse, eas sumere potest et debet; si vero vestibus jam sit exutus, vel fragmentum diversi sacrificii, vel hostia integra remansisset, tunc ea sumere potest tantum, si nequeant reverenter servari,[14] quia e. g. non habetur tabernaculum nec Sacerdos, qui postea sit celebraturus.

§ 4. Matutinum cum Laudibus et Oratio.

139. „Sacerdos celebraturus Missam saltem Matutino cum Laudibus absoluto orationi aliquantulum vacet.“ Sic jubet Rubrica.[1] Et inter defectus in ministro ipso occurrentes n. 1. recensetur etiam: „Si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit.“ Est ergo contra legem, Missam celebrare absque praemissis Matutino et Laudibus. Ast omissio haec peccatum veniale non excedit, nisi quis quasi ex habituali consuetudine, nulla causa urgente, semper Missam celebret, quin unquam Matutinum et Laudes recitaverit.[2] Imo etiam a culpa veniali excusabit quaelibet mediocris causa rationabilis, puta, si dans eleemosynam postulet, ut statim celebretur, si exspectet populus aut aliqua persona gravis, si Superior prae-

[12] Ibid. n. 160. Sed etiam si ante Consecrationem recordetur soluti jejunii, prosequatur in Missa celebranda; vix enim tunc poterit desistere a Missa sine scandalo, nisi sit notae aut saltem praesumptae probitatis. *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 287. — [13] Rub. de defect. panis n. 5. et de defect. vini n. 5.; cf. *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 138. 142. — [14] Rubr. de defect. int. n. 2.; *Müller*, Theol. mor. lib. III. § 38.; *Bouvry*, Expos. Rubr. tom. II. pars 3. sect. 5. tit. 7.; *Herdt*, l. c. 161.

[1] *Rit. cel.* miss. I. n. 1. — [2] *Benedictus XIV.*, De ss. sacrif. miss. lib. 3. cap. 13. n. 4.

cipiat, tempus celebrandi transeat vel instet commoditas studii, itineris et similia.[3]

140. Praeter Matutinum et Laudes requiritur a Rubrica etiam oratio, per quam quasi proxima fiat praeparatio ad Missam. Hanc praeparationem Sacerdos nunquam penitus omittat, et si ob alia officia implenda longiorem praeparationem facere nequeat, saltem „aliquantulum orationi vacet". Non praecipit quidem, sed tantum commendat Rubrica preces positas in missali sub titulo: Praeparatio ad Missam pro opportunitate[4] Sacerdotis facienda. Ergo nullum est peccatum, si Celebrans eas omittat et alias pro devotione sua substituat, e. g. meditationem. Decet tamen eas recitare, praesertim quum ditatae sint Indulgentiis. Quod valet et de gratiarum actione. Certum est, praeceptum Rubricae non observare Sacerdotem, qui absoluto Matutino cum Laudibus sine ulla alia praeparatione a studio, imo a re domestica et, quod dolendum magis, a colloquiis inanibus ad tremendum sacrificium advolat, nisi hoc improvisa imperet necessitas. S. Alphonsus Sacerdotem in hoc casu ab aliqua culpa excusandum non esse putat.[5] Si ergo Sacerdos post Matutinum et Laudes[6] saecularibus negotiis distractus fuerit, saltem orationi aliquantulum vacet, antequam accedat ad altare.

Post Missam fiat gratiarum actio. Totalis gratiarum actionis omissio a peccato excusari nequit.[7] Canticum trium puerorum in Rubrica XII. n. 6. memoratum in recessu ab altari et reliquas preces in missali positas post Missam recitare, secundum sententiam gravissimorum auctorum,[8] non est stricte

[3] *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 347. — [4] Hoc est pro commoditate. *S. Alphonsus*, l. c. tom. VI. n. 410. dub. 2. — [5] Ibid. — [6] *Rub. gen.* miss. XV. n. 1. — [7] *Cavalieri*, tom. V. cap. 2. n. 4. — [8] *Müller*, Theol. mor. lib. 3. § 41.; *Cavalieri*, l. c.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 294. nota, qui allegat etiam *Meratum*. *Lehmkuhl* sic habet: „Orationes in recessu ab altari dicendae, i. e. *Benedicite* cum precibus verene ex praecepto imponantur, non constat; quare qui alias preces devotius recitat, hac commutatione non peccat." Theol. mor. II. n. 238.; *Schober* in s. Alphons. lib. de caer. miss. cap. 1. nota 2.

praeceptum, ergo omissio precum harum nullum peccatum aliusque modus, per alias scilicet preces gratias Deo agendi, permittitur. Post celebrationem, dejectis sacris vestibus, absque ulla gratiarum actione, statim ad quotidiana redire — quantum scandalum!

§ 5. Cognitio et observatio Rubricarum.

141. Sub finem Missae ordinationis Episcopus Presbyteros neoordinatos ex Pontificali Romano sic alloquitur: „Quia res, quam tractaturi estis, satis periculosa est, filii dilectissimi, moneo vos, ut diligenter totius Missae ordinem, atque hostiae Consecrationem ac fractionem et Communionem, ab aliis jam doctis Sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandum Missam accedatis."[1] Quae verba nonne sunt monitum gravissimum ad Sacerdotes, ut cognitionem sat sufficientem Rubricarum debitamque peritiam in iis exsequendis sibi acquirant ad rite decenterque peragendum tremendum Missae sacrificium in Dei gloriam fideliumque aedificationem?

142. Omnes Rubricae missalis sunt praeceptivae habentque vim legis, exceptis iis, quae ad libitum vel pro opportunitate observandae exprimuntur et nonnisi directionem quandam proponunt. Unde exorta est distinctio inter Rubricas praeceptivas et directivas. Rubricae praeceptivae de agendis tam intra quam extra i. e. ante et post Missam obligant sub peccato gravi vel levi pro gravitate materiae. Materiam gravem constituit pars Missae ordinaria i. e. in omni Missa recurrens, quales sunt *Confiteor*, Introitus, Orationes principales, Epistola, Evangelium, Oblatio, Praefatio, integra Oratio in Canone, Consecratio, Elevatio, fractio Hostiae ejusque commixtio cum Sanguine etc. Materia levis autem censetur quaevis pars Missae extraordinaria i. e. non in omni Missa recurrens, quales sunt Psalmus *Judica*, *Gloria*, *Credo*, Sequentia, Tractus, Praefatio propria, *Communicantes*,

[1] Pontif. Rom. de ordinat. presbyt.

Hanc igitur etc., una vel altera crucis signatio, genuflexio, capitis inclinatio, oculorum elevatio.

Omissio igitur voluntaria partis ordinariae per se est culpa gravis, praesertim si fiat in Canone Missae, partis vero extraordinariae culpa levis.[2] Si Celebrans ex oblivione aliquid in Missa omiserit, postea vero aliquantulum progressus ejusdem recordetur, tenetur recitare omissa, si sint de substantia sacrificii.[3] Ratio est, quia quae ad substantiam seu essentiam pertinent sacrificii, e. g. ad Consecrationem, nunquam debent omitti, ne invalidum evadat sacrificium. Si ergo e. g. Celebrans recordetur ante sumptionem, se prorsus non vel invalide consecrasse panem aut vinum, tenetur statim integram formam Consecrationis repetere, incipiendo a verbis *Qui pridie* aut *Simili modo*, prout defectus respicit Consecrationem panis aut vini, et repetita forma cetera per ordinem prosequi ab eo loco, ubi desiit.[4]

Si autem omissa non sint de substantia sacrificii, tunc regulariter non sunt resumenda, praecipue quando resumptio sine perturbatione ordinis in celebrando fieri non posset. Unde nullo modo postea resumenda sunt *Gloria, Credo*, Epistola, Evangelium, Praefatio, si omissa fuerint.[5] Quae vero sine notabili turbatione ordinis reparari possunt, reparentur, e. g. si omissa sit Collecta, ipsa cum Secreta est recitanda.[6]

Quod dictum est de gravitate vel levitate omissionis, valet etiam de mutatione precum vel actionum. In Canone e. g. verba ita mutare, ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato reliqua verba sensum non faciunt, peccatum mortale censetur; secus si de Epistola vel Evangelio ageretur, unum pro alio legendo. Mutilare verba, salvo sensu et secluso scandalo, peccatum veniale non excedit, imo nullum est peccatum, si id ex naturali defectu fiat.[7]

---

[2] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 3.; *Zualdi*, pg. 6. 7. — [3] Rub. de defect. V. n. 2. — [4] *Herdt*, l. c. II. n. 149. R. II. — [5] *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 403. — [6] Ibid. n. 406. Cf. *Herdt*, l. c. n. 133. — [7] *S. Alphonsus*, l. c. n. 407.

Sed nec addere aliquid licet in Missa. Quod si fieret ex mente inducendi novum ritum, grave peccatum esset. Ex importuna devotione aliquid addere, quod a forma Missae non discrepet, uti aliquam Collectam, peccatum veniale non excedit. Devotionis causa per modum suspirii oratiunculam jaculatoriam interponere, quando propter actiones preces liturgicae prosequi nequeunt, — ut in elevatione, post sacrarum Specierum sumptionem, vel dum cantus finis exspectandus est — minus quidem convenire videtur, ita ut praestet, sola mente affectus divinos ciere, attamen peccaminosam, etsi leviter tantum, talem agendi rationem dicere non audemus.[8]

Rubricae de agendis extra i. e. ante et post Missam aliae sunt praeceptivae, v. g. jejunium naturale, confessio sacramentalis ante celebrationem, si opus sit, omnes Rubricae de defectibus; aliae directivae, v. g. Orationes ante et post Missam in missali contentae.[9] Quamvis autem Rubricae directivae tantum de consilio sint et per se non obligent sub peccato, ratione tamen motivi inhonesti, v. g. negligentiae, socordiae, earum transgressio culpabilis evadere et ratione contemptus vel scandali gravis peccatum lethale fieri potest.[10]

§ 6. Devotio.

143. Concilium Tridentinum vult, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut ss. Missae sacrificium non solum interiori cordis munditia et puritate, sed etiam exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.[1] Hanc externam reverentiam et devotionem in celebranda Missa exigit tum sanctitas Mysterii tractandi tum populus ad devotionem pietatemque trahendus. Ast, ita conqueritur Ven. Cardinalis Bellarminus,[2] „quam triste et

[8] *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II. n. 241. ad 9. — [9] *Schober* in s. Alphonsi Lib. de caer. miss. cap. 1. nota 2. — [10] *Müller*, Theol. mor. lib. III. § 17.

[1] Sess. XXII. decr. de observ. et evitand. in celebr. miss. — [2] Concio in Dom. IV. Adv.

deplorandum spectaculum, videre Sacerdotem divina Mysteria peragentem, Angelorum choris undique septum, qui ad ea, quae ipse operatur et loquitur, stupent ac tremunt, et prae admiratione ingentes clamores excitant: et tamen Sacerdos in medio positus, totus frigidus, et quasi stupidus non attendit, quid agat: non intelligit, quid loquatur: et ita properat ad finem, ita signa involvit, ita verba praecipitat, quasi latrones post tergum haberet et satis temporis ad fugiendum non esset: et tamen, ut dixi, non propterea singultum conscientiae patitur. Sic res sacrae contemnuntur, sic Deus irridetur, sic ridendi materia haereticis datur. Clamamus, in Sacramento altaris Christum ipsum esse, et interim nonnulli ita se gerunt, ita ista Sacramenta pertractant, quasi nihil minus verum esse putarent, et quasi Deum marmoreum vel plumbeum haberemus, qui nihil sentiret, nihil videret, nihil audiret." „Certum est," ait s. Alphonsus,[3] „Missam cum devotione celebratam etiam aliis devotionem infundere; econtra Missam cum festinatione et sine gravitate dictam auferre devotionem iis, qui devoti sint; et, quod pejus est, diminuere venerationem erga sanctum sacrificium et labefactare fidem circa tantum Mysterium. Saecularibus quidem plerumque placet, si obligationem Missae audiendae brevi tempore impleant, sed et ipsi, postquam hujusmodi Missas acceleratas audierint, scandalizantur de Sacerdotibus, qui eas dixerunt."

144. Quantum ergo temporis Sacerdos impendere debet ad absolvendam Missam?

Respondemus 1. cum s. Alphonso, „difficulter posse excusari a mortali Sacerdotem, qui infra quadrantem Missam absolveret, etiamsi sit ex brevioribus, quia impossibile est, quin omittantur aut verba aut caeremoniae, vel saltem committantur duo graves defectus, et irreverentiae erga Sacramentum et gravis scandali erga populum.[4]

---

[3] *S. Alphonsus*, libr. de caerem. miss. Introd. IV. ad 10. (Edit. *Schober.*) — [4] Theol. mor. tom. VI. n. 400.

Respondemus 2. cum Benedicto XIV.: „Missa ex unanimi scriptorum opinione ad tertiam horae partem saltem debet pertingere, neque horae dimidium excedere.“[5] Ratio est, quia minori spatio non possunt omnia debito modo peragi, longiori autem taedio esset adstantibus.

Tractatus II.

De Missa privata.

Caput I.

De praeparandis ad Missam in sacristia.[1]

145. — 1. Facta vel in cubiculo vel in sacristia debita praeparatione, de qua n. **140.** locuti sumus, Sacerdos capite cooperto ante omnia accipit missale, perquirit Missam, perlegit, et signacula ordinat, ne postea in ipso altari folia huc illuc volvere cogatur, legenda quaerendo.

2. Deinde lavat manus. Quae lotio ante Missam fieri debet sub veniali, sub gravi autem, si manus sint valde immundae, propter reverentiam sacrificii.[2] Ante Missam manus integras lavandas esse, non tantum extremitates indicis et pollicis, docent Rubricistae recentiores[3] inhaerentes respectivis Rubricis missalis. Post Missam manus lavare non est de praecepto, nisi Ordinario hanc praxim inducere placuerit, vel nisi vigeat consuetudo contraria.

3. Postea praeparat calicem.[4] Super os ejus aptat purificatorium pendens ab utraque parte a latere.[5]

[5] De ss. sacrif. miss. lib. 3. cap. 24. n. 3.

[1] *Rit. cel.* miss. I. n. 1—4. — [2] *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 409. — [3] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 195.; *Schober* in s. Alphonsi lib. de Caer. miss. cap. 1. n. 3. not. 5.; *Hartmann*, Rep. Rit. § 150. ad III. — [4] Ex mandato Rubricae Celebrans ipse hoc faciat, permittitur tamen, ut id fiat per Clericum tonsuratum saltem vel per laicum privilegio apostolico ad hoc instructum. *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 1. (*Eph. lit.* 1907 pg. 67. sq.) et *S. R. C.* 1. Feb. 1907 ad 15. (*Eph. lit.* 1907 pg. 260. sq.) — [5] Ubi in usu est parvum cochlear, ponitur super purificatorium.

Super purificatorium ponit patenam cum hostia majori, integra et pollice ac indice circumcirca leviter extersa, ne fragmenta ei adhaereant. Patenam et hostiam tegit parva palla linea, quae subnexa esse potest panno superiori serico coloris paramentorum vel albi tantum, nunquam nigri, atque semper sit munda et facile amovibilis.[6] Calicem sic instructum cooperit velo serico coloris paramentorum ita, ut undequaque vel saltem in parte anteriori sit velatus. Velo superimponit bursam[7] coloris paramentorum cum aperturâ versus Celebrantem, intus habentem corporale plicatum.

4. Corporale complicatur hoc modo: primo ponitur pars anterior super mediam, super has pars posterior, dein pars dextera super mediam et super has pars sinistra. Plicatum bursae inseritur ita, ut fimbria partis ultimo plicatae sit juxta aperturam bursae. Extra bursam super velo calicis corporale deferre, non licet.[8] — Explicatur ambabus manibus ita, ut primo extendatur plicatura lateralis sinistra, dein dextera, postea plicatura posterior a Sacerdote remotior, demum plicatura anterior versus Celebrantem.

5. Deposito bireto sumit paramenta. Accipiendo amictum[9] advertat, ut illum paululum capiti imponat, antequam eum demittat super collum, utque collare totaliter contegat imponendo sub mento partem dexteram amictus super sinistram. Induendo albam primum immittat in manicam dexteram brachium dexterum, deinde in manicam sinistram brachium sinistrum, non vice versa, caveatque, ne

---

[6] *S. R. C.* 24. Nov. 1905 ad 2. (*Eph. lit.* 1906 pg. 11.) — [7] Bursae calicis nihil imponendum esse docent auctores provocantes ad decretum *S. R. C.* 1. Sept. 1703 n. 2118., quo tamen solummodo vetitur, manutergium superimponere bursae calicis. Claviculam tabernaculi licite imponi bursae, affirmant *Eph. lit.* 1890 pg. 660. sq., sententiam suam sat firmis sustinentes argumentis. Cf. *Eph. lit.* 1891 pg. 255. — [8] *S. R. C.* 13. Sept. 1704 ad 2. n. 2146. — [9] Signum crucis a Celebrante faciendum, antequam amictum prae manibus accipiat, a Rubrica non praescribitur. *Eph. lit.* 1900 pg. 379.

alba nimis sursum trahatur, quum vestem talarem totaliter tegere et fere usque ad terram defluere debeat. Dum minister eam accommodat, Sacerdos manus junctas teneat ante pectus. Cingulum non circa superiorem partem pectoris, sed circa renes circumducat. Applicando manipulum videat, ut illum brachio sinistro imponat ad ulnam, nempe inter pulsum et cubitum,[10] minime vero supra cubitum. Aptando stolam[11] curet, ut medietatem ejus collo imponat, non autem tergo,[12] utque transversando eam ante pectus in modum crucis partem dexteram ponat super sinistram. Quod semper servandum est, etiam extra Missam, quotiescunque Sacerdos alba et stola indutus exercet actionem liturgicam. Casulam seu planetam ita imponat, ut crux, quae est in medio stolae, contegatur,[13] et manutergium seu sudarium, si quo utitur, subtus eam ita cingulo appendat, ut exterius non appareat.

6. Dum Sacerdos manus lavat et paramentis induitur, sub levi[14] tenetur recitare preces convenientes in missali positas. Vide num. seq. Osculandae sunt illae vestes sacrae, quae crucem habent insutam, videlicet amictus, manipulus et stola, idque in loco crucis, dum assumuntur et dum deponuntur, quamvis hoc

---

[10] *Martinucci*, lib. 1. cap. 18. n. 10. — [11] Notamus hic decisionem *S. R. C.* quoad colorem stolae concionatoris. Ad quaesitum: „An stola concionatoris (quae in his regionibus semper est in usu) pro sermonibus festivis de s. Joseph et Annuntiatione B. M. V., quando haec Festa occurrunt in hebdomada majori, debeat esse coloris albi vel violacei? Et an die 2. Novembris (vel Dominica sequenti) ad sermonem pro defunctis liceat adhibere stolam coloris nigri?“ *S. R. C.* die 6. Febr. 1892 ad 13. n. 3764. in una Lincien. respondit: *Stola concionatoris sit coloris Officio diei respondentis, etiam die secunda Novembris.* — In exercitio Viae Crucis semper utendum est stola violacea non solum tempore Adventus et Quadragesimae, sed toto anni curriculo. *Eph. lit.* 1892 pg. 38. — [12] *Rit. cel. miss.* l. n. 3. Stolam, medietate usque ad tergum demissa, deferre ita, ut collum non tegat, proprium est Episcopi, cujus collo crux pectoralis imponitur. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 14. — [13] *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 1. n. 12., qui citat *Meratum* cum multis aliis. — [14] *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 410. dub. 3.

ultimum non sit praescriptum. Stolam osculatur Sacerdos etiam in aliis functionibus, quando ea se induit aut exuit.

7. Paramenta induenda sunt in sacristia vel alio loco ad hoc praeparato, non ad altare. Solis Episcopis, sive solemniter sive privatim celebrent, competit paramenta de altari sumere; non autem inferioribus habentibus usum pontificalium, nisi in pontificalibus celebrent aut speciale privilegium habeant a Sede apostolica concessum. Si in casu necessitatis, deficiente sacristia aut mensa separata, in altari ponantur, nunquam in medio, sed in cornu Evangelii collocanda sunt. Ad altare vero, in quo ss. Sacramentum est expositum, nullus omnino sumere et exuere debet paramenta, sed deficiente sacristia in loco remoto induenda aut exuenda sunt.[15]

8. Dum Sacerdos sacris induitur vestibus, ne mini colloqui debet neque loquentibus aures praebere sed mentem et oculos ab omnibus amovere, quibus distrahi posset; quod multo magis observandum, dum vestitus forte in sacristia exspectare deberet.

146. Preces in induendis vestibus sacris recitandae:

Ad lotionem manuum: *Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.*

Ad Amictum: *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.*

Ad Albam: *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.*

Ad Cingulum: *Praecinge me, Domine, cingulo puritatis et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.*

Ad Manipulum: *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.*

[15] *Merati*, pars 2. tit. 2. n. 15.

Ad Stolam: *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis, et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.*

Ad Casulam: *Domine, qui dixisti: jugum meum suave est, et onus meum leve, fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.*

Caput II.

De Egressu e Sacristia.

147. — 1. Vestibus sacris indutus Sacerdos manu dextera caput bireto cooperit. Capite detecto ad altare procedere ad Missam celebrandam, non licet.[1]

2. Manu sinistra accipit calicem ad nodum, palmam dexteram autem, digitis extensis et invicem junctis, superimponit bursae, quin cubitum dexterum elevet, sicque calicem sustinet elevatum ante pectus,[2] non inferius. Ut eum commodius accipere et deferre queat, anteriorem veli partem super bursam revolvere potest.[3] Caveat, ne calicem ad pectus premat, nec eum nimis a pectore amoveat, sed sit spatium modicum calicem inter et pectus, et ad dirigendos gressus ultra calicem prospiciat. Ceterum Celebrans per semetipsum, non per alium, calicem ad altare deferre debet, nisi excuset dignitas, e. g. si sit Episcopus, vel solemnitas, e. g. si sit Missa solemnis, vel privilegium, uti in coeco vel coecutiente, vel necessitas, e. g. ob senium aut infirmitatem. Si aliqua ex causa sine calice ad altare procedat, manus ante pectus junctas teneat.

3. Accepto calice, antequam discedat, capite cooperto Cruci vel Imagini sacristiae debitam faciat reverentiam, videlicet capitis inclinationem profundam Imagini Crucifixi,[4] capitis mediam Imagini B. M. V., capitis infimam, si sit Imago alicujus Sancti.

4. Non tenetur Sacerdos pergens ad celebrandum aquam benedictam accipere ad januam sacristiae, sed

[1] *Rit. cel.* miss. II. n. 1. — [2] Ibid. — [3] *Gavantus*, pars 2. rub. 1. lit. o. — [4] Cf. *Falise*, § 2. n. 6.

si commode fieri potest, se signet, sin minus, se abstineat.[5] Consultius erit abstinere, ne aliquid de calice decidat.

5. Si sacristia est retro post altare, ex qua aeque per sinistram ac per dexteram partem aditus ad altare patet, egrediendum est e sacristia per partem Evangelii et regrediendum per partem Epistolae.[6]

Caput III.

De Progressu per ecclesiam ad Altare.

148. Contingere potest, ut Sacerdos Missam celebraturus progrediendo per ecclesiam ad altare teneatur ad varias reverentias faciendas, vel ratione ss. Sacramenti vel ratione altarium vel ratione Reliquiarum vel ratione personarum venerandarum, quas obviam habet. Quae dicentur, valent etiam de Sacerdote post Missam redeunte in sacristiam.

Regulae generales:

1. Sacerdos ad Missam celebrandam procedat oculis demissis, incessu gravi, corpore erecto.[1]

2. Sacerdos deferens calicem in exsequendis reverentiis nunquam caput detegit, nisi in genuflexione duplici; non deferens calicem, pro quacunque praescripta reverentia caput detegit.

149. Reverentiae ratione ss. Sacramenti:

1. Si Sacerdos calicem deferens transit ante ss. Sacramentum expositum, sive in ostensorio etiam velato[2] sive in pyxide,[3] utrumque flectat genu, genuflexus caput detegat, biretum tamen calici minime imponat, sed vel ministro tradat, vel, quod melius, manu dextera bursae calicis innixa teneat parte bireti aperta ad pectus conversa, deinde corpus mediocriter (vide n. **13.**) inclinet, inclinatione expleta caput

[5] *S. R. C.* 27. Martii 1779 ad 4. n. 2514. — [6] *S. R. C.* 12. Aug. 1854 ad 12. n. 3029.

[1] *Rit. cel.* miss. II. n. 1. — [2] *S. R. C.* 22. Dec. 1753 ad 10. n. 2427. — [3] *S. R. C.* 7. Maji 1746 ad 4. n. 2390.

cooperiat, reposita dextera super bursam surgat et sine alia reverentia procedat capite cooperto.[4]

2. Si calicem non deferens transit ante ss. Sacramentum expositum, sive in ostensorio sive in pyxide, tunc, quum manus impeditas non habeat, antequam genuflectat, statim ac videre potest ss. Sacramentum, caput detegat, biretum utraque manu ante pectus tenens procedat, suo tempore utrumque flectat genu coram Sanctissimo cum mediocri corporis (vide n. **13.**) inclinatione, deinde surgat et procedat capite detecto, donec se subtraxerit e conspectu Sanctissimi.[5]

3. Si transit ante ss. Sacramentum, quod tunc fidelibus pro sacra Communione distribuitur, utrumque genu flectat, detecto capite adoret, ut supra ad 1., et, non exspectans finem Communionis, capite cooperto statim surgat et procedat.[6]

4. Si transit ante ss. Sacramentum, quod in Missa elevatur, vel quocum benedictio datur, vel si obviat Sacerdoti idipsum deferenti, utrumque genu flectat, detecto capite adoret, ut supra ad 1., nec prius surgat, quam utraque elevatio fuerit absoluta,[7] ostensorium vel pyxis deposita, vel Sacerdos cum ss. Sacramento e conspectu pertransierit.[8]

5. Si transit ante ss. Sacramentum in tabernaculo inclusum, sive in altari majori sive in alio altari, unicum genu flectat,[9] idque capite tecto, si deferat calicem, secus capite detecto.[10] Recole reg. gen. 2.

6. Si transit ante altare quodcunque, in quo tunc est Missa a Consecratione usque ad Communionem inclusive, nulla est facienda genuflexio,[11] nisi ex sonitu campanulae, ex positione ministrantis, ex

---

[4] *S. R. C.* 19. Aug. 1651 ad 6. n. 937.; *Cavalieri*, tom. IV. cap. 10. decr. 2. n. 3. „Quapropter non laudandi, sed potius redarguendi sunt illi, qui ad majorem reverentiam, ut ipsi dicunt, capite aperto abeunt, donec sint extra conspectum altaris expositionis.“ Ita *Gardellini*, Comment. ad Instr. Clem. § VII. n. 10. — [5] *Gardellini*, l. c. n. 12.; *Cavalieri*, l. c. n. 4. — [6] *S. R. C.* 5. Jul. 1698 ad 14. n. 2002. — [7] *Rit. cel.* miss. II. n. 1. — [8] *Cavalieri*, tom. IV. cap. 10. decr. 5. n. 3. — [9] *Rit. cel.* miss. ibid. — [10] *Cavalieri*, l. c. n. 1. — [11] *S. R. C.* 20. Maji 1904 ad 2 Rhemen.; *Eph. lit.* 1904 pg. 451. sq.

verbis auditis (e. g. *Pater noster etc., Pax Domini etc.*) certe quidem, sed nulla adhibita inquisitione,[12] noverit, ss. Sacramentum haberi in Missa, quod in casu adorandum est simplici genuflexione.[13] Ratio hujus est, quia ss. Sacramentum ob Sacerdotem celebrantem est in altari, quasi esset absconditum in tabernaculo.

150. Reverentiae ratione altaris:

1. Si Celebrans transit ante altare majus, in quo non exstat ss. Sacramentum, nec expositum nec inclusum, caput coopertum profunde inclinet Cruci in eo positae.[14]

2. Si transit ante altare aliquod ex minoribus (lateralibus), in quo non exstat ss. Sacramentum nec inibi tunc Missa celebratur, ratione altaris per se nullam facere tenetur reverentiam. Si vero in eo adsit ss. Sacramentum, sive in tabernaculo inclusum sive ob Missam ibi celebratam a Consecratione usque ad Communionem, tunc reverentia debita praestanda est secundum supra dicta ad 3—6, dummodo Sacerdos immediate transeat ante altare eique magis particulariter appropinquaret simulque certe sciat, eo in altari Sacramentum exstare, quin debeat inquirere, an Consecratio sit necne peracta vel Communio Celebrantis absoluta. Vide n. **149.** ad 6.

151. Reverentiae ratione Reliquiarum:

1. Si Celebrans transit ante Reliquias Domini, scilicet s. Crucis, pretiosissimi Sanguinis vel Instrumentorum Passionis in loco principali super altare

---

[12] Talis enim inquisitio esset contra Rubricam et regulam generalem primam, quae vult, ut Sacerdos oculis demissis incedat. *Cavalieri*, tom. IV. cap. 10. decr. 5. n. 3. *Eph. lit.* 1888 pg. 587. et 1904 pg. 452. et 1905 pg. 20. et 1907 pg. 586. — [13] *S. R. C.* 20. Maji 1904 ad 1. Rhemen.; *Eph. lit.* 1889 pg. 227. — [14] Permulti auctores hic fieri volunt profundam seu corporis inclinationem. Ast quum Rubrica simpliciter dicat: *Capite cooperto faciat ad illud reverentiam* (*Rit. cel.* miss. II. n. 1.), et quum, ut bene observat *Falise* sect. 1. cap. 1. § 2. n. 6., Sacerdos bireto tectus vix profunde se inclinare queat, secuti sumus auctores, qui profundam capitis injungunt inclinationem: *Falise*, l. c., *Hartmann*, § 143. n. 2. *a.* aliosque.

palam expositas, capite cooperto unicum genu flectat.[15] Si autem transit ante dictas Reliquias non palam expositas, sed intra custodiam reconditas, tantum caput coopertum profunde inclinet.[16]

2. Si transit ante Reliquias Sanctorum expositas, si sint insignes, caput coopertum inclinet inclinatione minima. Si autem non sint insignes, nullam faciat reverentiam.[17] Quaenam Reliquiae censendae sint insignes, reperies n. **9.** De expositione Reliquiarum videsis n. **11.** not. 21.

152. Reverentiae ratione personarum:

1. Si Celebrans obvius fit Sacerdoti redeunti a celebratione Missae, ipsi locum cedat, partem dexteram praebeat et caput coopertum inclinet, quin tamen moram interponat procedendo.[18]

2. Si occurrit Episcopo proprio, Archiepiscopo provinciae, Cardinali vel Legato apostolico, subsistat et capitis cooperti eis faciat reverentiam.[19]

3. Si immediate (in presbyterio) transit ante chorum, capite cooperto eum salutet ad unam et alteram partem versus.

4. Inter laicos Celebrans eundo per ecclesiam neminem salutat, nisi Principem regnantem, cui in transitu caput coopertum inclinat.[20]

5. Praeter dictas personas Sacerdos progrediendo per ecclesiam etiam salutatus neminem salutare tenetur; imo coram Sanctissimo exposito nec praefatae personae salutantur, cujuscunque sint ordinis vel conditionis.

6. Si duo vel plures ad eumdem locum accedunt, puta ad sacristiam, tunc dignior praecedat.

---

[15] *S. R. C.* 23. Maji 1835 ad 2. n. 2722. et 7. Maji 1746 ad 7. n. 2390. et 22. Sept. 1827 n. 2660. et 27. Jun. 1868 n. 3176. et 17. Sept. 1897 n. 3966. — [16] *S. R. C.* 18. Febr. 1843 n. 2854. — [17] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 200 ad 3. cum aliis pluribus. — [18] *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 2. n. 10. — [19] Sacr. Lit. Ed. *Mechl.* Tract. de celeb. ss. Miss. sacrif. pg. 122. ad 1. — [20] *Martinucci*, lib. 1. cap. 18. n. 22. et *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 200. ad 4.

Caput IV.

De Accessu ad altare et Recessu ab eodem.

153. In accessu ad altare:

1. Prima actio, postquam Sacerdos ad altare pervenerit, est, ut caput detegat. Quapropter stans ante infimum gradum, ante quamcunque reverentiam faciendam, biretum deponat, ministro tradat et statim, dextera super bursam posita, debitam faciat reverentiam, videlicet:

2. Si in altari expositum sit Sanctissimum, utrumque genu flectat in plano,[1] caput inclinet, se erigat et ascendat per gradus. In hoc casu Sacerdos jam antea, simulac pervenit in conspectum ss. Sacramenti, caput detegat et non obstante calice, quem defert, capite detecto accedat ad altare.[2]

3. Si accedit ad altare, in cujus tabernaculo ss. Sacramentum latet inclusum, unicum genu flectat in plano[3] ante gradus. Quod observandum est etiam, si in loco principali altaris palam exposita sit Reliquia s. Crucis, vel pretiosissimi Sanguinis vel Instrumentorum Passionis Domini.[4] Vide n. **151.** ad 1.

4. Si accedit ad altare, in quo non exstat ss. Sacramentum, neque expositum neque inclusum, sed sola Crux, profundam ei exhibeat corporis inclinationem.[5]

154. In recessu ab altari:

1. Post Missam Celebrans accepto calice stans in plano ante gradus altaris, ante omnia debitas faciat reverentias, deinde accipiat biretum e manu ministri, caput cooperiat et abeat.

2. Si post Sacrum factum Sanctissimum manet expositum, Celebrans ante recessum utrumque genu flectat in plano, deinde surgat et

---

[1] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 47. et 49. n. 2682. — [2] *Baldeschi*, I. pars 1. cap. 5. n. 2.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 201. — [3] *S. R. C.* l. c. ad 47.; *Rit. cel.* miss. II. n. 2. — [4] *S. R. C.* 22. Sept. 1827 n. 2660. et 23. Maji 1835 ad 1. n. 2722. et 27. Jun. 1868 n. 3176. et 17. Sept. 1897 n. 3966. — [5] *Rit. cel.* miss. l. c.

abeat detecto capite, quamdiu versatur in conspectu Sanctissimi.

3. Si adest in altari tabernaculum cum Sanctissimo incluso, simpliciter genuflectat[6] in plano,[7] caput cooperiat et abeat. Quod observandum est etiam, si in loco principali altaris exposita sit Reliquia s. Crucis, pretiosissimi Sanguinis vel Instrumentorum Passionis Domini. Vide n. **151.** ad 1.

4. Si adest in altari sola Crux, profundam ei faciat capitis inclinationem.[8] Non fit corporis inclinatio, sicut ante Missam, quia post Missam Sacerdos est christophorus.[9]

5. Facta ante altare reverentia post Missam, sive privatam sive solemnem, Celebrans reverentiam magistratui praesenti facere non debet, antequam ab altari discedat,[10] neque domino loci, etsi celebraverit in loco jurisdictionis ipsius.[11]

6. In sacristia facta capite cooperto Imagini sacristiae debita reverentia (vide n. **147.** ad 3.) et deposito prius calice, deinde bireto, vestibus sacris exuitur. In deponenda alba primum exuitur brachium sinistrum, quo pars albae sinistra transfertur in brachium dexterum, qui demum extrahitur manicae dexterae.

Caput V.

De Signo Crucis et Benedictionibus in Missa.

155. In Missae celebratione facienda occurrit crux major et minor. De utriusque efformatione recole dicta in prima sectione n. **1.** Cruce tam majori quam minori signat Sacerdos seipsum et res personasve alias. Crux major, si rebus vel personis aliis applicatur, benedictio nuncupatur.

Regulae generales:

1. Celebrans seipsum vel alia signans stet semper erectus, nunquam inclinatus. Unde si simul cum

[6] *Rit. cel.* miss XII. n. 6. — [7] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 47. n. 2682. — [8] *Rit. cel.* miss. l. c. — [9] *Falise*, sect. 1. cap. 1. § 2. n. 6. ad 3.; *Eph. lit.* 1899 pg. 48. sq. — [10] *S. R. C.* 10. Sept. 1718 ad 3. n. 2255. — [11] *S. R. C.* 19. Dec. 1654 n. 982.

cruce facienda esset inclinatio, haec omittitur,[1] e. g. in Festo Nominis Jesu ad verba Introitus *In nomine Jesu* et in Missa votiva de Passione item ad verba Introitus *Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus.*

2. In formatione crucis majoris digiti semper extenduntur et invicem junguntur,[2] nisi a Consecratione usque ad Communionem inclusive, quo tempore pollices et indices utriusque manus junguntur, reliquis digitis extensis et unitis.[3]

3. Ante omnem benedictionem alicujus rei vel personae manus ante pectus junguntur,[4] nisi alterutra sit impedita, e. g. in benedictione aquae ad Offertorium, ubi sinistra tenet nodum calicis, similiter in benedictione hostiae et vini immediate ante utriusque Consecrationem.

4. In signatione sui ipsius Celebrans totam palmam digitis extensis et junctis vertat versus semetipsum; in signatione (benedictione) aliarum rerum vel personarum autem non palma, sed parvus digitus, unitus cum reliquis, vertendus est ad rem vel personam benedicendam.[5]

5. Longitudo linearum crucis faciendae determinatur extremitate digiti parvi. Quae lineae neque adeo exiguae sint, ut crux vix distinguatur, neque tam longae, ut rem signandam (hostiam, calicem) valde excedant. Quo major est res benedicenda, eo majores debent esse et lineae crucis.

6. Post peractam crucem manus non sunt jungendae, nisi Rubrica praecipiat aut actio subsequens exigat manuum junctionem. Quapropter e. g. in fine Hymni angelici, Symboli etc. post crucis efformationem, manus, quin jungantur, statim extenduntur ad osculandum altare vel ad folia missalis vertenda.[6]

---

[1] *Hartmann*, Repert. Rit. § 133. sub III. not. *c.* (Edit. VII.) — [2] *S. R. C.* 24. Jul. 1683 n. 6. n. 1711. — [3] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 5. — [4] *Rit. cel.* miss. VII. n. 5. — [5] *Rit. cel.* miss. III. n. 5. Cf. *S. R. C.* 4. Aug. 1663 ad 4. n. 1275. — [6] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 29. n. 2682.

7. Omnes cruces exacte, distincte et modeste formandae sunt, et manus nullatenus praecipitanter, circulariter aut alio modo antiliturgico agitanda.

156. Quomodo et quando signum crucis faciendum est in Missa?

Crux minor bis tantum efformatur in Missa, nimirum in initio utriusque Evangelii, et quidem hoc modo: sinistra posita super missale[7] (vel super altare, si ultimum Evangelium legatur e tabella), pollice[8] dextero Celebrans signat primo librum in principio Evangelii, i. e. non super verba *Initium* vel *Sequentia*, sed in primis verbis textus sacri[9] post verba *In illo tempore* vel *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis* (vel super altare in casu supra posito in lectione ultimi Evangelii) dicens *Sequentia* vel *Initium*, tum prosequens *sancti Evangelii* sinistra infra pectus posita, signat seipsum in fronte, deinde nihil dicens in ore, et ad verba *secundum N.* in pectore. Quibus peractis manus junguntur ante pectus.[10]

Crux major efformatur a Celebrante in signatione sui ipsius et aliarum rerum vel personarum.

1. Seipsum signat Celebrans vel sola manu vel cum patena vel cum Hostia et Calice. Sola manu signat se: *a)* ter in exordio Missae ad preces ante gradus altaris, nimirum ad *In nomine Patris etc.*, ad *Adjutorium nostrum etc.*, et ad *Indulgentiam, absolutionem etc.; b)* ad initium Introitus exceptis Missis de Requie; *c)* in fine Hymni angelici et Symboli; *d)* post Praefationem ad *Benedictus qui venit etc.; e)* post Consecrationem in Oratione *Supplices* ad verba *omni benedictione etc.* — Cum patena se signat post Orationem Dominicam ad verba *Da propitius pacem in diebus nostris.* — Cum Hostia et Calice se signat, quin se tangat, ante sumptionem sub verbis

[7] *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 11. n. 2572. — [8] Cum pulpa, non ungue. Vide n. 1. hujus libri. — [9] *Rit. cel. miss.* VI. n. 2.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 41. 46.; cf. *Eph. lit.* 1897 pg. 588. — [10] Celebrans in lectione utriusque Evangelii stare debet oblique versus cornu Evangelii i. e. parum per suam sinistram conversus ad populum. *S. R. C.* 30. Aug. 1892 dub. 5. n. 3792. Eodem modo stat in legenda Passione. Cf. *Martinucci*, lib. 1. cap. 20. n. 5.

Corpus Domini N. J. Chr. custodiat animam meam in vitam aeternam Amen, et *Sanguis Domini etc.* Quomodocunque autem se signet, semper verba exigentia signum crucis, aptanda sunt actioni, proinde debite dispensanda ad singulos contactus, nempe:

Ad frontem:	Ad pectus:	Ad humerum sinistrum:	Ad humerum dexterum:
In nomine Patris	*et Filii*	*et Spiritus*	*Sancti.*
Adjutorium	*nostrum*	*in nomine*	*Domini.*
Indulgentiam	*absolutionem*	*et remissionem*	*peccatorum nostrorum.*
Cum sancto	*Spiritu*	*in gloria*	*Dei Patris.*
Et	*vitam*	*venturi*	*saeculi.*
Benedictus	*qui venit*	*in nomine Domini*	*Hosanna in excelsis.*
Omni benedictione	*coelesti*	*et gratia*	*repleamur.*
Da propitius	*pacem*	*in diebus*	*nostris.*

Advertat autem Celebrans, ut a Consecratione usque ad Communionem inclusive in facienda cruce tribus tantum digitis, qui s. Hostiam non tetigerunt, se tangat, duobus aliis invicem junctis, quibus nec frontem tangat nec casulam.

2. Signans seu benedicens res vel personas alias, per duas lineas, rectam et transversam, digitis omnibus extensis et junctis (nisi a Consecratione usque ad Communionem inclusive reg. gen. 2.) crucem efformat. Post factam primam lineam rectam, manus eadem linea recta reducenda est ad medium primae lineae rectae et ita proceditur ad lineae transversae formationem a sinistra ad dextram, ubi signum completur. Syllabae aut verba, quae crucem in missali impressam praecedunt, pronuntiandae sunt, dum prior linea

recta efformatur; quae autem sequuntur, dum linea transversa efficitur. Ad signandum calicem simul et hostiam, lineam rectam, quae repraesentatur per extremitatem digiti parvuli (reg. gen. 5.), a medio pallae versus se ipsum super hostiam ducit manum non deprimendo, lineam vero transversam cum extremitate ejusdem digiti ceteris conjuncti super pallae anteriorem oram ducit. Quando autem calix et hostia seorsum signantur, mensura crucis faciendae in signando calice cooperto est palla, vel labium calicis, si calix non sit coopertus, in signanda hostia autem haec ipsa.

3. Quoad positionem manus sinistrae in crucis majoris efformatione distinguendum est: 1. vel Celebrans seipsum signat; 2. vel res personasve alias. Seipsum signans sinistram non impeditam, digitis junctis et extensis,[11] semper ponere debet infra pectus extra terminum crucis faciendae. Vide sect. I. cap. 1. n. 1. Alia autem signans, iterum distinguendum: *a)* vel signat stans totaliter conversus ad altare, vel *b)* semiconversus ad illud, vel *c)* aversus ab eodem. Si stet conversus ad altare, sinistram non impeditam digitis extensis et junctis super altare extra corporale, post Consecrationem usque ad Communionem inclusive vero super corporale deponit.[12] Si stet aversus ab altari, sinistram digitis junctis et extensis infra pectus ponere debet, e. g. in benedictione populi in fine Missae. Si vero stet semiconversus ad altare, e. g. in benedictione Diaconi, Subdiaconi, incensi etc. in Missa solemni, sinistram vel altari[13] imponat vel pectori[14] admoveat.

Caput VI.

De Oculorum elevatione et demissione in Missa.

157. Regulae generales:

1. Oculi in Missae celebratione non vagi per ecclesiam circumducendi, sed regulariter demittendi

[11] *Rit. cel.* miss. III. n. 5. — [12] *Rit. cel.* miss. l. c. — [13] *Martinucci*, lib. 1. cap. 5. n. 2. nota. — [14] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 308. 318. 323.; *Hartmann*, Rep. Rit. § 122. VI. n. 2.; Cf. *Eph. lit.* 1896 pg. 610.

sunt, quod a Rubrica praecipitur jam in accessu[1] ad altare et in recessu[2] ab eodem, ergo eo magis valet in Missa ipsa celebranda, nisi aliter notetur.

2. Oculi elevandi sunt ad Crucem altaris eam aspiciendo,[3] quae debet esse excelsior candelabris.[4] Si Crux sit valde eminens, sufficit oculos versus eamdem elevare et intueri versus coelum; si autem sit tam demisse posita, ut ad eam non possint oculi elevari, tunc Celebrans eam aspiciat et simul oculos in coelum elevet.[5]

3. Quando oculi sunt elevandi, non itidem elevandum est et caput, nisi hoc fiat cum levissimo tantum capitis motu. Similiter quando oculi sunt demittendi, non propterea caput nimium deprimendum nec oculi claudendi.

158. Oculi elevantur statim demittendi:[6]

1. Ante verba *Munda cor meum.*

2. In oblatione panis ad verba *Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne Deus.* Ad verba subsequentia *hanc immaculatam hostiam etc.* oculi demittuntur[7] et per totam Orationem in hostiam demissi tenentur.

3. Ad verba *Veni sanctificator omnipotens aeterne Deus.*

4. Ante Orationem *Suscipe sancta Trinitas etc.*

5. In versiculo Praefationis *Gratias agamus Domino* ad verba *Deo nostro.*[8]

6. Ante verba Canonem incipientia *Te egitur etc.*

---

[1] *Rit. cel.* miss. II. n. 1. — [2] *Rit. cel.* miss. XII. n. 6. — [3] *S. R. C.* 22. Jul. 1848 n. 3. n. 2960. — [4] Ita quidem, ut ipsa tota candelabris superemineat cum Imagine Crucifixi (*Caer. Ep.* lib. 1. cap. 12. n. 11.) et ut non solum Celebrans, sed etiam populus eumdem Crucifixum facile intueri possit (Benedictus XIV. in Constit. *Accepimus*). Collocanda est in medio altaris inter candelabra, nunquam ante ostiolum tabernaculi neque in throno tabernaculi in eo praecise loco, ubi exponitur ss. Sacramentum (*S. R. C.* 2. Jun. 1883 ad 3. n. 3576.); potest tamen collocari super tabernaculo (*S. R. C.* 11. Jun. 1904 ad 4.; *Eph. lit.* 1904 pg. 580.), ita ut Crucifixus ante vel post thronum elatus appareat (*Eph. lit.* 1908 pg. 54.). — [5] Rubrica habet: „Levatis (vel intentis) ad Deum oculis.“ — [6] *Rit. cel.* miss. VI. n. 2.; VII. n. 2. 5. 7.; VIII. n. 1.; XII. n. 1. — [7] Cf. *S. Alphonsus*, Lib. de caerem. miss. cap. 7. n. 5. — [8] *S. Alphonsus*, l. c. cap. 7. n. 16.

7. Ad verba *Et elevatis oculis in coelum ad Te Deum Patrem suum omnipotentem* ante Consecrationem hostiae.

8. Ad verba *Benedicat vos omnipotens* ante benedictionem populi in fine Missae.

159. Oculi continuate elevantur:[9]

1. Versus Crucem ad oblationem calicis per totam Orationem *Offerimus tibi etc.*

2. Ad consecratam Hostiam toto tempore elevationis ejusdem.

3. Ad Calicem continentem pretiosissimum Sanguinem toto tempore elevationis ejusdem.

160. Oculi tenentur intenti in ss. Sacramentum:[10]

1. Infra *Memento defunctorum*, dum Celebrans privatim orat.

2. Per totam Orationem Dominicam.

3. In tribus Orationibus ante Communionem.

4. Quoties actio exercetur circa ss. Sacramentum.

161. Oculi demittuntur (sed non claudantur) semper, praeter casus modo enumeratos, praecipue:

1. In accessu ad altare et in recessu ab eodem. Recole reg. gen. 1.

2. Quotiescunque Celebrans se vertit ad populum dicturus *Dominus vobiscum*, *Orate fratres* et benedicturus populum.

Caput VII.

De Osculis in Missa privata.

162. Tria in Missa privata osculanda sunt secundum Rubricas, videlicet altare, missale, patena.

Regula generalis: Oscula fiant sine strepitu, ita tamen, ut Sacerdos rem osculandam revera osculetur, non autem osculum simulet.

---

[9] *Rit. cel.* miss. VII. n. 5.; VIII. n. 5. — [10] *Rit. cel.* miss. IX. n. 2.; X. n. 1. 3.

163. Deosculatio altaris.[1]

1. Ad verba *Quorum Reliquiae hic sunt* in Oratione *Oramus te Domine etc.* ante Introitum.

2. Antequam se ad populum vertat dicturus *Dominus vobiscum,* quod quater contingit: *a)* ante Collectam, *b)* ante Offertorium, *c)* ante Postcommunionem, *d)* ante *Ita Missa est, Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace.*

3. Ante *Orate fratres.*

4. Ad verba Canonis *Uti accepta habeas et benedicas.*

5. Post Consecrationem in Oratione *Supplices etc.* ad verba *Ex hac altaris participatione.*

6. In fine Missae post Orationem *Placeat etc.,* etiamsi non detur benedictio.

Regulae:

1. Altare osculandum est in medio, manibus extensis hinc inde aequaliter in illo positis ante Consecrationem extra corporale, a Consecratione usque ad Communionem inclusive in corporali.

2. Altare osculaturus Celebrans paululum ab eodem recedat, ne corpus vel caput incomposite detorquere cogatur, utque sine attactu Hostiae altare osculari possit.

3. Si corporalis extremitates usque ad anteriorem oram altaris pertingant, tunc in osculando altare osculandum est simul corporale.

164. Deosculatio missalis. Semel tantum in Missa privata Celebrans osculatur missale, nimirum lecto primo Evangelio in primis verbis sacri textus eodem in loco, ubi antea librum signaverat. Vide n. **156.**

Regulae:

1. Dum Sacerdos missale osculatur, ambabus manibus illud sine cussino vel legili parumper elevat,[2] sese paululum ad illud inclinat et osculum applicat.

2. Celebrans missale non osculatur in Missis de Requie nec in Missis coram Summo Pontifice, Cardi-

[1] Cf. *Rubr. spec.* in Ordine et Canone Missae. — [2] *Rit. cel.* miss. VI. n. 2.

nali, Legato apostolico, Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo in eorum residentiis, quia tunc cuilibet praedictorum defertur liber osculandus. Quibus in casibus Celebrans nec dicit *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.*[3]

165. Deosculatio patenae. Patena semel tantum in Missa privata osculanda est, nimirum absoluto *Pater noster* in Oratione subsequenti *Libera nos quaesumus etc.*, postquam eâ se signavit, et ante verba *ut ope misericordiae tuae adjuti.*[4]

Regula: Deosculanda est patena in parte anteriori (concava) et superiori i. e. in extremitate seu ora superiori[5] prope manum eam tenentem,[6] non autem in ea parte, per quam Hostia transitura est.[7]

Caput VIII.

De Vocis modulatione in Missa.

166. Non omnia in Missa eodem vocis tono dicuntur, sed triplex in Missa privata celebranda distinguitur vox, nempe clara, media seu submissa et secreta.

Regulae generales:

1. Quae clara voce pronuntianda sunt, ita proferantur, ut audiri et intelligi possint a circumstantibus. Cavendum tamen, ne dicantur voce tam elata, ut perturbentur alii fortasse in eadem ecclesia tunc temporis celebrantes.[1]

2. Quae media seu submissa voce pronuntianda sunt, ita alte proferantur, ut solummodo a ministris et forte etiam a proxime circumstantibus percipi possint.[2]

3. Quae secreta voce pronuntianda sunt, ita submisse proferantur, ut a solo Celebrante, non au-

[3] *Rit. cel.* miss. VI. n. 2. — [4] *Rub. cel.* miss. X. n. 2. Cf. *Eph. lit.* lit. 1904 pg. 684. — [5] *S. R. C.* 24. Jul. 1683 n. 5. n. 1711. — [6] *S. Alphonsus*, l. c. cap. 10. n. 3. — [7] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 259.

[1] *Rub. gen.* miss. XVI. n. 2. — [2] Ordo miss. habet: voce *elata*, *paululum* seu *aliquantulum elevata*.

tem a ministris et multo minus a circumstantibus audiantur et intelligantur.[3]

4. Verba pronuntianda sunt non admodum festinanter, ita ut Celebrans advertere possit quae legit, nec nimis morose, ne audientes taedio afficiat, sed graviter, ut ad devotionem moveat.[4]

167. Clara voce dicenda sunt:

1. Quae in principio Missae in plano dicuntur usque ad *Aufer a nobis quaesumus etc.* exclusive.

2. Introitus, *Kyrie eleison* alternatim cum ministro.

3. Hymnus angelicus *Gloria, Dominus vobiscum.*

4. *Oremus, Flectamus genua, Levate,* Collectae.

5. Epistola, Prophetiae, Graduale, Tractus, Sequentia.

6. Evangelium, *Credo,* Offertorium, Praefatio.

7. Oratio Dominica et conclusio *Per omnia saecula saeculorum* eam praecedens. Eadem conclusio cum subsequente *Pax Domini sit semper vobiscum.*

8. Totum et triplex *Agnus Dei etc.,* Communio, Postcommunio.

9. *Ite Missa est, Benedicamus Domino, Requiescant in pace.*

10. *Benedicat vos etc.* Ultimum Evangelium.

168. Media seu submissa voce dicenda sunt:

1. *Orate fratres.*

2. *Sanctus* et quae sequuntur usque ad Canonem.

3. *Nobis quoque peccatoribus.* Haec tria tantum verba.

4. *Domine, non sum dignus.* Haec quatuor tantum verba. Verba subsequentia voce secreta dicuntur.

169. Secreta voce dicenda sunt:

1. *Aufer a nobis* cum reliquis usque ad Introitum.

2. *Munda cor meum* cum sequentibus usque ad Evangelium exclusive. *Per evangelica dicta etc.* post Evangelium.

---

[3] *Rub. gen.* miss. l. c. — [4] Ibid.

3. *Suscipe sancte Pater etc.* cum omnibus sequentibus usque ad Praefationem exclusive, excepto *Orate fratres,* quod dicitur media voce.

4. Canon Missae totus usque ad conclusionem *Per omnia saecula saeculorum* ante Orationem Dominicam exceptis verbis *Nobis quoque peccatoribus,* quae dicuntur media voce.

5. *Amen* post Orationem Dominicam cum Oratione et conclusione sequenti.

6. *Haec commixtio et consecratio etc.*

7. Tres Orationes ante Communionem et quae sequuntur usque ad Antiphonam, quae inscribitur Communio exclusive, exceptis verbis *Domine non sum dignus,* quae dicuntur media voce.

8. Oratio *Placeat tibi sancta Trinitas etc.* ante benedictionem in fine Missae.

170. Verba Consecrationis dicenda sunt:

1. Attente;[5] verba enim sunt sanctissima et proferuntur in momento sanctissimo ideoque maximam merentur attentionem. Duplex defectus hic vitandus est, scilicet nimis parvae et nimis anxiae attentionis; prior pejor est, non minus tamen vitandus alter, qui scrupulos generat. Quapropter securus esse debet, qui verba profert eo modo, quo quis devote alias orationes vocales recitare solet; aliud enim non praescribitur nec exigitur.[6]

2. Continuate[7] i. e. absque morula intercedente tum inter verba Consecrationis et verba praecedentia *Manducate ex hoc omnes* et *Bibite ex eo omnes,* tum inter singula Consecrationis verba, quae proferenda sunt unico tractu.

3. Distincte[8] absque ulla elisione aut mutilatione. Ob periculum errandi consulitur verba haec legere e tabella vel missali, non autem ea memoriter proferre.

---

[5] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 7. et Rub. Ordin. miss. — [6] *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 249. nota. — [7] *Rit. cel.* miss. l. c. — [8] Ibid. n. 5. et Rub. Ordin. miss.

4. Reverenter[9] i. e. sine nimia aspiratione et sine capitis motione. Os Sacerdotis medio circiter pede distet ab hostia et calice consecrando.

5. Secreto[10] i. e. ita ut Celebrans seipsum audiat, minime autem a circumstantibus audiatur. Verba Consecrationis ita submisse proferre, ut ne se ipse quidem audire possit, secluso strepitu forte excitato, facile graviter peccat, eo quod Consecrationem facile facit dubiam.[11]

6. Assertive (significative seu formaliter), non solum narrative (recitative seu historice), quia Sacerdos non tantum narrat, Christum per ea verba consecrasse, sed ipse etiam tamquam minister secundarius iisdem verbis consecrat. „Si enim ea," ait Benedictus XIV.,[12] „tantum recitative et historice Sacerdos proferret tamquam dicta a Christo, non sane loqueretur aut ageret ex persona Christi, quamobrem quum Sacerdos loquatur et agat ex persona Christi, necessario sequitur, verba Consecrationis a Sacerdote proferri significative et formaliter." Attamen non est scrupulose laborandum, ut verba in sensu assertivo proferantur; eo enim ipso, quo habetur voluntas consecrandi, implicite et sufficiens habetur voluntas, verba proferendi in sensu assertivo.[13]

7. Semel i. e. absque scrupulosa repetitione.

171. Si Celebrans per errorem super panem proferat formam Consecrationis calicis, an panis censendus est consecratus an vinum? *R.* Neutrum. Non est consecratus panis ob defectum formae; non est consecratum vinum ob defectum intentionis. In casu ergo Celebrans incipiendo a verbis *Qui pridie*, super panem proferat formam praescriptam et denuo proferat formam Consecrationis vini super calicem. Si hostia non consecrata elevata fuerit, non est denuo elevanda, ad cavendum scandalum.[14]

---

[9] *Rit. cel.* miss. l. c. — [10] Ibid. et Rub. Ordin. miss. — [11] *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. 2. n. 243. — [12] De sacr. Sacrif. miss. lib. 2. cap. 15. n. 4. — [13] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 249. ad 6. — [14] De Defect. V.; *Herdt*, l. c. II. n. 150.

Caput IX.

De Manuum positionibus in Missa.

172. Manus in Missa varias habere possunt positiones; praecipue consideranda venit eorum junctio et extensio. Junguntur manus vel ante pectus vel super altare vel ante faciem; extenduntur vel ante pectus vel super altare vel super librum.

Regulae generales:

1. In omni manuum junctione et extensione, imo in quacumque manuum positione, quae fit in Missa a Consecratione Hostiae usque ad Communionem inclusive, pollices et indices utriusque manus invicem junguntur et juncti tenentur, nisi quando Hostia consecrata tractanda vel tangenda sit.[1] Quem in finem apices pollicis et indicis utriusque manus se invicem jugiter contingunt, reliquis digitis extensis et invicem junctis. Ante Consecrationem et post Communionem autem in manuum extensione pollices et indices extenduntur et applicantur ceteris digitis extensis et junctis; in junctione vero pollex dexter imponitur de more pollici sinistro in modum crucis.[2]

2. Ante pectus manus junguntur in Missa modo consueto, sicut dictum est in prima sectione n. **2.** Quod semper servatur in junctione manuum ante pectus, praeterquam a Consecratione usque ad Communionem inclusive, quo tempore pollices et indices utriusque manus invicem junguntur, uti in priori regula exposuimus. Junctio ipsa duplici fit modo, vel ita, ut manus disjunctae, quin eleventur, linea recta ante pectus jungantur; vel ita, ut disjunctae eleventur ex parte infima usque ad altitudinem humerorum, deinde ante pectus demittantur, ubi junguntur.

3. Super altare manus junctae ponuntur ita, ut digiti parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris partis mensae tangant, reliqui vero digiti utriusque manus invicem juncti et a parvis digitis non separati[3]

[1] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 5. — [2] Ibid. III. n. 1. — [3] *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 4. n. 1.

in superiori parte mensae quiescant, pollice dextero super sinistro in modum crucis posito,[4] nisi post Consecrationem,[5] quo tempore pollices et indices junguntur.

4. Ante faciem manus junguntur ita, ut junctae eleventur usque ad mentum, sic tamen, ut intercedat aliquod spatium inter mentum et manus. Caveat Sacerdos, ne manus elevet usque ad oculos, nec eas imponat ori vel naribus.

5. Ante pectus manus extenduntur et extensae tenentur ita, ut extensis et junctis omnibus digitis (post Consecrationem usque ad Communionem inclusive pollice et indice utriusque manus invicem junctis) palma unius manus respiciat alteram et humerorum latitudinem et altitudinem manus minime excedant.[6] Extensio et junctio fit linea recta, manus nec deprimendo nec elevando,[7] nisi aliter notetur. Cf. reg. gen. 2.

6. Super altare manus extenduntur i. e. separatae ab invicem in illo collocantur ita, ut ante Consecrationem et post Communionem in mensa ponantur hinc inde extra corporale digitis junctis et extensis et quidem ex parte totius palmae usque ad pulsum, non cum solis digitis; a Consecratione usque ad Communionem inclusive vero super corporale pollice et indice modo supra (reg. gen. 1.) dicto junctis. Palma in hoc casu cum tribus ultimis digitis in corporali quiescat, vel potius ita ponatur, ut sola ejus pars lateralis ex parte digiti parvi tangat corporale.[8]

7. Alterutra manu operante, altera non occupata nunquam in aëre pendula maneat,[9] sed ponatur

---

[4] *Rit. cel.* miss. IV. n. 1. — [5] Ad quaesitum: An Sacerdos ponere debeat manus intra corporalia, dum dicit Orationem *Supplices te rogamus* et Orationes ante Communionem? *S. R. C.* die 7. Sept. 1816 ad 21. n. 2572. respondit: Servandas esse Rubricas, quae jubent manus ponendas esse super altare, non intra corporale. — [6] *Rit. cel.* miss. V. n. 1. — [7] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 139. — [8] *Herdt*, l. c. n. 138. — [9] Hanc regulam inviolabilem vocat *s. Alphonsus* in Lib. de caer. miss. cap. 8. n. 8.

vel super pectus vel super librum vel super altare, prout actio exigit.

8. In percussione pectoris, quae fit ante Consecrationem, Sacerdos, sinistra posita infra pectus, extremitate manus dexterae, extensis junctisque cunctis digitis iisque parum inflexis, pectus modeste percutit. In percussione pectoris vero post Consecrationem, sinistra posita super altari in corporali, tribus dumtaxat inferioribus et ultimis digitis dexterae pectus percutit, ne pollex et index juncti casulam tangant.

9. In vertendis foliis missalis adhiberi potest vel utraque manus vel alterutra tantum et tunc altera ponitur vel super altare vel missale.[10] Post Consecrationem usque ad Communionem inclusive folia aut signacula foliis apposita sumantur potius digito medio et annulari, quam indice et digito medio, nequaquam autem pollice et indice.

173. Manus prius junctae ante pectus extenduntur, elevantur et statim ante pectus junguntur:

1. Ad verba *Gloria in excelsis Deo.*

2. Ad verba *Credo in unum Deum.*

3. Ad verba *Veni sanctificator, omnipotens aeterne Deus.*[11]

4. Ante[12] verba *Te igitur etc.* ineunte Canone.

5. Ad verba *Benedicat vos omnipotens Deus.*

174. Manus, prius non junctae, extensae elevantur:

1. Ad verba *Sursum corda.*

2. Ad Memento vivorum elevantur usque ad faciem, ubi junguntur.

3. Ad verba *Fiat dilectissimi Filii tui Domini Nostri Jesu Christi,* quibus dictis ante pectus junguntur.

---

[10] *S. Alphonsus,* l. c. cap. 3. n. 3. et cap. 5. n. 3. — [11] Rub. spec. in Ord. Missae et Rub. reform. per decr. gen. *S. R. C.* 7. Dec. 1897; *Rit. cel.* miss. VII. n. 5. — [12] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 1. Cf. Caer. *Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 67; *Eph. lit.* 1904 pg. 684. sq.

175. Manus ante pectus extensae tenentur:

1. Infra Collectas, Secretas et Postcommuniones usque ad conclusionis verba *Dominum nostrum* vel *In unitate* exclusive. Vide n. **187.**

2. Ad *Sursum corda* usque ad *Gratias agamus Domino,* ad quae verba[13] manus linea recta[14] ante pectus junguntur.

3. A *Vere dignum etc.* usque ad *Sanctus* exclusive.

4. In Canone ante Consecrationem a verbis *In primis, quae tibi offerimus etc.* usque ad conclusionem ante *Hanc igitur etc.* exclusive, excepto Memento vivorum.

5. In Canone post Consecrationem usque ad *Per quem haec omnia etc.,* praeterquam ad *Supplices te rogamus* et ad Memento mortuorum et excepto casu, quo quid manibus agendum praescribitur.

6. Per totam Orationem Dominicam usque ad *Amen* inclusive.

176. Manus prius junctae ante pectus extenduntur et statim linea recta junguntur:

1. Quotiescunque dicitur *Oremus,* praeterquam ante Orationem Dominicam, ubi manus tantum elevantur et junguntur.

2. Quotiescunque conversus ad populum Celebrans dicit *Dominus vobiscum.*

3. Dum dicitur *Orate fratres.*

4. Ad Memento mortuorum, ubi junctae usque ad faciem (mentum) elevantur.[15]

177. Manus extensae super altare ponuntur:

1. Sub quolibet osculo altaris, et quidem ante Consecrationem hinc inde extra corporale, post Consecrationem usque ad Communionem inclusive super corporale.

---

[13] *Rit. cel.* miss. VII. n. 8. — [14] *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 237.; *Schober* in s. Alphonsi libr. de caer. miss. cap. 7. not. 42. — [15] *Rit. cel.* miss. IX. n. 2.

2. Sub qualibet genuflexione ad altare, excepta genuflexione immediate ante elevationem s. Hostiae. Vide reg. gen. 6.

3. Ad verba Praefationis *Per omnia saecula saeculorum* et *Dominus vobiscum.*

4. Ad verba *Per omnia saecula saeculorum* ante Orationem Dominicam.

178. Manus extensae ponuntur super missale, ipsum tenendo vel saltem tangendo:[16]

1. Ad Epistolam; 2. ad Graduale; 3. ad Tractum; 4. ad Versiculos; 5. ad Sequentiam.

179. Manus junctae super altare tenentur:

1. Ad *Oramus te Domine per merita etc.* usque ad *Quorum Reliquiae hic sunt,* ad quae verba extensae hinc inde extra corporale ponuntur, ut Celebrans altare osculetur.

2. Per totam Orationem *In spiritu humilitatis etc.*

3. Per totam Orationem *Suscipe sancta Trinitas etc.*

4. Ineunte Canone ad *Te igitur etc.* usque ad verba *Uti accepta habeas et benedicas* exclusive.

5. Ad Orationem *Supplices te rogamus* usque ad verba *Ex hac altaris participatione* exclusive.

6. Ad tres Orationes ante Communionem.

7. Ad Orationem *Placeat tibi* ante benedictionem populi.

180. Manus junctae ante pectus tenentur:

1. Ubicunque alia positio non praescribitur; speciatim:

2. Ad Introitum, facto signo crucis, usque ad *Kyrie eleison* inclusive.

3. Ad *Munda cor meum etc.* et in lectione Evangelii.

4. Dum dicitur Offertorium post *Oremus.*[17]

[16] *Rit.* l. c. VI. n. 1. — [17] *Rit. cel.* miss. VII. n. 1.

5. Ad *Sanctus* usque ad *Benedictus* exclusive.

6. Ad verba *Praeceptis salutaribus moniti etc.* usque ad *Pater noster.*

7. Ad verba *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi* prima vice prolata.

8. Accedendo e medio altaris ad alterutrum cornu et vice versa.

181. Manus junctae ante faciem (mentum) tenentur:

1. Durante utroque *Memento.*

2. Durante meditatione post sumptionem ss. Corporis Christi.[18]

182. Manus sinistra super altare ponitur:

1. Ad Offertorium, dum Celebrans calicem patena et palla coopertum versus cornu Epistolae collocat immediate ante oblationem hostiae et iterum antequam, e cornu Epistolae ad altaris medium reversus, accipiat calicem ad offerendum vinum.

2. Ad *Nobis quoque peccatoribus.*

3. Post Orationem Dominicam ad *Libera nos, quaesumus* usque ad *Da propitius etc.* exclusive, ad quae verba infra pectus ponitur.

4. Dicto prima vice *Agnus Dei qui tollis peccata mundi* usque ad *Dona nobis pacem* inclusive.

5. Dum Celebrans, patenam tenens, seipsum calice signat immediate ante sumptionem ss. Sanguinis.

6. Dum Celebrans sumpto ss. Sanguine, patenam tenens, porrigit calicem ad infundendum vinum pro purificatione.

7. Quotiescunque super calicem aut hostiam manu dextera signum crucis facit, nisi sinistra sit impedita. Vide n. **156.** ad 3.

---

[18] Sunt, qui etiam post sumptionem pretios. Sanguinis meditationem instituunt. Ast minus recte, quia de hac meditatione Rubricae silent. Et interrogata *S. R. C.*: An Sacerdos post sumptionem pr. Sanguinis debeat parumper immorari in adoratione, prout fit post sumptionem ss. Hostiae? die 24. Sept. 1842 ad 2. n. 2850. respondit: Serventur Rubricae (nihil sc. praecipientes).

8. Dum facit signum crucis super altare ante lectionem ultimi Evangelii.

183. Manus dextera super altare ponitur:

1. Quotiescunque sinistrâ folia missalis vertuntur. Vide reg. gen. 9.

2. Post *Domine non sum dignus,* dum reliqua verba dicuntur, dextera potest esse vel pectori applicata vel in continuo motu vel in altari quiescere.[19]

184. Manus sinistra infra pectus ponitur:

1. Quotiescunque Celebrans seipsum signat, nisi sinistra sit impedita. Vide n. **156.** ad 3.

2. Dum percutit pectus ad *Confiteor.*

3. Dum in fine Missae benedictionem impertit populo.

185. Pectus manu dextera percutitur:

1. Sub *Confiteor* ad *Mea culpa* (bis) et *mea maxima culpa,* sinistra posita infra pectus.

2. Ad verba *Nobis quoque peccatoribus,* sinistra interim posita in corporali.

3. Post verba *Agnus Dei qui tollis peccata mundi,* dum dicitur *Miserere nobis* (bis) et *Dona nobis pacem,* sinistra interim posita in corporali.

4. Ad verba *Domine, non sum dignus,* sinistra interim patenam tenente et ambas partes ss. Hostiae.

186. Cubiti super altare ponuntur:[20]

1. Dum verba Consecrationis proferuntur tum super hostiam tum super calicem.

2. Dum Celebrans sumit ss. Corpus Domini nostri J. Christi.

187. In Orationum conclusione manus junguntur modo sequenti:[21]

1. Quando Oratio concluditur verbis *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus* vel verbis *Per eumdem Dominum nostrum etc.,* tunc in utraque conclusione ad verba *Dominum nostrum* manus ante pectus junguntur junctaeque tenentur

[19] *Herdt,* l. c. n. 138.; *Martinucci,* l. c. n. 117. — [20] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 5. 7. et X. n. 4. — [21] *Rit. cel.* miss. V. n. 1.

usque ad finem conclusionis inclusive, et caput ad verba *Jesum Christum* inclinatur versus Crucem absque oculorum elevatione.

2. Quando vero Oratio concluditur verbis *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti etc.* vel verbis *Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti etc.*, tunc manus junguntur ad verba *in unitate* junctaeque ante pectus tenentur usque ad finem conclusionis, caput vero non inclinatur neque versus Crucem neque versus librum.

De positione manus sinistrae in crucis majoris efformatione vide n. **156.** ad 3.

Caput X.

De Inclinationibus in Missa occurrentibus.

188. Saepissime in Missae celebratione occurrunt inclinationis faciendae, corporis seu profunda, humerorum seu mediocris et capitis seu minima inclinatio. De modo faciendi has inclinationes jam disseruimus in capite secundo hujus libri. Hic agimus solummodo de inclinationibus, quae occurrunt in Missae celebratione.

§ 1. Regulae generales circa Inclinationes in Missa.

189. — 1. Ante inclinationem oculi non sunt elevandi, nisi elevatio specialiter praescribatur, uti ante *Munda cor meum* et ad alia sub n. **158.** enumerata.

2. Dum Celebrans inclinatus legit ea, quae novam exigerent inclinationem, tunc haec (altera) inclinatio omittitur, a fortiori si tamquam minor inclinatio comprehendatur in priori inclinatione majori. Quapropter in Oratione *Suscipe s. Trinitas*, quam Celebrans legit mediocriter inclinatus, nullae superadduntur speciales inclinationes ob prolationem ss. Nominum Jesu, Mariae et Sanctorum ibi occurrentium. Similiter in tribus Orationibus ante Communionem, quae recitandae sunt cum mediocri inclinatione, omittuntur capitis inclinationes ad ss. Nomen Jesu, quia

capitis inclinatio utpote minor reverentia jam comprehenditur in humerorum inclinatione utpote majori.[1]

3. Si eodem tempore, quo faciendum est signum crucis, facienda occurrat simul inclinatio, haec omittitur. Ratio est, quia crux formanda est capite et corpore erecto. Vide n. **155.** reg. gen. 1.

4. Si immediate post inclinationem facienda sit genuflexio aut conversio ad populum, Sacerdos praevie totaliter se erigat et subinde genuflectat aut se convertat, ne genuflexio aut conversio peragatur incurvato corpore.[2] Recole n. **11.**

§ 2. De Corporis profunda Inclinatione in Missa.

190. Quomodo haec inclinatio peragenda sit, jam explicavimus in prima sectione n. **5.** Ad decenter hanc inclinationem ad altare formandam, Celebrans profunde sese inclinaturus aliquantulum (spatio unius pedis, dicit s. Alphonsus) retrocedat et ita se constituat, ut frons fere tangat mensam altaris. Quod tamen relative sumendum est secundum magnitudinem Celebrantis et altitudinem altaris.

191. Profunda corporis inclinatio facienda est a Celebrante:

1. Immediate ante principium Missae, antequam stans in plano cruce se signet et incipiat *Introibo* cum psalmo *Judica* et reliquis, dummodo in tabernaculo actualiter non contineatur ss. Sacramentum.[1]

2. Ad *Confiteor* usque ad absolutum a ministro *Misereatur tui etc.*, ergo usque ad dictum a Celebrante ipso *Amen.*[2]

3. Ad *Munda cor meum etc. Jube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo etc.*[3]

4. Ante Orationem et ad ejusdem verba *Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Fi-*

[1] *Cavalieri*, tom. 5. cap. 13. n. 44. 45.; *Bouvry*, pars 3. sect. 3. tit. 5. rub. 2. et tit. 10. rub 3. ad (1); *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 234. — [2] Cf. *Romsée*, Prax. tom. I. pars 2. art. 4. n. 4. not.

[1] *Rit. cel.* miss. III. n. 1. — [2] Ibid. III. n. 7. — [3] Ibid. VI. n. 2.

lium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus.[4]

5. Post Consecrationem, ad *Supplices te rogamus* usque ad vocem *quotquot* inclusive.[5]

§ 3. De Humerorum Inclinatione in Missa.

192. Auctores communiter docent, ad debite hanc inclinationem ad altare faciendam Sacerdotem oportere caput et humeros ita deprimere, ut frons ejus fere aequet altitudinem pallae super calicem positae. Etiam in hac inclinatione decenter formanda Celebrans paululum recedat ab altari, sicut dictum est n. **190.** Recole etiam dicta in sectione prima n. **6.** Quando in Rubricis dicitur *„aliquantulum inclinatus“*, vel *„parum inclinatus“* vel solummodo *„inclinatus“*, semper intelligenda est haec inclinatio.

193. Mediocris corporis seu humerorum inclinatio facienda est a Celebrante:

1. Cruci altaris, antequam Celebrans, libro in cornu Epistolae accommodato, in medium altaris reversus, descendat in planum Missam incepturus.[1]

2. Ad *Deus tu conversus etc.* usque ad *Oremus* inclusive ante *Aufer a nobis etc.*[2]

3. Ad verba *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiae.*[3]

4. Per totam Orationem *In spiritu humilitatis.*[4]

5. Per totam Orationem *Suspice sancta Trinitas.*[5]

6. Ad Trisagion *Sanctus* usque ad *Benedictus* exclusive.[6]

7. Sub Consecratione panis et vini.[7]

8. Ad tres Orationes ante Communionem.[8]

---

[4] Ibid. VIII. n. 1. — [5] Rub. Ordin. miss.

[1] Non conveniunt auctores in definienda hac reverentia. Melioris notae Rubricistae *s. Alphonsus, Martinucci, Baldeschi, Schober etc.* habent mediocrem inclinationem. — [2] *Rit. cel. miss.* III. n. 10. — [3] Ibid. IV. n. 1. — [4] Ibid. VII. n. 5. — [5] Ibid. VII. n. 7. — [6] Ibid. VII. n. 8. — [7] Ibid. VIII. n. 5. — [8] Ibid. X. n. 3.

9. Ad triplex et totum *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum etc.*[9]

10. Infra sumptionem ss. Hostiae.

§ 4. De Capitis Inclinatione in Missa.

194. Quum in Missa celebranda occurrant multa, quae exigunt cultum latriae, nonnulla, quae exigunt cultum hyperduliae et quaedam exigentia cultum duliae, non raro occurrunt etiam capitis inclinationes ex triplici hac ratione faciendae, profunda scilicet, media et minima. Prima correspondet cultui latriae, secunda cultui hyperduliae, tertia cultui duliae.

Regulae speciales:

1. Profunda capitis inclinatio, ss. Sacramento non exposito, extra Evangelium facienda est versus Crucem altaris,[1] respective versus ss. Eucharistiam extantem super altari a Consecratione usque ad Communionem inclusive; infra Evangelium vero versus missale ob dignitatem Evangelii.[2] Almo Sacramento exposito, omnes hujus generis inclinationes, quandocunque occurrerint, semper dirigendae sunt versus Sanctissimum expositum.[3]

2. Reliquae inclinationes capitis (media et minima) in Missa privata tam infra quam extra Evangelium dirigendae sunt versus missale, nisi in loco principali altaris habeatur statua vel imago B. M. V. vel Sancti, ad quam, quia expressius repraesentant, caput inclinatur.[4] Nil refert, utrum statua vel imago sit in ipso altari an in pariete paululum ab altari distante, dummodo sit in loco principali i. e. in medio, et dummodo adsit ad specialem cultum, non autem veluti adjunctum, e. gr. imago B. M. V. repraesentans simul S. Aloisium, Stanislaum aliumve.[5]

3. Nomen quodcunque, ut exigat capitis inclinationem, esse debet proprium, non commune. Ideo

---

[9] Ibid. X. n. 4.

[1] *Rit. cel.* miss. IV. n. 2.; V. n. 1. 2. — [2] Ibid. VI. n. 2. — [3] Cf. *S. R. C.* 30. Nov. 1895 ad 4. n. 3875. — [4] *Rit. cel.* miss. V. n. 2.; *S. R. C.* 13. Febr. 1892 ad 25. n. 3767. — [5] *Eph. lit.* 1908 pg. 270.

ad nomina *Pater, Redemptor, Salvator, Filius, Spiritus Sanctus*[6] non fit capitis inclinatio, etsi referantur ad singulas ss. Triadis personas. Ad nomen *Christus* semel tantum in liturgia caput inclinatur, in conclusione scilicet Commemorationis pro defunctis[7] immediate ante *Nobis quoque peccatoribus.*

195. Profunda capitis inclinatio facienda est a Celebrante juxta regulam specialem primam:

1. Ter ad doxologiam *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto,* nempe post psalmum *Judica,* ad *Introitum* et post psalmum *Lavabo.*

2. Sexies in Hymno angelico, videlicet ad verba: *Deo — Adoramus Te — Gratias agimus Tibi — Jesu Christe — Suscipe deprecationem nostram — Jesu Christe.*

3. Quotiescunque dicitur *Oremus.*

4. Quotiescunque dicitur ss. Nomen *Jesu* aut *Jesu Christi* aut ss. Trinitatis (cf. sect. I. n. 7.), nisi Sacerdos praevie sit inclinatus. Recole n. **189.** ad 2.

5. Quando ex aliqua ratione ipsemet Celebrans missale transfert a cornu ad cornu, transiens ante medium altaris caput profunde inclinat, sive exstet super altari sola Crux sive ss. Sacramentum inclusum vel expositum.[8]

6. Dum in hebdomada majori lecturus Passionem transit a cornu Epistolae ad cornu Evangelii.[9]

7. Ter in Symbolo, videlicet ad verba: *Deum — Jesum Christum — Simul adoratur.*

8. In Praefatione ad *Gratias agamus Domino,* dum dicit *Deo nostro.*

9. Ante utramque Consecrationem, dum dicit *Tibi gratias agens.*

10. Ad conclusionem *Per eumdem Christum Dominum nostrum Amen* ante *Nobis quoque peccatoribus.* Recole n. **194.** reg. 3.

---

[6] *S. R. C.* 19. Jul. 1895 ad 2. n. 3867. — [7] Rub. Can. miss. — [8] *Rit. cel.* miss. VI. n. 1.; *S. R. C.* 14. Jan. 1898 Dub. II. ad 1. n. 3975. et 1. Febr. 1907 ad 12. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 263. sq.) — [9] *S. R. C.* 14. Jan. 1898 Dub. II. ad 2. n. 3975.

11. Dicendo ter *Agnus Dei etc.*[10]

12. In Quadragesima ante Orationem super populum dicendo *Oremus, Humiliate capita vestra Deo.*[11]

13. Ad totam Orationem *Placeat etc.*[12]

14. In formula benedictionis populi ad vocem *Deus.*

196. Media capitis inclinatio facienda est a Celebrante juxta reg. spec. secundam:

Ad Nomen *Mariae* Deiparae[13] tantum, ubicunque occurrerit, licet de ea nec Missa nec commemoratio fiat; ergo etiam in Oratione ad libitum, ubi in ea expresse nominatur Mater Dei, et in Oratione *A cunctis.*

197. Minima capitis inclinatio facienda est a Celebrante juxta reg. spec. secundam:

1. In Festis[14] tantum Sanctorum, quoties nomen[15] eorum, de quibus celebratur Missa vel fit commemoratio, exprimitur in Oratione, Epistola, Evangelio et Canone,[16] et infra Octavas Sanctorum Octavam

---

[10] *Rit. cel.* miss. X. n. 2. — [11] *Rit. cel.* miss. XI. n. 2. — [12] Rit. l. c. XII. n. 1. Ita intelligunt hanc Rubricam et eam in Ordinario Missae: *Martinucci, Herdt, Falise, Hartmann* aliique. — [13] Minime ergo in Communione Missae Assumptionis B. M. V. ad verba *Optimam partem elegit sibi Maria* (*S. R. C.* 7. Dec. 1844 ad 6. n. 2872.) nec in Sequentia Missarum de Requie, quia in his casibus non est sermo de Maria Matre Dei, sed de sorore Lazari. — [14] Ergo non in Vigiliis Sanctorum, quia non sunt Festum, sed praeparatio ad Festum. Coll. quaes. et resp. *S. R. C.* 13. Febr. 1892 ad 25. n. 3767. — [15] Videlicet nomen proprium, sub quo Sanctus in Ecclesia colitur; unde caput non inclinatur e. g. ad nomina *Simon Barjona, Saulus etc.* — [16] *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 20. n. 2572. Sancti in Canone ante Consecrationem relati coluntur hisce diebus: S. Linus 23. Sept., S. Cletus 26. Aprilis; S. Clemens 23. Nov.; S. Xystus, Pontifex hujus nominis secundus, 6. Aug.; Ss. Cornelius et Cyprianus 16. Sept.; S. Laurentius 10. Aug.; S. Chrysogonus 24. Nov.; Ss. Joannes et Paulus 26. Jun.; Ss. Cosmas et Damianus 27. Sept. In Canone post Consecrationem: S. Joannes Bapt. 24. Jun. et 29. Aug.; St. Stephanus Protomartyr 26. Dec. et 3. Aug.; S. Ignatius M. Patriarcha Antiochenus 1. Febr.; S. Alexander, Pontifex hujus nominis primus, 3. Maji; Ss. Marcellinus Presb. et Petrus Exorcista Martyres 2. Jun.; Ss. Felicitas et Perpetua 6. Mart.; S. Agatha 5. Febr.; St. Lucia 13. Dec.; S. Agnes 21. et 28. Jan.; S. Caecilia 22. Nov.; Anastasia 25. Dec.

habentium, licet de iis per accidens (scil. ob occurrentiam Festi ritus superioris) nulla fiat commemoratio;[17] Octava namque est continuatio Festorum. Si vero Festum aliquod quoad Officium a loco suo transferendum sit in aliam diem, ita ut propria die de eo nil fieri possit, dictum Festum non recolitur illa die, ergo caput non est inclinandum, etiamsi nomen istius Sancti occurrat in Canone. Nunquam caput inclinatur ad nomina Sanctorum, quae occurrunt in titulis Epistolae et Evangelii,[18] vel in Oratione ad libitum et *A cunctis*, quia nomine commemorationis veniunt illi Sancti, de quibus illa die occurrit Festum simplex, aut dies infra Octavam, aut Missa votiva.[19] Dum plura simul junguntur nomina Sanctorum, semel tantum, sed lentius, caput est inclinandum, ita ut inclinatio duret a primo usque ad ultimum. Quod dictum est hic de nominibus Sanctorum, intelligendum est etiam de nominibus propriis Angelorum.[20]

2. Ad nomen Papae regnantis in ejus Oratione[21] et in Canone.[22] Quae inclinatio semper dirigenda est versus librum.

3. Ad nomen Episcopi ordinarii item versus missale, sed in ejus Oratione tantum, sive sit imperata, sive ad libitum, sive de praecepto uti in ejus electionis et consecrationis die anniversaria, idque eo praesente vel absente.[23] In Canone[24] non fit capitis

[17] *S. R. C.* 19. Jun. 1903 ad 1. Ord. Fratr. Minor.; *Eph. lit.* 1903 pg. 455. sq. et 1904 pg. 524. sq. — [18] *S. R. C.* 13. Febr. 1892 ad 25. n. 3767. — [19] *Meratus*, pars. 2. tit. 5. n. 11.; *S. Alphonsus*, De Caerem. miss. cap. V. n. 5. — [20] *Bouvry*, Expos. Rubr. pars 3. sect. 3. tit. 5, rub. 2. n. 3. — [21] *Rit. cel.* miss. V. n. 2. — [22] *S. R. C.* 23. Maji 1846 ad 5. n. 2915. — [23] *S. R. C.* 13. Mart. 1700 ad 3. n. 2049. — [24] Episcopi nomen dicendum est in Canone et in aliis liturgicis Orationibus a die captae possessionis vel per Episcopum ipsum vel per suum procuratorem. *S. R. C.* 4. Jul. 1879 (Acta s. Sedis tom. XII. pg. 96.). Econtra nomen administratoris dioeceseos, etsi dignitate episcopali foret insignitus, in Canone non debet memorari. *S. R. C.* 22. Aug. 1722 ad 5. n. 2274. Si Episcopus loci, in quo celebratur, sit defunctus, verba commemorationis ejusdem in Canone omittuntur, quod fit etiam ab iis, qui Romae celebrant. *Rit. cel.* miss. VIII. n. 2. Sacerdos alienae dioeceseos, omisso nomine sui Episcopi, nominare debet Episcopum dioeceseos, in qua celebrat. Si nomen hujus Episcopi ignoret vel ejus

inclinatio ad nomen Episcopi, etiamsi in Missa ejus Collecta dicenda sit.

4. Ad utrumque *Memento*[25] versus Crucem altaris.

Caput XI.

De Genuflexionibus in Missa occurrentibus.

§ 1. Regulae generales circa Genuflexiones in Missa.

198. — 1. In omni genuflexione, sive simplici sive duplici, quam Celebrans facit stans ad altare i. e. in suppedaneo, manus usque ad pulsum[1] super mensam altaris disjunctae et extensae ponuntur, excepta genuflexione simplici ante elevationem ss. Hostiae, in qua manus Corpus Domini tenentes junguntur junctaeque altari imponuntur.[2]

2. In omni genuflexione, sive simplici sive duplici, quam facit Sacerdos non stans ad altare i. e. non in suppedaneo, sed sive in gradibus, sive in plano, more solito manus junctae ante pectus tenentur, nisi sint impeditae.

§ 2. De Genuflexione simplici in Missa.

199. Genuflexio simplex occurrit in omnibus Missis privatis et solemnibus, frequentius in Missis

non meminerit, debet simpliciter dicere et *Antistite nostro* absque ulla nominis expressione, mentaliter intelligendo Episcopum dioeceseos, in qua celebrat. *Cavalieri*, tom. 5. cap. 16. n. 21. Si Celebrans ipse sit Episcopus, omissis verbis *et Antistite nostro N.*, eorum loco dicit *et me indigno servo tuo*. *Rit. cel.* miss. VIII. n. 2. Quod faciendum est etiam ab Episcopo Titulari, Auxiliari, Coadjutore. *Eph. lit.* 1904 pg. 492. sq. Episcopus celebrans in aliena dioecesi, non tenetur in Canone nominare Episcopum hujus alienae dioeceseos, sed semetipsum. *S. R. C.* 6. Febr. 1892 ad 19. n. 3764. Non licet Regularibus loco Episcopi nominare suum Superiorem generalem aut Praelatum sibi praepositum, sed exprimere tenentur nomen Episcopi ordinarii, in cujus dioecesi celebrant. *Rit. cel.* miss. l. c. Neque nominandus est Abbas exemptus, quia non est Episcopus, licet habeat jurisdictionem quasi-episcopalem. *Meratus*, pars 2. tit. 7. n. 5. — [25] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 3. et IX. n. 2.

[1] *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 4. n. 1. — [2] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 5.

coram exposito ss. Sacramento, minus frequenter in aliis Missis. De modo exsequendi hanc genuflexionem recole dicta n. **11.**

Regulae speciales:

1. Quia in omni genuflexione simplici facienda genu dexterum demissum pavimento nullo modo insistere, sed, eo vix attacto, graviter quidem sed statim inde erigi debet, errant ii, qui in genuflexionibus faciendis a Consecratione usque ad Communionem inclusive aliquantulum cum genu flexo in suppedaneo morandum esse putant. Verba Rubricae[1] „genuflexus adorat" haud sibi volunt, genuflexioni adjungendam esse adorationem per aliquam morulam, sed tantum explicant, quomodo adoratio exhibenda sit nimirum per genuflexionem.[2]

2. Quia in omni genuflexione simplici facienda, omitti debet qualiscunque inclinatio, ceteroquin etiam ad ss. Nomen *Jesu* aut *Mariae* praescripta, ideo perperam agunt omnes, qui genuflectendo caput inclinant oculosque in terram demittunt. Ad recte decenterque hanc genuflexionem exsequendam, Sacerdos genuflectens capite erecto (non elevato) oculos intentos habeat, quantum fieri potest, ad rem, cui exhibetur reverentia, ergo vel in Calicem vel in Hostiam, si genuflectat in medio altaris, vel ad missale, si genuflectat versus librum in alterutro cornu altaris.

3. Si pauca sint verba, ad quae genuflectendum est, genuflexio cum ipsis incipitur et absolvitur, e. g. in Symbolo ad verba *Et incarnatus est etc.*; si autem plura sint verba, ita ut Celebrans genuflectens eorum lectionem prosequi non possit, ad prima dumtaxat verba genuflectit et statim surgit, e. g. in Tractu Quadragesimae ad verba *Adjuva nos etc.*[3]

4. Celebrans nunquam actionem aliquam exerceat circa ss. Sacramentum, quin antea et postea simpliciter genuflectat. Consule numerum sequentem ad 6.

---

[1] *Rit. cel.* miss. VIII. n. 5. 7., IX. n. 3. etc.; *Rub. spec.* Canonis. — [2] *Eph. lit.* 1888 pg. 591. — [3] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 116. not.

200. Genuflexio simplex facienda est a Celebrante:

1. In exordio Missae in primo i. e. infimo gradu, antequam stans in plano signet se signo crucis, sive ss. Sacramentum lateat inclusum sive pateat expositum.[4]

2. Ad *Flectamus genua* in Missis privatis Quatuor Temporum; in Missis solemnibus enim Diaconus genuflectit, non Celebrans.

3. Quotiescunque in Epistola, Tractu aut Evangelio praescribitur genuflexio.

4. In Symbolo ad verba *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est.* Lege numerum praecedentem ad 3.

5. Ante et post elevationem ss. Hostiae et Calicis.

6. A Consecratione usque ad Communionem ante et post quemcunque contactum ss. Hostiae et ante quamcunque aperitionem ac post quamcunque cooperitionem Calicis. Vide numerum praecedentem ad 4.

7. Ad verba *Et Verbum caro factum est* in fine ultimi Evangelii s. Joannis, stans oblique[5] versus cornu altaris.

8. In Missis coram ligno s. Crucis palam exposito, in accessu et recessu necnon in transitu ante medium altaris seu a cornu ad cornu, sicut ad incensationem in Missa solemni.[6] Et quum S. R. C. declaraverit, Reliquiis pretiosissimi Sanguinis et Instrumentorum Passionis Domini eamdem venerationem exhibendam esse ac sacro ligno Crucis;[7] patet, dictas genuflexiones faciendas esse etiam in Missis coram palam exposita Reliquia pretiosissimi Sanguinis vel alicujus Instrumenti Passionis Domini.

§ 3. De Genuflexione duplici in Missa.

201. Rarissimae in Missa privata sine expositione Sanctissimi occurrunt genuflexiones utroque

[4] *Rit. cel.* miss. III. n. 1.; *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 47. n. 2682. — [5] *S. R. C.* 30. Aug. 1892 dub. 5. n. 3792. — [6] *S. R. C.* 23. Maji 1835 ad 1. n. 2722. — [7] *S. R. C.* 22. Sept. 1827. n. 2660. te 17. Sept. 1897 n. 3966.

genu faciendae. Quum tamen aliquando id contingere possit, in sequentibus exponentur casus, in quibus Celebrans genuflexionem duplicem facere tenetur.

Regula: In omni genuflexione duplici, quam Celebrans facit ad altare i. e. in suppedaneo, manus disjunctas extendit super mensam altaris, dum genuflectit, infra pausam eas jungit ante pectus, dein iterum super altare extendit, dum surgit.

202. Genuflexio duplex facienda est a Celebrante:

1. Ratione Rubricae praecipientis. Rubrica hujusmodi invenitur in Missis cum Passione, vi cujus Celebrans utrumque genu versus librum flectere tenetur in fine Passionis post verba *Exspiravit* vel *Emisit spiritum* per totam pausam.

2. Ratione elevationis in altari vicino. Si in aliquo altari vicino ss. Sacramentum elevetur, antequam Celebrans Missam inceperit, dum ipse calicem accommodat vel Missam quaerit, actionem suam prosequatur; deinde descendat in planum et, si adhuc sit elevatio, in infimo gradu utrumque flectat genu usque ad finitam elevationem Calicis. Si vero signum crucis jam fecerit, ergo Missam jam inceperit, non debet advertere quemcunque in alio altari celebrantem, etiamsi hic Sacramentum elevet,[1] ideoque nec genuflectat nec sese inclinet. Quod dictum est de principio Missae, valet etiam in fine Missae. Celebrans genuflectat in infimo gradu, si, antequam incipiat preces post Missam praescriptas vel antequam discedat in sacristiam, elevatio contingat. Quae omnia tamen intelligenda sunt tantum, si elevatio fiat in vicino altari.[2]

3. Ratione ss. Sacramenti extrahendi vel reponendi ab alio Sacerdote. Si infra Missae celebrationem ad altare superveniat alius Sacerdos ad extrahendum e tabernaculo vel ibi reponendum ss. Sacramentum, tunc, si Celebrans Canonem nondum inceperit, stans in medio al-

[1] *Rit. cel.* miss. III. n. 4. — [2] *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 3. n. 4.; *Eph. lit.* 1891 pg. 126.

taris recedit ad alterutrum cornu, ibique utrumque flectit genu et caput inclinat; si sit in uno alterove cornu, genuflectit ibidem. Si eodem tempore Celebrans occupatus sit, e. g. in recitanda Oratione, *Gloria*, *Credo*, Epistola, Evangelio vel in offerendo pane aut vino etc., tunc praestat, lectionem vel actionem prius absolvere, deinde genuflectere. Si autem Celebrans Canonem jam inceperit, non genuflectit, sed tantum e medio recedit, nisi per Consecrationem, Communionem aliamve actionem impediatur.[3]

Sacerdos accedens ad altare, in quo tunc Missa celebratur, convenientius exspectabit ad aperiendum tabernaculum, donec Celebrans totaliter absolverit lectionem aut actionem, in qua dicenda vel facienda occupatus est; qua finita, accedet ad aperiendum tabernaculum. Reposito ss. Sacramento post distributam Communionem abstinebit a recitandis versiculis et Oratione necnon a danda benedictione, quia non convenit Celebrantem diutius interrumpere.

Caput XII.

De Orationibus et Commemorationibus in genere.

§ 1. Notio et Divisio.

203. Orationes in Missa dicuntur triplices: Orationes sic dictae Collectae[1] seu Orationes *κατ' ἐξοχήν*, quae dicuntur post *Gloria* resp. post *Kyrie* ante Epistolam; Orationes sic dictae Secretae, quae dicuntur post *Orate fratres* ante Praefationem; Orationes Postcommuniones, quae dicuntur post Antiphonam, quae inscribitur in missali Communio.

Orationibus adjunguntur Commemorationes seu precationes, quibus vel agitur memoria alicujus

[3] *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 35.

[1] Collecta, quod idem est ac collectio sicut Missa idem ac missio, sic dicitur vel quod ex divinis scripturis colligatur Oratio, vel quia dicitur super Collectam i. e. populum collectum, vel quia Sacerdos omnium preces in ea colligit. vel quia adstantes se debent colligere, ut orent. *Gavantus*, pars 1. tit. 9. Videsis etiam *Fornici*, pars 1. cap. 22.

Sancti vel Mysterii, de quo tunc non fit Missa (commemorationes proprie dictae), vel imploratur divinum auxilium in certis necessitatibus (commemorationes improprie dictae).

204. Commemorationes sunt triplicis generis, videlicet *a)* speciales, quae dicuntur tantum ratione Festi occurrentis; *b)* communes, quae pro certis temporibus secundo vel tertio loco dicendae assignantur per Rubricas generales missalis titulo IX., qui inscribitur *De Orationibus;*[2] *c)* votivae, quae dicuntur *α*) vel ex mandato Rubricae e. g. Commemoratio Sanctissimi, Oratio in anniversario creationis et coronationis Papae, vel electionis et consecrationis Episcopi dioecesani, *β*) vel ex mandato Superioris, sic dictae Orationes imperatae, *γ*) vel ex devotione Celebrantis. Recensitae sub *α*) et *β*) dicuntur votivae sensu latiori, sub *γ*) autem sensu strictiori. Ceterum vox Oratio promiscue adhibetur etiam ad significandas Commemorationes et vox Collecta ad significandas Orationes votivas, praesertim imperatas.[3] Commemorationes speciales et communes dicuntur Commemorationes de praecepto,[4] quia pertinent ad Officium diei et per se omitti nequeunt.

§ 2. De Numero et Ordine Orationum necnon de Modo eas recitandi.

205. — 1. Quia Missae nihil auctoritate privata adjicere licet, ideo Celebrans non potest nec ex devotione,[1] nec ex peculiari necessitate,[2] nec ad postulationem stipendium offerentis[3] Orationem aliquam, nisi in casibus a Rubricis permissis, addere. Casus a Rubricis permissi sunt: si fiat Missa *a)* de Festo simplici vel *b)* de Feria, *c)* si celebretur Missa vo-

[2] Quae sunt: De Spiritu Sancto, De Beata, *A cunctis, Ecclesiae* vel pro Papa, Ad libitum. — [3] *Bouvry*, Expos. Rub. vol. 2. pars 3. sect. 2. tit. 7. et 9. — [4] *S. R. C.* 18. Sept. 1877 ad 3. n. 3436.

[1] *S. R. C.* 12. Aug. 1854 ad 30. (Anal. Jur. Pontif. II. pg. 2193.) — [2] *S. R. C.* 23. Sept. 1837 n. 2771. et 11. Apr. 1840 n. 2804. — [3] *S. R. C.* 7. Sept. 1850 ad 3. n. 2981.

tiva privata vel *d)* de Requie quotidiana. Consule dicta infra sub 4. Ut liceat Missae praeter casus a Rubricis permissos, Orationem aliquam addere pro necessitate communi, requiritur saltem licentia Episcopi,[4] ita quidem, ut sine hac licentia nec Praelati regulares possint ordinare Collectam dicendam in Missa a subditis suis tam pro necessitate Ordinis quam pro necessitate communi.[5]

2. Generaliter loquendo, Missa etiam quoad Orationes et Commemorationes concordare debet cum Officio[6] i. e. breviario. Ergo Orationes et Commemorationes eaedem, eodem numero eodemque ordine in Missa fiunt ac in Officio factae sunt. Exceptiones ab hac regula semper adnotantur in Directorio dioecesano.[7]

3. Orationibus sic dictis Collectis correspondent quoad numerum Orationes Secretae et Orationes post Communionem. Ergo quot sunt Collectae, tot sunt Secretae et tot Postcommuniones, exceptis Feriis Quadragesimae, in quibus additur post Communionem *Oratio super populum* post omnes alias Orationes, etiam post imperatas.

4. Quo sublimioris ritus sunt Festa, eo pauciores Orationes admittunt. In Festis duplicibus dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio[8] specialis vel votiva, puta Oratio imperata vel de Sanctissimo. — In Festis semiduplicibus, Dominicis extra Octavas, diebus infra Octavas (exceptis diebus infra Octavas Paschae et Pentecostes

---

[4] *S. R. C.* 13. Febr. 1892 dub. 30. ad 16. n. 3767. — [5] *S. R. C.* 27. Martii 1779 ad 6. n. 2514. — [6] *Rub. gen.* miss. IV. n. 3. et VII. n. 1. — [7] Quae exceptiones sunt: *a)* Commemoratio Festi simplicis proprie dicti, licet facta fuerit in Officio, omittitur in Missa solemni et cantata Festi duplicis 2. classis. Econtra Commemoratio Festi duplicis aut semiduplicis, quod simplificatur, non omittitur. Quid sit simplificatio vide n. 32. *b)* In Dominica Palmarum et in Vigilia Pentecostes nulla fit Commemoratio in Missa, licet facta fuerit in Officio. *c)* Fit in Missa Commemoratio de Feria tertia et quarta Rogationum et de Vigiliis Adventus, Quadragesimae et Quatuor Temporum, etiamsi in Officio facta non sit. — [8] *Rub. gen.* miss. IX. n. 1.

in Missis de Octava) et in Vigiliis, quae jejunantur (exceptis Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes), tres[9] dici **debent** Orationes, quarum secunda et tertia, nisi adsint Commemorationes speciales, sumitur ex Commemorationibus communibus, sicut notatur in Rubricis generalibus missalis tit. IX. *De Orationibus.* Nec plures dici possunt quam tres Orationes, nisi plures faciendae sint Commemorationes speciales. — In Festis **simplicibus**, Feriis per annum, in Vigiliis, excepta Vigilia Nativitatis Domini et Pentecostes, necnon in Missis votivis privatis, regulariter dicuntur tres Orationes, ut in semiduplicibus, possunt tamen sed, non debent dici quinque, imo et septem Orationes.[10]

5. Numeri imparitas Orationum in simplicibus, Feriis et Missis votivis privatis, quae a Rubricis generalibus missalis tit. IX. n. 12. innuitur, non adeo stricte est sumenda, ut omni in casu necessario observari debeat; praescriptio enim numeri imparis spectat tantum ad Orationes, quas Celebrans pro suâ devotione superaddit (Orationes stricte votivas). Si ergo ob Commemorationes speciales vel communes, vel ob Orationes imperatas sint numero pares, Celebrans **non tenetur**[11] ad aliam Orationem addendam, ut numerus impar fiat, si vero addere velit aliquas Orationes pro sua devotione, adjungat eas **post** Orationes imperatas et observet numeri imparitatem, ita ut omnes Orationes simul sumptae efficiant numerum imparem,[12] quin tamen excedatur numerus septenarius.[13]

6. In numero Orationum non referuntur Orationes imperatae nec Oratio de Venerabili (Sacramento). Hae duae Orationes potius, quando sumi debent, superadduntur Orationum numero a Rubricis determinato et propter has nulla alia Oratio, nec tertia *ad libitum* omitti potest.[14]

[9] Ibid. n. 2–11. — [10] Ibid. IX. n. 12., 14. — [11] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 81. — [12] *Eph. lit.* 1889 pg. 560. — [13] *S. R. C.* 19. Jan. 1906 ad 1. Ord. Fratr. Minor. (*Eph. lit.* 1906 pg. 199.) — [14] *S. R. C.* 17. Aug. 1709 ad 2. n. 2198. et 16. Febr. 1737 ad 1. n. 2327.

7. Commemorationes speciales communibus praevalent, quapropter hae i. e. communes locum cedunt illis i. e. specialibus. Si ergo una Commemoratio specialis occurrat, Commemoratio communis, quae secundo loco dicenda esset, tertio loco dici debet, ut Commemoratio specialis secundo loco ponatur;[15] communis autem, quae tertio loco dicenda esset, omitti debet, si Missa tres tantum Orationes admittit, sicut in semiduplicibus. Si duae Commemorationes speciales occurrant, utraque Commemoratio communis omittitur, ut earum loco ponantur Commemoratione speciales. Si tres aut plures Commemorationes speciales assignentur, hae omnes dicuntur, omissis duobus communibus. Dicendum ergo: Commemorationes speciales semper dicuntur omnes, quotquot assignantur; Commemorationes communes vero omittuntur tot, quot per Commemorationes speciales excluduntur; imo omittuntur omnes, si per Commemorationes speciales jam expleatur numerus Orationum a Rubricis praescriptus.

8. In faciendis Commemorationibus servandus est debitus ordo. Primo loco semper dicitur Oratio principalis (substantialis seu Missae propria) i. e. Oratio de Sancto vel de Mysterio, de quo fit Missa; sequuntur, nisi occurrant Commemorationes a principali inseparabiles,[16] Commemorationes speciales juxta ordinem in Rubricis generalibus reformatis VII. n. 5. dispositae; dein Commemorationes communes (vide n. **204.**); denique votivae, in quibus servetur dignitas Orationum, uti eadem Rubrica reformata habet, juxta ordinem Litaniarum. Pro aliis Orationibus votivis eligendis ex parte missalis, quae inscribitur „*Orationes diversae*“, servetur ordo ibidem dispositus.

9. Si inter plures Orationes, sive Collectas sive Secretas sive Postcommuniones, una Oratio eadem

[15] *Rub. gen.* miss. IX. n. 16. — [16] E. g. S. Joseph in Desponsatione B. M. V., s. Petri in Conversione s. Pauli, s. Pauli in utraque Cathedra s. Petri etc., quae immediate subsequuntur Orationem principalem.

sit cum alia ibidem dicenda, non dicitur utraque, sed distinguendum est, utrum hae duae Orationes de vario sint objecto, an de eodem. Si sint de vario objecto i. e. de vario Mysterio vel Sancto, tunc illa Oratio, quae locum tenet Commemorationis, ergo ordine posterior, commutanda est cum alia de Communi vel Proprio, quae sit diversa.[17] Idem valet de Secretis et Postcommunionibus. Notandum vero, illam tantum Orationem mutari, quae eadem est, non autem aliam v. g. Secretam et Postcommunionem, si sint diversae, ac vicissim.[18] — Si autem Orationes sint de eodem objecto, licet posterior non plane iisdem verbis concepta, tunc illa, quae ordine posterior dicenda esset, omittitur, ne bis fiat de eodem. Si ergo imperata sit e. g. Oratio de Spiritu Sancto et haec ipsa dicenda sit in Missa secundo aut tertio loco, tunc imperata non est mutanda in illam ad postulandam gratiam Spiritus Sancti, quae invenitur in missali post Missam votivam de Spiritu Sancto, sed omittenda.[19]

10. In Orationibus patria et cognomina Sanctorum non sunt exprimenda.[20] Ideo non dicitur: Petrus Nolascus, Joannes Damascenus, Franciscus de Borgia, Margarita Scotiae, Pius Quintus, Joannes Gualberti, Joannes Eleemosynarius.[21]

---

[17] *S. R. C.* 7. Sept. ad 17. n. 2572. Si hujusmodi Oratio conveniens pro Commemoratione non habeatur, tunc illa Oratio, pro qua haberi potest diversa, licet sit principalis, ergo ordine prior, mutanda est. E. g. Si in Festo alicujus Pontificis et Confessoris occurrat Vigilia alicujus Apostoli, tunc Missa s. Pontificis *Statuit*, cujus Oratio eadem est cum Oratione Vigiliae, mutanda est in Missam *Sacerdotes* cum Oratione *Exaudi*, quia Oratio Vigiliae Apostoli mutari nequit. *S. R. C.* 5. Febr. 1895 ad 6. n. 3844. In concurrentia duorum Festorum Ecclesiae Doctorum, quorum eadem est Oratio *Deus qui populo tuo*, pro commemoratione eligenda est Oratio *Exaudi*. *S. R. C.* 25. Jun. 1909 ad 2. Atrebaten. *Eph. lit.* 1909 pg. 431. — [18] *Rub. gen.* miss. VII. n. 8. Quum Oratio, Secreta et Postcommunio tam in Missa *Dilexisti* quam in Missa *Vultum tuum* plane eaedem sint, itemque Secreta et Postcommunio in Missa *Cognovi*, in casu concurrentiae Commemoratio sumatur ex Missa *Loquebar* omittendo verba Martyrem significantia. *S. R. C.* 12. Sept. 1840 ad 1. n. 2822. — [19] *Herdt*, l. c. n. 70. ad 6. — [20] *S. R. C.* 5. Maji 1736 Reliq. Dub. ad 2. n. 2319. — [21] *S. R. C.* 25. Sept. 1852 ad 8. n. 3006. et 3. Jul. 1896 ad 8. n. 3924.

Excipiuntur Orationes s. Joannis Chrysostomi,[22] s. Petri Chrysologi,[23] s. Petri Coelestini[24] et s. Isidori Agricolae,[25] in quibus cognomina non sunt expungenda.

11. Orationes Collectae et Postcommuniones semper dicuntur clara voce in cornu Epistolae. Primae earum semper praemittitur salutatio *Dominus vobiscum* in medio altaris. Deinde acceditur ad cornu Epistolae et ante primam et secundam dicitur invitatio *Oremus,* nisi dicendae sint sub una conclusione, quo in casu invitatio ante secundam Orationem omittitur et ponitur ante tertiam, si adsit, deinceps autem non amplius repetitur in sequentibus Orationibus, nisi ante Orationem super populum in Feriis quadragesimalibus.[26]

12. Secretae absolute incipiuntur absque[27] praemisso *Dominus vobiscum* et sine *Oremus* et dicuntur semper in medio altaris voce secreta usque ad verba *Per omnia saecula saeculorum* ultimae conclusionis, quae verba dicuntur elata (clara) voce. Ad expeditius recitandas Secretas Celebrans stans in medio altaris potest se aliquantulum convertere ad librum,[28] quin moveatur e loco suo.

13. Omnes Orationes in Missa tum Collectae tum Secretae tum Postcommuniones, etiam Oratio super populum, dicuntur manibus extensis ante pectus. In Orationibus recitandis extra Missam autem manus nunquam extenduntur, nec etiam dum dicitur *Oremus,*[29] sed junguntur ante pectus.

Adnotatio. Oratio *Concede,* quae saepius per annum assignatur, non est ea, quae prima inter Orationes diversas in fine missalis invenitur, sed de Beata Maria Virgine et habetur post Dominicam in Albis et in tribus ultimis Missis votivis de Beata in fine missalis.

---

[22] *S. R. C.* 8. Mart. 1825 n. 2637. — [23] Ibid. — [24] Vide Orat. diei 19. Maji. — [25] *S. R. C.* 22. Sept. 1885 ad 1. n. 3642. — [26] *Rubr. miss.* fer. IV. Ciner. — [27] *Rit. cel.* miss. VII. n. 7. — [28] *Rit. cel.* miss. l. c. — [29] *Rub. miss.* in bened. cin. Fer. IV. Ciner.; *Bauldry,* pars. 3. cap. 4. n. 3.

Caput XIII.

De Orationum Conclusionibus.

206. In Missae sacrificio Orationes concluduntur semper conclusione longiori, quae tamen variatur secundum qualitatem Orationum. Orationes enim diriguntur vel ad Deum Patrem, a quo omne datum optimum et omne donum perfectum, vel ad Filium, mediatorem generis humani, vix aliquando ad Spiritum Sanctum,[1] cujus tantum mentio fit in nonnullis Orationibus. Unde certae regulae quoad conclusiones faciendas sunt observandae. Agemus primo de conclusionibus singularum Orationum, deinde plurium Orationum, demum Orationum extra Missam et divinum Officium. Quoad manuum junctiones in Orationum conclusionibus recole dicta n. **187.**

Regula generalis: Nulla est conclusio, etsi brevis, quae Domini Nostri Jesu Christi, cujus passione redempti sumus, nomine non absolvatur; sed non aequalis semper est modus.[2]

§ 1. De Conclusione singularum Orationum.

207. In Orationibus ad Deum Patrem:

1. Si dirigatur Oratio ad Deum Patrem et nulla fiat mentio Filii, concluditur: *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.* ℟. *Amen.* Secundum hanc regulam Oratio *Sancti Nominis tui etc.*, quae dicitur in Dominica infra Octavam Corporis Christi, concluditur verbis *Per Dominum nostrum,* ut supra, quia dirigitur ad Deum Patrem.[1]

---

[1] *Eph. lit.* 1888 pg. 71. et 1908 pg. 561. sq. — [2] *S. R. C.* Decret. auth. vol. IV. adn. super decr. n. 2602. Dub. 5.

[1] Iisdem verbis concluditur Postcommunio *Praesta nobis, aeterne Salvator etc.* in Missa votiva pro remissione peccatorum, quia dirigitur ad Deum Patrem, cui quoque pertinet salvationis opus. *Eph. lit.* 1903 pg. 274. n. 2.

2. Si in Oratione ad Deum Patrem mentio fiat Filii in principio aut medio Orationis sub nomine *Filii, Salvatoris, Redemptoris, Christi, Verbi, Unigeniti, Dei* cum addito *Genitricis Mariae,*[2] aut sub quocumque alio nomine expressivo secundae Trinitatis personae, etiam quoad sensum tantum,[3] semper concluditur: *Per* ***eumdem*** *Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit et regnat etc.*[4]

3. Si in fine Orationis ad Deum Patrem mentio fiat Filii, etiam quoad sensum tantum, sub nomine *Ejus* aut aliter, concluditur: *Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula etc.*

208. In Orationibus ad Filium:

Si Oratio dirigatur ad Filium, conclusio fit verbis: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.* ℟. *Amen.* Secundum hanc regulam Oratio praefata *Sancti Nominis tui etc.* quando dicitur post Litanias Ss. Nominis Jesu, non concluditur verbis *Per Dominum nostrum* (ut supra sub 1.), sed verbis *Qui vivis et regnas etc.*, quia hic loci non dirigitur ad Deum Patrem, sed ad Filium,[5] in cujus honorem Litaniae recitantur.

209. In Orationibus de Spiritu Sancto:

Si in Oratione fiat mentio Spiritus Sancti, qua tertiae Ss. Trinitatis personae, in conclusione dicitur: *in unitate* ***ejusdem*** *Spiritus Sancti etc.*[6]

Si vero vocabulum „*spiritus*“ non tertiam divinam personam, sed donum Spiritus Sancti, directi-

---

[2] E. g. in Oratione *A cunctis.* — [3] E. g. in Oratione Festi Exaltationis s. Crucis; *S. R. C.* decr. auth. vol. IV. adn. super decr. n. 2602. Dub. 5.; cf. *Eph. lit.* 1889 pg. 656. sq. — [4] Quapropter Oratio Festi pretiosiss. Sanguinis D. N. J. Chr. rectius in recentioribus breviariis concluditur verbis: *Per eumdem Dominum etc.* quam in antiquioribus per verba: *Qui tecum vivit etc.* Et sic decrevit *S. R. C.* 23. Sept. 1885 ad 2. n. 3642.; cf. *Eph. lit.* 1890 pg. 332. — [5] Et sic invenitur etiam in editionibus recentioribus Breviarii Pustet. Cf. *Eph. lit.* a. 1889 pg. 554. et cl. *Lehmkuhl* in *Linzer Quartalschrift* 1892 pg. 738. — [6] *Rub. gen. miss.* IX. n. 17.

onem animi vel simile quid significet, in conclusione Orationis omittitur „*ejusdem*“, sicut specialiter quoad Orationes *s. Juliani* (28. Januar.), *s. Fidelis a Sigmaringa* (24. Apr.), *s. Joannis Nepom.* (Postcommunio 16. Maji), *s. Bernardini* Sen. (20. Maji), *Hieronymi Aemil.* (20. Jul.), *Ioannae Franciscae* de Chantal (21. Aug.) et nonnullas alias Orationes definitum est.[7] Ut omne dubium tollatur, S. R. Congregatio tertiam augustissimae Trinitatis personam, in Orationibus per majusculam initialem *Spiritum* (non: *spiritum*) indicare consuevit,[8] e. g. in Oratione diei octavae *s. Laurentii* Martyris (17. Aug.), *s. Josaphat* Episcopi Martyris (14. Nov.).

Adnotatio. In Oratione S. Stephani Protomartyris necnon in Oratione et Postcommunione Vigilae S. Joannis Baptistae et in Postcommunione Festi ejusdem verba *Dominum nostrum Jesum Christum Filium Tuum* pertinent ad corpus, non ad conclusionem Orationis. Hinc manus junguntur non ad verba *Per Dominum*, sed ad verba *in unitate*, et, subsequente alia Oratione, praefata Oratio abrumpenda est non ante, sed post verba *Dominum N. J. Chr. Filium tuum*. Idem valet de Oratione B. M. V. *Deus qui salutis etc.*

§ 2. De Conclusione plurium Orationum.

210. — 1. Quando plures Orationes in Missa sunt dicendae, tunc regulariter prima tantum et ultima concluditur et post primam conclusionem ante Orationem sequentem dicitur *Oremus*, sicut n. **205.** ad 11. dictum est. Post primam conclusionem sequentes Orationes omnes, quotquot sunt, sub una clausula concluduntur, excepta Oratione super populum in Feriis quadragesimalibus, quae semper ultimo loco dicitur et propriam habet conclusionem.

2. Idem dicendum est de concludendis Secretis, quarum, si plures dicendae sint, prima (vel secunda,

[7] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 45. n. 2682. — [8] Cf. *Eph. lit.* 1889 pg. 658. sq.

si cum prima sub una clausula concludenda sit) secreta voce terminatur cum sua conclusione usque ad verbum *Amen* inclusive, quod verbum Celebrans sibi ipse respondet, deinde subjunguntur reliquae Secretae, quotquot sunt, sub unica conclusione usque ad verba *Per omnia saecula saeculorum,* quae verba clara voce dicuntur, sicut n. **205.** ad 12. dictum est.

3. Dictam conclusionem plurium Orationum sub una clausula quod attinet, valet regula: Conclusio semper talis est, qualem Oratio, cui adnectitur, requirit, nulla habita ratione praecedentium Orationum.[1] Ergo quando dicuntur plures Orationes sub unica conclusione et in prima vel secunda, non autem in ultima fit mentio Filii, non est concludendum verbis: *Per eumdem Dominum nostrum etc.*[2] Item non est dicendum in conclusione: *In unitate ejusdem Spiritus Sancti etc.*, quoties Spiritus Sancti mentio non fit in ultima Oratione, sed tantum in aliqua ex praecedentibus.[3]

211. Nonnunquam prima et secunda Oratio dicitur sub una conclusione. Quod fit praecipue in casibus sequentibus:

1. In Missis solemnibus et cantatis coram exposito ss. Sacramento i. e. ad altare expositionis in Festis primae et secundae classis Commemoratio Sanctissimi sub unica conclusione adjungitur Orationi principali Missae,[4] nisi alia Commemoratio facienda sit, cui in hoc casu sub distincta conclusione adjungitur.[5] Quod valet etiam de Missis hujusmodi celebrandis in Dominica Palmarum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes et in Missis votivis solemnibus. Vide caput sequens de Commemoratione Sanctissimi.

2. Diebus, quibus Missae votivae solemnes pro re gravi vetantur, videlicet in Festis du-

[1] *S. R. C.* 8. Apr. 1865 n. 3134. — [2] *S. R. C.* 23. Maji 1835 ad 2. n. 2724. — [3] *S. R. C.* ibid. ad 1. et 15. Sept. 1736 ad 6. n. 2326. — [4] *S. R. C.* 23. Jun. 1736 ad 1. n. 2323. et 16. Febr. 1737 ad 1. n. 2327. — [5] *S. R. C.* 3. Mart. 1761 ad 3. n. 2461. et 18. Dec. 1779 ad 1. n. 2515.

plicibus primae classis, in Dominicis primae classis, Feria quarta Cinerum, in hebdomada majori, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes. Si hisce diebus Missa ejusmodi celebranda foret, illa erit de Officio currenti, hujusque Orationi sub una conclusione adjungitur Oratio Missae votivae; deinde dicuntur aliae Orationes a Rubricis praescriptae sub distincta conclusione.[6]

3. Si praeciperetur Missa votiva solemnis pro re gravi occasione alicujus urgentis necessitatis, pro qua tamen nullum formulare speciale in missali notatur, sed adest tantum Collecta e. g. ad petendam pluviam, ad postulandam serenitatem, tempore famis, terraemotus etc., tunc dicenda est Missa „Pro quacunque necessitate", quae est inter Missas votivas pro diversis rebus in fine missalis, ejusque Collectae sub unica conclusione adjungenda est Collecta particularis necessitatis, quae urget.[7]

4. Si imperata sit Oratio pro re gravi seu singulari ex causa (quod ab Ordinario exprimi solet), dicenda est in duplici primae classis sub unica conclusione cum Oratione Missae, nisi aliae Commemorationes occurrant, in duplicibus secundae classis et diebus inferioris ritus autem sub sua conclusione vel cum reliquis Commemorationibus, si sint faciendae.[8]

5. Diebus anniversariis creationis et coronationis Summi Pontificis necnon electionis et consecrationis Episcopi in duplicibus secundae classis (in duplicibus primae classis enim omittitur) adjungitur Oratio *Deus omnium fidelium* Orationi Missae sub unica conclusione,[9] nisi alia Oratio sub distincta conclusione recitanda sit, cui tunc adnectitur.

6. In Missa ordinationis dicenda est Oratio pro ordinandis sub una conclusione cum Oratione

---

[6] *S. R. C.* 27. Mart. 1773 ad 4. n. 2494. et 30. Jun. 1896 § II. ad 2. n. 3922. — [7] *S. R. C.* 23. Febr. 1884 Dub. 4. n. 3605. et decr. cit. n. 3922. § II. ad 3. — [8] *S. R. C.* 8. Jul. 1869 ad 8. n. 3211. et 7. Aug. 1875 ad 3. n. 3365. — [9] *S. R. C.* 12. Sept. 1840 ad 3. n. 2823. et 27. Apr. 1894 ad 4. n. 3824.

Missae diei,[10] deinde sequuntur Commemorationes, si quae sint faciendae.[11] Quod servandum est etiam in consecratione Episcopi.

7. In Missis votivis tam solemnibus quam privatis pro gratiarum actione, sive sint de Ss. Trinitate sive de Spiritu Sancto sive de B. Maria Virgine, adjungitur Orationi Missae sub una conclusione Oratio pro gratiarum actione *Deus cujus misericordiae*,[12] quae invenitur post Missam votivam ss. Trinitatis.

8. Si in Festo s. Marci vel in tribus Feriis Rogationum fiat processio ad ecclesiam, in qua festum Titularis vel Patroni occurrit, sive sit s. Marcus sive alius Sanctus, Missa processionis (post processionem) celebranda est de Titulari seu Patrono et in eadem facienda commemoratio Rogationum cum Oratione diei sub unica conclusione.[13]

9. Si consecratio alicujus ecclesiae (non altaris tantum) fiat in Festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes cum duobus sequentibus diebus utrimque, Ascensionis et Ss. Corporis Christi, in Dominicis majoribus primae classis, in Feriis privilegiatis, non potest, uti praescribit Pontificale Romanum, post ritum consecrationis celebrari Missa solemnis de Dedicatione, sed de die occurrente, et tunc Orationi principali Missae ad-

---

[10] Rub. in fin. missal. et in Pontif. Rom. pars. I. De ordin. conferend. — [11] *S. R. C.* 26. Jan. 1658 ad 3. et 4. n. 1049. et 2. Jun. 1883 ad 9. n. 3576. — [12] Rub. spec. post Miss. de Ss. Trinitate. Sententia nonnullorum auctorum, hanc Rubricam intelligendam esse de Missis votivis solemnibus tantum, non autem de privatis, non potest sustineri: *a)* quia Rubrica hanc distinctionem non facit, et ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; *b)* quia convenit, ut Oratio, per quam Missae scopus (in casu gratiarum actio) significatur, tamquam Oratio principalis semper primo loco ponatur, cumque hoc in casu fieri nequeat, quia specialis Missa pro gratiarum actione non datur, ideo praefata Oratio pro gratiarum actione cum Oratione Missae per unicam conclusionem quasi in unam conflatur, ut saltem tamquam prima appareat. Quo tamen non impeditur, quominus in Missis votivis privatis etiam aliae Orationes addantur. — [13] *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 1. et 3. n. 2942.

jungitur Commemoratio Dedicationis sub unica conclusione.[14]

10. Si vero peracto ritu consecrationis ecclesiae Missa Dedicationis celebranda sit in ecclesia, ubi non viget obligatio chori, tunc in Festis ss. Cordis Jesu, Circumcisionis Domini, Annuntiationis, Assumptionis et Immaculatae Conceptionis B. M. V., Nativitatis s. Joannis Bapt., s. Joseph, ss. Apostolorum Petri et Pauli ac Omnium Sanctorum, diebus infra Octavam Epiphaniae, a Feria quarta usque ad sequens Sabbatum utrimque inclusive Octavae Paschatis et Pentecostes, ac in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, Missa celebratur de Dedicatione, sed ejus Orationi adjungitur sub unica conclusione Oratio Festi aut Officii occurrentis.[15]

11. Tempore Orationis Quadraginta Horarum, si Missa pro solemni expositione vel repositione occurrat celebranda in Dominicis privilegiatis 1. et 2. classis, Festis pariter 1. et 2. classis, Feriis privilegiatis, infra Octavas Paschae, Pentecostes et Epiphaniae, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes necnon Octava propria privilegiata, canenda est Missa (non votiva de Ss. Sacramento, ut alias, sed) diei currentis cum Oratione Ss. Sacramenti sub unica conclusione, omissis Collectis et Commemorationibus. Missae *Pro Pace* (die secunda celebrandae) adjungitur Oratio Sanctissimi sub unica conclusione, praeterquam diebus exceptis ut supra, in quibus Missa canenda est diei currentis cum Oratione *Pro Pace* sub unica conclusione.[16]

12. Quando in die Adorationis perpetuae Missa votiva privilegiata de ss. Sacramento ex speciali privilegio alicubi concessa cantari non potest, Orationi principali Missae de die impedienti sub una conclusione adjungitur Oratio de Sanctissimo.

[14] *S. R. C.* 23. Febr. 1884 Dub. III. ad 3. n. 3605. — [15] *Eph. lit.* 1887 pg. 542. sq.; *Stappen*, Sacr. Liturg. tom. II. Q. 298. — [16] *Instruct. Clement.* § 12. et *S. R. C.* 18. Maji 1883 ad V. n. 3574. Infra Octavam Corporis Christi Missa erit de Octava cum Sequentia et unica Oratione absque ullis Commemorationibus et Collectis. Ibid.

§ 3. De Conclusionibus Orationum extra Missam et Officium.

212. In his Orationibus adhibetur conclusio brevis,[1] nisi aliter notetur. Conclusio brevis in Orationibus ad Deum Patrem, si nulla fiat mentio Filii, est: *Per Christum Dominum nostrum;* si autem fiat mentio Filii: *Per eumdem Christum Dominum nostrum.* In Orationibus ad Filium conclusio brevis est: *Qui vivis et regnas per omnia saecula saeculorum* vel . . *in saecula saeculorum.*

213. Fieri potest, ut eadem Oratio habeat modo breviorem modo longiorem conclusionem, prout in lege dispositum est. Sic e. g. Oratio de ss. Sacramento *Deus qui nobis sub Sacramento* post administrationem ss. Communionis vel Viatici dicenda, concluditur longiori, post Litanias ante benedictionem cum Sanctissimo autem breviori conclusione[2] et quidem per verba: *Qui vivis et regnas* **in** *saecula saeculorum,* non: . . **per** *omnia saecula saeculorum.*[3]

Caput XIV.

De Orationibus et Commemorationibus in specie.

§ 1. Commemoratio Sanctissimi.

214. Ad faciendam Commemorationem ss. Sacramenti sumitur Oratio vel ex Missa Festi ss. Corporis Christi vel ex Missa votiva de ss. Eucharistiae Sacramento in fine missalis.

Regulae generales:

1. Commemoratio Sanctissimi nunquam fit durante expositione ex causa privata, sed tantum tempore expositionis ex causa publica vel pro Oratione Quadraginta Horarum,[1] sive expositio fiat cum ostensorio sive cum pyxide velata.

[1] *S. R. C.* 8. Apr. 1865 n. 3134. — [2] *S. R. C.* 11. Jun. 1880 ad 2. n. 3515. — [3] *S. R. C.* 10. Sept. 1718 n. 2252. et 29. Mart. 1851 ad 6. n. 2986.

[1] Oratio Quadraginta Horarum est adoratio ss. Eucharistiae solemnissime expositae per quadraginta horas sine intermissione diu noctuque continuata, a Clemente VIII. per consti-

2. Commemoratio Sanctissimi in Missis privatis stricte talibus nunquam necessario fieri debet, nisi tempore expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum in locis, ubi Instructio Clementina est praescripta.

3. Commemoratio Sanctissimi in Festis primae et secundae classis nunquam licite fieri potest, nisi in Missis solemnibus et cantatis ad altare expositionis.

215. Commemoratio Sanctissimi fieri **debet.**

1. Extra tempus expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: *a)* In Missis solemnibus[2] et cantatis[3] coram ss. Sacramento publice exposito celebratis in altari expositionis, etiam in Festis duplicibus primae et secundae classis iisque omnibus diebus, qui habent privilegium unius Orationes, quibus ergo excluduntur Commemorationes.[4] Vide infra n. **218.** ad 3. *b)* In Missis solemnibus et privatis loco solemnium, in quibus consecratur hostia immediate publice in ostensorio exponenda, etiamsi nulla sequatur processio.[5]

2. Tempore expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: *a)* In Missis solemnibus et cantatis in altari expositionis ut supra ad *a.* Recole etiam n. **211.** ad 11. *b)* In Missis solemnibus non in altari

---

tutionem die 25. Nov. 1502 in memoriam quadraginta horarum, quibus Salvator post mortem in sepulchro delituit, Romae invecta ad divinas misericordias implorandas. Haec Oratio initio locum habuit hodieque habet in Urbe toto anni tempore in singulis ecclesiis destinatis incipiendo a palatii apostolici sacello, paulatim in aliis dioecesibus et ecclesiis invecta fuit. Anno 1705 jussu Clementis XI. Instructio edita est, in qua modus et ordo in hac Oratione servandus traditur, *Instructio Clementina* ideo dicta. In hanc Instructionem cl. Gardellini praeclarum edidit commentarium, item novissimis temporibus cl. Menghini in opere *Liturgia Eucharistica*. Ex rescripto *S. R. C.* 12. Jul. 1749 n. 2403. dicta Instructio extra Urbem non obligat, laudandi tamen, qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statutum sit. — [2] *S. R. C.* 16. Febr. 1737 ad 1. n. 2327. — [3] *S. R. C.* 3. Mart. 1761 ad 3. n. 2461. — [4] *S. R. C.* 7. Aug. 1880 n. 3517. — [5] *S. R. C.* 15. Maji 1819 ad 2. n. 2598; *Eph. lit.* 1894 pg. 620. ad IV.

expositionis, sed in alio altari celebratis, dummodo non sit Festum duplex primae vel secundae classis, sed ritus inferioris.[6] *c)* In Missis privatis tam ad altare expositionis quam ad alia altaria in locis, ubi Instructio Clementina est recepta et praescripta,[7] exceptis diebus infra sub numero **217.** ad 2. recensitis,[8] in quibus haec Commemoratio fieri prohibetur. Consule etiam numerum sequentem ad 2.

216. Commemoratio Sanctissimi fieri **potest.**

1. Extra tempus expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: *a)* In Missis privatis coram Sanctissimo exposito tam ad altare expositionis quam ad alia altaria,[9] dummodo expositio fiat ex causa publica, diebus tamen infra sub numero **217.** ad 1. exceptis. *b)* In Missis solemnibus et cantatis tempore expositionis publicae celebratis non ad altare expositionis, sed ad aliud altare,[10] diebus infra sub numero **217.** ad 1. exceptis.

2. Tempore expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: In Missis privatis sive ad altare expositionis sive ad alia altaria celebratis in locis, ubi Instructio Clementina non est praescripta,[11] quia pro his locis valet decretum Sacrorum Rituum Congregationis die 2. Dec. 1684 ad 4. n. 1743 statuens, Commemorationem de ss. Sacramento posse fieri in Missis privatis tempore expositionis occasione Quadraginta Horarum, exceptis Festis primae et secundae classis. Ubi enim Instructio Clementina praescripta est, ibi in Missis hujusmodi sumi debet haec Commemoratio, dicente Instructione § 17.: „In aliis Missis privatis (praeter votivas de sanctissimo Sacramento) currentis diei post Orationes a Rubrica praescriptas, addatur Oratio sanctissimi Sacramenti, ita mandante Sua Sanctitate."

---

[6] *Instruct. Clement.* §§ 12. et 14.; *Hartmann*, Rep. Rit. § 98.; *Eph. lit.* 1900 pg. 303. ad XVI. — [7] *Instruct. Clement.* § 17. — [8] *Gardellini*, Comment. § 17. n. 21. 24. — [9] *S. R. C.* 7. Maji 1746 ad 4. et 5. n. 2390. — [10] *Menghini*, Liturg. Euchar. pg. 84. — [11] *Gardellini*, l. c. n. 21.

217. Commemoratio Sanctissimi fieri **nec potest nec debet.**

1. Extra tempus expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: *a)* In Missis privatis tam ad altare expositionis quam ad alia altaria tempore expositionis celebratis in Festis (non in Dominicis) primae et secundae classis, in Dominica Palmarum, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.[12] *b)* Etiam in Missis solemnibus aut cantatis non ad altare expositionis celebratis[13] in Festis et diebus ut supra ad *a*. *c)* In Missis quibuscunque celebratis durante expositione ex causa privata, sive fiat expositio in pyxide sive in (velato) ostensorio.[14] *d)* Ob identitatem Mysterii in Missis tam festivis quam votivis ss. Cordis Jesu,[15] pretiosissimi Sanguinis,[16] Passionis, Crucis, Ss. Redemptoris[17] et Instrumentorum Passionis Domini,[18] nempe Spineae Coronae, Lanceae et Clavorum, s. Sindonis, Quinque Vulnerum.

2. Tempore expositionis pro Oratione Quadraginta Horarum: *a)* In Missis privatis tam ad altare expositionis quam ad alia altaria in Festis (non in Dominicis) primae et secundae classis, in Dominica Palmarum, in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes.[19] *b)* In Missis solemnibus et cantatis praefatis diebus celebratis non ad altare expositionis.[20] *c)* In Missis de Requie, quae in Commemoratione omnium Fidelium propter Orationem Quadraginta Horarum celebrantur in colore violaceo.[21] *d)* Ut supra ad *d*.

---

[12] *S. R. C.* 2. Sept. 1741 ad 1. n. 2365 et 7. Aug. 1880 n. 3517.; *Gardellini*, l. c. n. 23. 24. — [13] *Hartmann*, l. c. — [14] *S. R. C.* 20. Nov. 1903 ad 7. Ordin. Minor. (*Eph. lit.* 1903 pg. 710.); *Gardellini*, l. c. n. 33. — [15] *S. R. C.* 6. Sept. 1834 n. 2717. — [16] *S. R. C.* 18. Jul. 1884 ad 1. n. 3613. — [17] *S. R. C.* 3. Jul. 1896 ad 4. n. 3924. — [18] Ratio est, quia etiam hae Missae versantur in eodem Mysterio (*S. R. C.* 7. Julii 1877 ad 1. n. 3426.) scil. Passionis Domini, cujus expressa mentio fit etiam in Oratione de Sanctissimo. Confirmatur hoc per aliud decretum *S. R. C.* die 18. Jul. 1884 ad 2. n. 3612., quo vetatur in Vesperis Festorum horum fieri commemorationem ss. Eucharistiae Sacramenti, si de eo recitatum fuerit Officium votivum Feria praecedenti. — [19] *S. R. C.* 2. Dec. 1684 ad 4. n. 1743; *Gardellini*, l. c. n. 24. — [20] *Hartmann*, l. c. — [21] Ibid.

218. Quomodo et quo loco facienda est Commemoratio Sanctissimi?

1. Commemoratio Sanctissimi semper facienda est post omnes Commemorationes de praecepto[22] i. e. speciales et communes, sed ante votivas, licet digniores, ergo tum ante imperatas, etiam de Spiritu Sancto,[23] tum ante votivas, quas Celebrans pro lubitu diebus simplicibus et ferialibus et in Missis votivis privatis adjungit.

2. Propter hanc Commemorationem nulla alia Oratio omittenda est, nec tertia ad libitum. Ratio est, quia facienda et post omnes Orationes de praecepto, quibus ergo superaddenda tamquam addititia.

3. In Missis solemnibus et cantatis ad altare expositionis celebratis in Festis[24] primae et secundae classis,[25] necnon diebus, qui habent privilegium unius Orationis, nempe Dominica Palmarum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, et in Missis votivis solemnibus pro re gravi,[26] haec Commemoratio facienda est sub unica conclusione cum Oratione Festi vel diei, nisi alia Oratio sub distincta conclusione occurrat, cui in hoc casu adjungitur sub altera conclusione.[27] Quotiescunque ergo Festa praefata occurrunt in aliqua Dominica, Commemoratio sanctissimi Sacramenti adjungenda est Orationi Dominicae.[28] Quoad Missas tempore Orationis Quadraginta Horarum relege n. **211.** ad 11.

4. In Festis ritus inferioris i. e. in duplicibus majoribus et minoribus, semiduplicibus etc., haec Commemoratio tam in Missis solemnibus et cantatis quam in Missis privatis sub distincta conclusione apponenda est, etiam tunc, quando nulla adest Commemoratio praeter Orationem Missae.

[22] *S. R. C.* 16. Febr. 1737 ad 1. n. 2327. et 23. Jun. 1736 ad 1. n. 2323. — [23] *S. R. C.* 18. Mart. 1874 ad 2. n. 3328. — [24] Non autem in Dominicis primae et secundae classis, quae plures admittunt Orationes. *Gardellini*, l. c. n. 23. — [25] *S. R. C.* 23. Jun. 1736 ad 1. n. 2323. et 16. Febr. 1737 ad 1. n. 2327. — [26] *S. R. C.* 7. Aug. 1880 n. 3517. [27] *S. R. C.* 3. Mart. 1761 ad 3. n. 2461. et 18. Dec. 1779 ad 1. n. 2515. et 7. Aug. 1875 ad 5. n. 3365. — [28] *S. R. C.* 3. Mart. 1761 ad 3. n. 2461.

§ 2. Oratio A cunctis.

219. — 1. Ita haec Oratio nominatur, quia his verbis incipit, vel quia in ea Deus exoratur, ut a cunctis nos mentis et corporis defendat periculis (Collecta), a cunctis nos mentis et corporis hostibus tueatur (Secreta) necnon a cunctis nos reddat et perversitatibus expiatos et adversitatibus expeditos (Postcommunio); estque in fine missalis inter Orationes diversas secunda. Quando in Missa dicenda sit et quo loco ponenda, secundo vel tertio, definitur a Rub. gen. miss. tit. IX. *De Orationibus*, et semper notatur in Directorio dioecesano.

2. In hac Oratione sicut in Postcommunione *Muniat* ad litteram N. nominandus est Sanctus Titularis seu Patronus ecclesiae[1] vel oratorii sive publici sive semipublici,[2] si tamen respectiva ecclesia et oratoria sint saltem solemniter benedicta.[3] Si celebretur in oratoriis Titulo carentibus, e. g. in oratoriis privatis, utpote quae nec consecrari nec solemniter benedici possunt[4] ideoque Titulum proprie dictum non habent, vel in ecclesiis et in oratoriis dedicatis alicui Mysterio, e. g. Ss. Trinitati, Spiritui Sancto, S. Cruci, nominandus est Patronus civitatis vel loci,[5] si vigeat consuetudo faciendi ejus commemorationem in Officio,[6] qua consuetudine defi-

---

[1] *S. R. C.* 22. Jan. 1678 ad 8. n. 1609. et 23. Sept. 1837 ad VII. q. 1. n. 2769. — [2] *S. R. C.* 14. Mart. 1903 (*Eph. lit.* 1903 pg. 194.). — [3] *S. R. C.* 28. Nov. 1891 ad 1. n. 3752. — [4] *S. R. C.* 5. Jun. 1899 ad 6. n. 4025. — [5] *S. R. C.* 12. Sept. 1840 ad 1. n. 2814. Titularis (Titulus) ecclesiae ille Sanctus dicitur, sub cujus nomine sive titulo fundata est ecclesia et a quo appellatur; Patronus autem loci proprie is est, quem certa civitas, dioecesis, provincia, regnum etc. sibi delegit velut singularem apud Deum Patronum. (*S. R. C.* 9. Maj. 1857 n. 3048.) Unde sequitur, Patronum loci latius extendi quam Patronum ecclesiae, quum hic ad unam tantum ecclesiam spectet, ille vero, ratione totius loci, ad plures. Praeterea Patronus ecclesiae ipsam ecclesiam denominat, quod de Patrono loci dici non potest, licet aliqua loca a suo Patrono nuncupentur. Videsis *Eph. lit.* 1904 pg. 115. sq. — [6] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 9. (*Eph. lit.* 1907 pg. 69. sq.) Deficiente Patrono civitatis vel loci nominandus est Patronus dioeceseos. *S. R. C.* 2. Dec. 1891 ad 1. n. 3754.; *Eph. lit.* 1899 pg. 257.

ciente nullus alius Sanctus nominatur et omittuntur verba *atque beato*. In dubio, an talis consuetudo exsistat, nominatio Patroni omittenda est. Si communitas (seminarium, nosocomium etc.) in suis aedibus praeter ecclesiam habeat quoque oratorium mere privatum, in Missis celebrandis in hujusmodi oratorio ad litteram N. hujus Orationis exprimendum est nomen Sancti Titularis ecclesiae ejusdem communitatis, loco nominis s. Patroni loci.[7] Si Patronus ecclesiae sit ex Sanctis in hac Oratione nominatis (Ss. Maria, Joseph, Petrus et Paulus), ejus nominatio ad N. omittitur. Si alicubi plures sint Patroni aeque principales,[8] omnes sunt nominandi, secus dumtaxat principalior, servato ordine debito, ut infra dicetur.[9]

3. Regulares in hac Oratione nominare possunt proprium Fundatorem, dummodo Titularis nomen (si nominari queat) non omittant, servato tamen ordine dignitatis in Rubricis praescripto,[10] et si ejusdem sint ordinis, nomen Titularis praeponatur nomini Fundatoris.[11] Quo jure suo uti possunt Sacerdotes regulares Missam p r i v a t a m celebrantes in ecclesiis et oratoriis (ut supra) tam proprii quam alieni Ordinis necnon in ecclesiis et oratoriis saecularibus; Sacerdotes saeculares vero Missam p r i v a t a m celebrantes in ecclesiis vel oratoriis publicis Regularium exprimere nequeunt nomen Fundatoris respectivi Ordinis, quia juxta Decretum de Missa in aliena ecclesia[12] se conformare quidem tenentur Officio hujus ecclesiae, exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis. Econtra Sacerdotes, sive saeculares sive regulares, celebrantes Missam s o l e m n e m vel c a n t a t a m, vel

[7] *S. R. C.* 16. Jun. 1893 ad 8. n. 3804. — [8] E. g. Ss. Cosmae et Damiani, Fabiani et Sebastiani, Primi et Feliciani. — [9] Aliquando conceditur, ut in ecclesiis, quae Sanctum Patronum vel Titularem habent, nominari valeant (non debeant) Patroni regni, etsi plures sint, e. g. in Bohemia Cyrillus, Methodius, Vitus, Wenceslaus, Adalbertus, Joannes Nepomucenus, Procopius, Ludmilla, qui omnes sunt Patroni regni aeque principales. *S. R. C.* 2. Maji 1900 ad 3. Pragen. (*Eph. lit.* 1900 pg. 527. sq.) — [10] *S. R. C.* 2. Dec. 1891 n. 3758. — [11] *S. R. C.* 17. Jul. 1900 ad 3. Lauden. (*Eph. lit.* 1900 pg. 537. sq.) — [12] *S. R. C.* 9. Dec. 1895 n. 3862.

etiam parochialem aut conventualem, quae, licet lectae, solemnibus aequiparantur, conformare sese omni in casu debent Clero ecclesiae, in qua celebrant, quia fictione juris fiunt de gremio hujus ecclesiae.[13]

4. Si Missa celebretur de Sancto, vel si tantum Commemoratio fiat Sancti, cujus nomen occurrit in Oratione *A cunctis*, tunc in hac Oratione, si esset dicenda, omittitur nomen illius Sancti vel dicitur Oratio *Concede*, quae est prima inter diversas.[14] Sed in Missis votivis sancti Joseph Orationi *A cunctis* tertio loco dicendae non est substituenda Oratio *Concede*, sed recitanda Oratio *A cunctis* omisso nomine sancti Joseph;[15] et in Missis votivis ss. apostolorum Petri et Pauli loco Orationis *A cunctis* necessario sumitur Oratio *Concede nos* de S. Maria ex dispositione Rub. gen. miss. IX. n. 15. Ratio utriusque est, ne bis fiat de eodem.[16] Si in casu ejusmodi omittenda esset nominatio B. M. V., dicitur in Oratione: *intercedente beato Joseph cum beatis Apostolis etc.*[17] Si esset imperata aliqua Collecta de B. M. V. (e. g. de ejus Conceptione immaculata), non ideo omittenda est mentio Deiparae in Oratione *A cunctis*, sed praetermittitur sequens Oratio imperata, quia juxta Rubricas et Decreta varianda vel omittenda est Oratio ordine posterior.[18]

5. Ordo in nominandis Sanctis est ordo Litaniarum.[19] Adeoque nomina ss. Angelorum et Joannis

---

[13] Sequitur hoc ex Decretis *S. R. C.* 13. Febr. 1892 ad 3. n. 3768. et 5. Aug. 1898 ad 8. 9. n. 3999. (circa usum linguae slavicae) necnon 10. Jan. 1902 ad 2. Ord. Minor. Capucc. in *Eph. lit.* 1902 pg. 5. (circa sequendum ritum Ambrosianum) quibus decretis jubentur Sacerdotes in Missis cum cantu tam quoad linguam quam quoad ritum sese conformare Clero ecclesiae, ubi celebrant; ergo etiam, ita concludimus, quoad nomina exprimenda in casu. Cf. *Eph. lit.* 1901 pg. 513. ad X. et 1903 pg. 184. et 1905 pg. 353. — [14] *S. R. C.* 15. Maji 1819 ad 3. n. 2597. — [15] Rub. spec. in Miss. vot. S. Joseph; *S. R. C.* 1. Jun. 1876 ad dub. III. n. 3400. — [16] *Gavantus*, pars. I. tit. IX. n. 15. ad *h.* — [17] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 84. ad 5. — [18] *Rub. gen.* miss. VII. n. 8. *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 17. n. 2572. et 5. Maj. 1870 ad 1. n. 3213. Cf. *Eph. lit.* 1904 pg. 120. et 1905 pg. 554. ad 2. — [19] *S. R. C.* 2. Maj. 1900 ad 2. Pragen. (*Eph. lit.* 1900 pg. 527. sq.)

Baptistae praeponenda sunt sancto Joseph et apostolis, et Oratio recitanda est hoc modo: *Intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Angelis (cum beato Michaele, Gabriele etc.), cum beato Joanne Baptista, beato Joseph, atque beatis apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis.* Et proinde si ss. Angelis, Joanni Baptistae aut sancto Joseph alius Sanctus tanquam Patronus aeque principalis adjungatur, illorum nominatio modo praedicto fit ante apostolos, hujus autem more solito post apostolos.[20] Ideo si aeque principales Patroni ecclesiae sint, v. g. sanctus Michael et sancta Lucia, dicendum esset: *Intercedente beata etc. Maria cum beato Michaele Archangelo, beato Joseph, beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque beata Lucia et omnibus Sanctis.* Si vero hi Patroni aeque principales omnes nominandi sint post apostolos, dicitur: *Beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque beatis N. et N. et omnibus Sanctis.*

6. Notamus, non esse caput inclinandum ad nomina Sanctorum in hac Oratione occurrentium, quia haec Oratio nullam habet relationem ad Officium, esse autem caput inclinandum ad nomen Mariae, quia ad nomen Deiparae semper fit inclinatio, ubicunque occurrit, licet de ea nec Missa nec specialis Commemoratio fiat.[21]

§ 3. Oratio ad libitum.

220. Oratio ad libitum sic dicitur, non ideo, quod pro lubitu dici vel omitti possit, vel quod quamlibet juxta proprium ingenium conceptam Orationem dicere liceat, sed quia pro devotione Celebrantis una vel altera ex missali eligi potest. Haec Oratio pertinet ad Orationes de praecepto (de quibus supra n. **204.**), ideoque semper dici et nunquam omitti debet, nisi Commemoratio specialis occurrat, quod semper notatur in Directorio. Dicitur tantum in Festis semi-

[20] *Herdt*, l. c. ad 6. — [21] *Gavantus*, pars II. tit. V. n. 2. ad c; *Merati*, tom. I. pars 2. tit. 5. n. 11.; *Bauldry*, pars 3. cap. 5. n. 2.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 126.

duplicibus occurrentibus ab Octava Pentecostes usque ad Adventum et a Purificatione usque ad Quadragesimam et ponitur semper tertio loco, nunquam secundo aut quarto.[1]

Docent auctores, in Orationibus ad libitum voces *annua* et *hodie* esse omittendas, voces vero *natalitia, festivitas, solemnitas* esse mutandas in voces *commemoratio* vel *memoria*.[2] Docent pariter, ad nomina Sanctorum, de quibus recitatur Oratio ad libitum, non esse caput inclinandum,[3] quia haec Oratio nullam habet relationem ad Officium diei. Recole n. **197.** ad 1.

221. Unde sumenda est Oratio ad libitum?

Eligi potest non tantum ex „Orationibus diversis", quae in fine missalis assignantur, sed etiam ex aliis Missis, quae tamquam votivae legi possunt et de Sanctis canonizatis in Martyrologio Romano descriptis.[4] Non potest esse Oratio ad libitum: *a)* Oratio de aliquo Beato, quia de his nec Missa votiva legi potest; *b)* neque Oratio de Sancto, cujus in praecedentibus Orationibus expressa facta est mentio,[5] ne bis fiat de eodem; *c)* neque Oratio imperata,[6] quia ad hanc recitandam Celebrans jam ex mandato Superioris tenetur; *d)* neque convenienter dicitur Oratio pro seipso (scil. Celebrante) in Missis coram Praelato aut Principe,[7] neque in Missa parochiali; in quibus Missis praestaret, orare pro Praelato (Episcopo) vel Principe praesente,[8] vel pro omni gradu Ecclesiae, quae Oratio est inter diversas tertia. In Missis conventualibus et cantatis autem electio hujus Orationis non pertinet ad Celebrantem, sed ad Praefectum Capituli aut Superiorem Communitatis.[9]

---

[1] *Rub. gen.* miss. IX. n. 2. — [2] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 83. — [3] Ibid. n. 126. nota. — [4] *S. R. C.* 2. Sept. 1741 ad 2. n. 2365. — [5] Unde non potest dici uti Oratio ad libitum Oratio quaedam in honorem B. M. V., s. Joseph, ss. apostolorum Petri et Pauli etc., si prius dicta sit Oratio *A cunctis*, in qua mentio facta erat horum Sanctorum. — [6] *S. R. C.* 3. Jul. 1896 ad 1. n. 3924. — [7] *Bauldry*, pars 3. cap. 7. tit. 9. n. 2. — [8] *Gavantus*, pars 4. tit. 17. n. 30. — [9] *S. R. C.* 12. Maj. 1905 ad 9.; *Eph. lit.* 1906 pg. 196. et 199.

§ 4. Oratio imperata.

222. Oratio imperata ea dicitur, quae non vi Rubricarum, sed ex particulari Summi Pontificis vel, ut plerumque fieri solet, Episcopi ordinarii praecepto pro publica indigentia ultra consuetas Missae Orationes per aliquod tempus recitanda est. Summus Pontifex Orationem imperare valet in tota Ecclesia, Episcopus in sua dioecesi, qui tamen Vicariis suis foraneis, parochis, hanc ipsam facultatem delegare potest, ut locorum necessitatibus provideant, puta ad petendam pluviam, serenitatem etc. Praelati regulares, etiam locales, sine licentia Episcopi dioecesani Orationem suis subditis ordinare non possunt, neque pro necessitatibus Ordinis neque pro necessitate communi.[1]

Regulae generales:

1. Ad Orationem imperatam recitandam tenentur omnes Sacerdotes tum saeculares tum regulares in dioecesi, celebrantes in ecclesiis sive saecularium sive regularium etiam in exemptis, ita ut non liceat pro lubitu cessare ab eadem recitanda, antequam Ordinarius id jusserit.[2]

2. Sacerdos celebrans in aliena dioecesi sumere debet Orationem imperatam in dioecesi, in qua celebrat, non autem Orationem imperatam in dioecesi propria.[3]

3. Si Oratio imperata eadem sit cum alia a Rubricis ordinata, tunc imperata omittitur. Hinc si imperata sit Oratio pro Papa in die anniversaria electionis vel consecrationis Episcopi, in qua in universa dioecesi recitanda est Oratio pro Episcopo, Oratio imperata pro Papa omittitur, quia eadem est cum Oratione pro Episcopo.[4]

---

[1] *S. R. C.* 27. Mart. 1779 ad 6. n. 2514. — [2] *S. R. C.* 3. Apr. 1821 ad 1. et 2. n. 2613. Oratio pro eligendo Episcopo continuari debet usque ad diem electionis, qui est dies consistorii secreti. *S. R. C.* 19. Dec. 1829 ad 3. n. 2672. — [3] *S. R. C.* 5. Mart. 1898 n. 3985.; Celebrans enim in aliena ecclesia sese conformare tenetur calendario hujus ecclesiae. *S. R. C.* 9. Jul. 1895 n. 3862.; *Eph. lit.* 1897 pg. 250. — [4] *S. R. C.* 5. Mart. 1870 ad 1. n. 3213.

4. Propter Orationem imperatam nulla alia Oratio a Rubricis praescripta omitti potest. Si ergo imperata sit Oratio pro Papa vel pro Ecclesia eodem tempore, quo alterutra tamquam communis a Rubrica praescribitur per verba „Ecclesiae vel pro Papa", tunc dicenda est utraque, una qua Commemoratio communis, qua Oratio imperata altera, idque hoc ordine, ut ultimo loco ponatur Oratio imperata, ita ut non possit satisfieri Rubricae et mandato Superioris per recitationem unius, tantum Orationis.[5] Ex eadem ratione nec Oratio ad libitum propter Orationem imperatam omitti potest.[6]

5. Orationes ab Episcopo imperatae, quae simul cum Orationibus a Rubrica praescriptis septenarium numerum excedunt, omittendae sunt.[7]

223. Quo loco ponenda est Oratio imperata?

1. Quia Orationes a Rubricis praescriptae semper primum locum tenent, ideo Oratio imperata semper recitanda est sub altera conclusione et post omnes Commemorationes speciales et etiam communes, quae secundo et tertio loco addendae praescribuntur, sed ante Orationes votivas[8] stricte tales, quas Celebrans in Missis votivis privatis et diebus simplicibus et ferialibus adjungit. Excipe casum sub n. **224.** ad 3.

2. Quando plures Orationes sunt imperatae, dicendae sunt non ordine temporis, quo praescribuntur, sed ordine dignitatis. Si sunt ejusdem vel fere ejusdem dignitatis et sumuntur ex Missis votivis vel ex „Orationibus diversis" in fine missalis, tunc convenienter dicuntur juxta ordinem ibi dispositum.[9]

224. Quando Oratio imperata omittitur, quando dicitur?

1. Oratio imperata omittitur praeter casum supra n. **222.** sub 3. positum: *a)* in Festis (non in Dominicis) duplicibus primae classis in omnibus

[5] *S. R. C.* 24. Maji 1901 ad 1. (*Eph. lit.* 1901 pg. 399. sq.) — [6] *S. R. C.* 17. Aug. 1709 ad 2. n. 2198. et 3. Jul. 1896 ad 1. n. 3924. — [7] *S. R. C.* 19. Jan. 1906 ad 1. Ord. Fratr. Min.; *Eph. lit.* 1906 pg. 199. sq. — [8] Cf. *Rub. gen.* miss. VII. n. 5. — [9] Ibid.

Missis sine discrimine,[10] nisi contingat casus infra sub n. 3. memoratus; *b)* diebus habentibus privilegium unius Orationis i. e. Dominica Palmarum, Vigiliis Nativitatis Domini (etiam si occurrat Dominica IV. Adventus) et Pentecostes, in Coena Domini et Sabbato Sancto,[11] in omnibus Missis sine discrimine; *c)* in Missis votivis solemnibus, quia celebrantur sub ritu primae classis; *d)* in Festis duplicibus secundae classis in Missis solemnibus, cantatis et conventualibus, etsi lectis tantum;[12] *e)* in Missis de Requie, nisi Oratio imperata sit pro defuncto.

2. Oratio imperata dici vel omitti potest pro arbitrio Celebrantis in Missis privatis, etiam parochialibus lectis, quae celebrantur in Festis duplicibus secundae classis.[13]

3. Oratio imperata dicenda est omnibus aliis diebus, imo, si praecepta sit pro re gravi seu singulari ex causa, dicenda est etiam in Festis duplicibus primae classis,[14] idque sub unica conclusione cum Oratione diei, nisi facienda sit alia commemoratio, cui tunc subjungitur; in duplicibus secundae classis sub sua conclusione.[15]

§ 5. Collecta pro Imperatore.

225. In ditione Austriaca per decretum S. R. C. diei 10. Februarii 1860 „in singulis per annum Missis sive solemnibus sive parochialibus, diebus tamen, quibus per Rubricas licebit, specialis Collecta pro Imperatore cum Secreta et Postcommunione addenda" praecipitur. Haec Oratio est in fine missalis inter Orationes diversas sexta. In ea (extra Hungariam) loco *Rex, Regi* (in Secreta), *Regem* (in Postcommunione) dicitur *Imperator, Imperatori, Imperatorem;* ante verba *vitiorum monstra devitare* omittitur *et,* ac post haec

[10] *S. R. C.* 15. Maj. 1819 ad 2. n. 2597. — [11] *S. R. C.* 3. Mart. 1761 ad 2. n. 2461. et 20. Apr. 1822 ad 2. n. 2618. — [12] *S. R. C.* 15. Maj. 1819 ad 2. n. 2597. — [13] *S. R. C.* ibid. et 6. Febr. 1892 Dub. I. ad 3. n. 3764.; *Eph. lit.* 1905 pg. 497. — [14] *S. R. C.* 7. Aug. 1875 ad 3. n. 3365. — [15] *S. R. C.* 8. Jul. 1869 ad 8. n. 3211.

verba inseritur *hostes superare*. Ceterum dicenda est prout jacet, nec a Sacerdotibus exteris omittendum pronomen „*Noster*“.[1]

226. Quando haec Collecta sumenda est?

1. Exceptis excipiendis sub n. 2 et 3. infra notatis haec Collecta **sumenda** est: *a)* in Missis solemnibus[2] stricte talibus i. e. cum Ministris sacris celebratis; *b)* in Missis cantatis sine Ministris sacris;[3] *c)* in Missis parochialibus cum vel sine cantu,[4] quas parochi eorumque vicarii in Festis etiam abrogatis applicare tenentur pro populo;[5] *d)* in Missis conventualibus, etiam lectis, quia sunt late solemnes (vide n. **128.** not. 1.) et quoad Collectas aequiparantur Missis solemnibus.[6]

2. Haec Collecta **omittenda** est: *a)* in omnibus Missis privatis stricte talibus; *b)* in Festis (non Dominicis) primae classis in omnibus Missis sine exceptione[7] ad normam Orationum imperatarum; *c)* in Festis secundae classis in omnibus Missis cum cantu et in conventualibus,[8] etsi lectis tantum; *d)* in Missis habentibus privilegium unius Orationis,[9] videlicet in Dominica Palmarum, Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, in Coena Domini et Sabbato Sancto; *e)* in Missis votivis solemnibus pro re gravi vel publica Ecclesiae causa, quia celebratur sub ritu primae classis.

3. Haec Collecta **ad libitum** est in Missis parochialibus lectis in Festis secundae classis.[10]

Adnotatio. In decreto diei 10. Febr. 1860 non imponitur onus Episcopis addendi Collectam praefatam in Missis, quas pro populo applicare tenentur.[11]

---

[1] *S. R. C.* 6. Febr. 1892 Dub. I. ad 2. n. 3764. In Canone Sacerdotes exteri possunt, sed non debent addere verba *Et Imperatore (Rege) Nostro N.* Ibid. ad 1. — [2] Decr. supr. cit. 10. Febr. 1860. — [3] *S. R. C.* 6. Febr. 1892 Dub. I. ad 4. n. 3764. — [4] Decr. 10. Febr. 1860. — [5] *S. R. C.* 28. Nov. 1884 ad 1. n. 3623. — [6] *S. R. C.* 7. Dec. 1888 ad 7. n. 3697. — [7] *S. R. C.* 16. Apr. 1853 ad 3. n. 3009. — [8] *S. R. C.* 15. Maj. 1819 ad 2. n. 2597. — [9] *S. R. C.* 16. Apr. 1853 ad 3. n. 3009. — [10] *S. R. C.* 6. Febr. 1892 Dub. I. ad 3. n. 3764.; *Eph. lit.* 1905 pg. 497.; cf. *S. R. C.* 15. Maj. 1819 ad 2. n. 2597. — [11] *S. R. C.* 28. Nov. 1884 ad 2. n. 2623.

Caput XV.

De Precibus recitandis post Missam.

227. Quae preces et post quas Missas sunt recitandae?

1. Per decretum S. R. C. diei 6. Januarii 1884 Ss. D. N. Leo Papa XIII. mandavit, ut in posterum in omnibus tum Urbis tum Orbis ecclesiis in fine cujusque Missae sine cantu celebratae flexis genibus recitetur ter *Ave Maria,* semel *Salve Regina* cum versiculo et responsorio et Oratione, quae Oratio anno 1886 mutata est, invocatio autem s. Mihaelis adjuncta. Quibus precibus ex voto [1] Pii Pp. X. ter addenda est invocatio *Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis.* [2] Quae preces omnes dici possunt lingua vernacula, quin Indulgentiae [3] iis adnexae amittantur, dummodo versio sit fidelis et ab Ordinario approbata. [4]

2. Juxta decretum S. R. C. ex anno 1886 hae preces dicendae sunt post Missas privatas, qua significatione in casu comprehenduntur omnes Missae: *a)* praeter solemnes et cantatas stricte tales; *b)* praeter conventuales, [5] quae, licet sine cantu, considerantur veluti solemnes; *c)* praeter Missam ordinationis, quae habet rationem conventualis ideoque, quamquam lecta, solemnibus aequiparatur. [6] Hisce igitur exceptis post omnes alias Missas dicendae sunt praefatae preces, licet quandoque solemnitatem quamdam prae se ferant; ergo etiam post Missam

---

[1] Quamvis obligatio proprii nominis a Summo Pontifice imposita non sit, vult tamen Beatissimus Pater, ut conformitati consulatur ac proinde singuli Sacerdotes ad eam invocationem recitandam adhortentur. Ita *S. C. Indulg.* 19. Aug. 1904 ad 2. Roman. (*Eph. lit.* 1904 pg. 595.) — [2] *S. C. Indulg.* 17. Jun. 1904 (*Eph. lit.* 1904 pg. 458.). — [3] Ter centum dierum pro precibus a Leone XIII. praescriptis, septem annorum et totidem quadragenarum pro trina invocatione a Pio X. proposita. *S. R. C.* 6. Jan. 1884 et *S. C. Indulg.* 17. Jun. 1904. — [4] *S. R. C.* 5. Mart. 1904 ad 5. Utinen. (*Eph. lit.* 1904 pg. 165.); cf. Decr. auth. *S. C. Indulg.* n. 361. et 415. — [5] *S. R. C.* 7. Dec. 1888 ad 7. n. 3697.; *Eph. lit.* 1895 pg. 180. sq. et 1901 pg. 441. ad 4. — [6] *Eph. lit.* 1892 pg. 163.

parochialem,[7] Neosacerdotis vel Jubilaris, etiam post Missam alicujus Communionis generalis, post Missam, cui collegia vel seminaria assistunt etc., dummodo non sint in cantu.

228. Quomodo hae preces recitantur?

1. Finito ultimo Evangelio Sacerdos manibus junctis ante pectus more solito ad medium altaris redit, factaque ibi Cruci reverentia sicut in principio Missae, descendit per gradus ibique i. e. in gradibus flexis genibus et manibus de more junctis[8] recitat preces praescriptas. Possunt quidem hae preces recitari pro lubitu vel in gradu infimo (primo) vel supremo (in suppedaneo), sicut S. R. C. declaravit;[9] ast propter conformitatem unusquisque sese accommodet usui, qui invaluit in regione sua. Item reverentia versus Crucem altaris, antequam Sacerdos descendat ad recitandas preces, nec praescribitur nec prohibetur;[10] verum quum simili in casu, nimirum in principio Missae, Rubrica reverentiam Cruci faciendam praescribat,[11] praxis inclinationem etiam hic et nunc faciendi magis commendatur.

2. Recitantur hae preces prout jacent; absolute incipiuntur et dicto *Amen* absolute terminantur, ergo absque signo crucis praemisso et subsequente, et absque *Gloria Patri* in fine pariterque sine *Alleluja* antiphonae, versiculis et responsorio tempore paschali addendo.[12] Recitandae sunt genibus flexis, etiam Oratio, et quidem alternatim[13] cum populo. Quae alternatio ita intelligenda est, ut salutatio angelica alternatim cum populo vel saltem cum ministro populum repraesentate dicatur, antiphona vero tota, in quantum fieri potest, simul a Sacerdote et ministro vel fidelibus, Oratio autem et invocatio a solo Sacer-

---

[7] *S. R. C.* 24. Maj. 1895 Dub. I. ad 2. n. 3858. et 28. Maj. 1897 ad 3. n. 3957. — [8] Infra recitationem precum calicem manu vel manibus tenere, non convenit. Cf. *Eph. lit.* 1889 pg. 479. et 1900 pg. 489. — [9] *S. R. C.* 18. Jun. 1885 ad 8. n. 3637. — [10] Ibid. — [11] *Rit. cel.* miss. II. n. 4. — [12] Cf. *Münster Pastoralblatt* 1886 pg. 94. *Linzer Quartalschrift* 1895 pg. 513. — [13] *S. R. C.* 20. Aug. 1884 ad 1. (*Act. S. Sedis* tom. 17. pg. 95.)

dote. Sic practicatur Romae.[14] Imo alternatio quaedam jam adest, si post dictam a solo Sacerdote antiphonam, ad versiculum *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix* a circumstantibus vel ministro respondeatur *Ut digni efficiamur promissionibus Christi*, et post Orationem invocationemque addatur a populo vel ministro *Amen*.[15] Quae praxis approbata est a S. C. Ind. quoad triplicem invocationem Ss. Cordis, quatenus ad lucrandas Indulgentias sufficiat, si Sacerdos dicat dumtaxat *Cor Jesu sacratissimum* et populus respondeat *Miserere nobis*.[16]

229. Quando hae preces recitantur?

1. Ex declaratione S. R. C. preces, de quibus sermo, recitandae sunt immediate expleto ultimo Evangelio,[17] nulla scilicet interposita alia prece aut caeremonia. Quotiescunque ergo post Missam sacra Communio distribuenda est fidelibus, ministretur demum post preces absolutas; item si post Missam privatam coram exposito ss. Sacramento celebratam impertienda sit benedictio cum Sanctissimo, danda est post dictas preces. Ex eadem ratione quotiescunque functio aliqua cum Missae sacrificio ita cohaeret, ut ab ea facile disjungi nequeat, quin ordo praescriptus perturbetur, e. g. absolutio post Missam exsequialem non cantatam, toties preces omittuntur, quia in tali casu immediate expleto ultimo Evangelio persolvi nequeunt.[18] Si (mense Octobri) Missa absoluta Rosarium Marianum a populo recitandum non sit finitum, Celebrans, quin exspectet finem Rosarii, dictas preces recitet cum ministro solo.[19]

2. In die Nativitatis Domini (in regionibus habentibus privilegium, uti in Hispania et Lusitania, etiam in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum), in qua tres Missas celebrare licet, preces praescriptae recitantur toties, quoties ab altari ab-

---

[14] *Eph. lit.* 1890 pg. 148. — [15] Cf. *Linzer Quartalschrift* 1891 pg. 235. — [16] *S. C. Indulg.* 19. Aug. 1904 ad 1. Roman. (*Eph. lit.* 1904 pg. 595.) — [17] *S. R. C.* 23. Nov. 1887. n. 3682. — [18] *Eph. lit.* 1888 pg. 90. — [19] *S. R. C.* 7. Dec. 1900 ad 3. Brunen. (*Eph. lit.* 1901 pg. 265.)

soluta Missa discedítur, sive discessio fiat post primam, secundam vel tertiam Missam.[20] Ergo si quis duas litaverit Missas, unam post alterum, preces post secundam recitabit; si tres Missas consecutive celebraverit, post tertiam;[21] si vero diverso tempore celebret, post singulas Missas preces recitare non omittat.[22] Omittendae tamen sunt post secundam Missam lectam, quando eam immediate sequitur tertia Missa solemnis.[23]

230. Licetne post Missam praeter pontificias alias quoque adjungere preces?

Non licet Sacerdoti propria auctoritate ex devotione sua vel aliorum praeter preces praescriptas etiam alias ad altare post Missam recitare sive lingua latina sive vernacula, nisi accesserit consensus Ordinarii et preces sint approbatae,[24] et tunc preces praescriptae a Sua Sanctitate praemittantur, iisque privatae illae preces adjungantur.[25]

Tractatus III.

De ss. Eucharistiae distributione et renovatione necnon de sacrorum Vasorum purificatione.

Caput I.

De ss. Eucharistiae distributione.

§ 1. Regulae generales circa ss. Communionis distributionem.

231. — 1. Sacra Communio fidelibus distribui potest tum extra tum intra Missam, etiam intra Missas de Requie, et in his non solum ex particulis in eadem

---

[20] *S. R. C.* 30. Apr. 1889. n. 3705. — [21] *S. R. C.* 10. Maji 1895 ad 7. n. 3855. — [22] *Eph. lit.* 1889 pg. 156. — [23] *S. R. C.* 11. Dec. 1896 ad 1. n. 3936. — [24] *S. R. C.* 31. Aug. 1867 ad 7. et 8. n. 3157. — [25] *S. R. C.* 23. Jun. 1893. n. 3805. Regulares, qui ex Ordinis sui constitutionibus tenentur in fine Missae recitare antiphonam *Salve Regina* cum ℣. *Ora pro nobis* et Oratione *Omnipotens*, debent postea in recitandis precibus pontificiis rursus recitare dictam antiphonam et versiculum cum reliquis. *S. R. C.* 18. Jun. 1885 ad 7. n. 3637.

Missa consecratis, sed etiam ex particulis praeconsecratis.[1] Intra Missam distribuitur semper immediate post sumptionem ss. Sanguinis ante purificationem Celebrantis;[2] extra Missam autem vel immediate ante vel immediate post Missam, vel absque ulla Missa.

2. In Communione publica, quae fit in ecclesiis vel in oratoriis, in precibus *Misereatur* et *Indulgentiam* semper dicendum est in numero plurali *vestri, vestris, vos, vestrorum* et *vobis,* licet una tantum persona Communionem accipiat, quia in hujusmodi Communione semper supponitur multitudo, etiamsi unus tantum accedat, ideoque preces istae respiciunt non solum communicantes, sed omnes praesentes totamque Ecclesiam. Similiter in formula *Domine non sum dignus* semper dicendum est in genere masculino *„dignus“,* etiamsi feminae Communio ministretur.[3]

3. In Communione privata, quae fit in nosocomiis vel in cubiculis infirmorum distinguendum est: aut distribuitur extra aut intra Missam. Si primum, in precibus *Misereatur* et *Indulgentiam* pronomina dicuntur in numero singulari, non solum quando infirmus accipit Viaticum, sed etiam quando communicat ex devotione aut ad implendum praeceptum paschale,[4] quia in hoc casu multitudo non supponitur, nisi forte plures infirmi simul fuerint communicandi, v. g. in nosocomio. Si vero Communio infirmi fiat intra Missam, quam Sacerdos in altari proximo penes infirmum[5] celebrat, praefatae preces dicendae sunt in numero plurali,[6] quia Missa semper est actio publica, quae multitudinem supponit.[7]

---

[1] *S. R. C.* Decret. gen. 23. Jul. 1868. n. 3177. — [2] *Rit. cel.* miss. X. n. 6.; *Rub. spec.* missal.; *Rituale Rom.,* Ordo ministr. s. Comm. — [3] *Rit. Rom.* l. c. — [4] *S. R. C.* 16. Nov. 1906 Dub. IV. ad 1. Erem. Camald. (*Eph.* 1907 pg. 66.) — [5] Si enim Celebrans accedens ad infirmum altare e conspectu suo amitteret, non liceret ei intra Missam infirmo ss. Communionem administrare. *S. R. C.* 19. Dec. 1829 ad 1. n. 2672. — [6] *S. R. C.* 16. Nov. 1906 Dub. IV. ad 2. — [7] In hoc casu minister *Confiteor* et Celebrans *Misereatur* dicere debent ad altare more solito, non vero prope infirmum.

4. Ad communicandos descendendum est non via breviori, sed longiori i. e. non per gradus altaris laterales, sed anteriores, etiamsi communicandi sint in alterutra parte, eademque via redeundum est ad altare distributa Communione.[8]

5. In distribuenda fidelibus Communione incipiendum est ab iis, qui sunt ad partem Epistolae;[9] sed primo, si Sacerdotibus vel aliis e Clero danda sit Communio, iis ad gradus altaris genuflexis praebeatur, vel saltem, si commode fieri potest, intra sepimentum altaris a laicis sint distincti.[10] Sacerdotes communicent rochetto induti[11] et cum stola,[12] quae sit vel albi vel ejusdem coloris ac Sacerdotis Eucharistiam ministrantis,[13] sed nunquam nigri. Item minister Missae inserviens communicandus est ante ceteros, etiam moniales, non ratione praeeminentiae, sed ministerii.[14]

6. Si in eodem altari celebretur et sanctissimum Sacramentum elevetur, Sacerdoti ministranti Communionem propterea non est genuflectendum, sed paulisper subsistendum corpore erecto, facie versa ad altare, cum ciborio in manibus, donec peracta sit elevatio.

---

[8] Si ss. Communio extra Missam distribuenda sit solis monialibus, quae habent chorum retro post altare vel ab altari nimis distantem, Sacerdos pyxidem ad fenestellam chori deponat ibique omnes preces et ritus ante et post Communionem absolvat; si vero ss. Communio ministranda sit non solis monialibus, sed aliis quoque, vel si ss. Communio fiat intra Missam, omnia de more explenda sunt ad altare. *S. R. C.* 6. Febr. 1892. ad 14. n. 3764. et 13. Jun. 1893 n. 3800. — [9] *Rit. cel.* miss. X. n. 6. — [10] *Ritual. Rom.* l. c.; *Memorial. Rit.* tit. 4. cap. 2. § 1. n. 17. — [11] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 23. n. 6. — [12] *Rit. Rom.* l. c. Diaconi super cottam deferant stolam transversam. *S. R. C.* 4. Jul. 1879 ad 2. n. 3499. Feria quinta in Coena Domini pro accipienda sacra Communione stola suppletur per Pluviale, Planetam et Dalmaticam in iis, qui hisce paramentis induti assistunt Missae pontificali, ita ut iidem communicaturi non debeant assumere stolam, quod valet etiam de Diacono assistente Calicem de manu Episcopi accepturo in Processione ejusdem Feriae. *S. R. C.* 12. Sept. 1857 ad 22. n. 3059. et 10. Maji 1895 ad 4. n. 3855. — [13] *S. R. C.* 4. Jul. 1879 ad 1. n. 3499. — [14] *Rit. Rom.* tit. IV. cap. 2. n. 11. *S. R. C.* 13. Jul. 1658 n. 1074.

7. In Christi Corpore praebendo caveat Sacerdos: *a)* ne labia aut aliam partem vultus sumentium digitis aut ipsa particula tangat, quapropter porrigens s. Hostiam digitos inferiores inflectat et linguam communicantium leviter premat particula, ut illi inhaereat et statim manum reducat; *b)* ne communicantium halitus avolare faciat particulas in pyxide aut in patena contentas, quapropter eas ad os eorum nimium ne admoveat; *c)* ne sinistra manu purificatorium capiat ad abstergendos digitos, quia nec Rubrica nec Rituale hujus mentionem faciunt.[15]

8. Licet, necessitate urgente, Hostias minores dividere in partes, quae singulis communicantibus distribuantur, si inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum.[16] In casu ergo Sacerdos ad altare reversus factaque genuflexione, super pyxide dividat Hostias, et iterata genuflexione prosequatur Communionem, non tamen denuo praemissis versiculis *Ecce Agnus Dei* et *Domine non sum dignus*, qui omittuntur etiam tunc, quando, deficientibus particulis unius ciborii, Communio prosequitur cum particulis alterius ciborii e tabernaculo extracti.

9. Si digiti sint humefacti Sacerdos eos abstergat fricando super pyxidem, praesertim si aliquod fragmentum eis adhaerere advertat, illudque extersione digitorum in pyxidem (vel patenam, si ex ea communicet) demittat, vel ad altare redeat et digitos, excussis prius sacris fragmentis in pyxidem, abluat in vase ad hoc praeparato detergatque purificatorio, deinde prosequatur Communionem.

10. Ad altare, in quo ss. Sacramentum expositum est, Communionem distribuore non licet, neque intra neque extra Missam.[17] Si nihilominus urgente

[15] *Baldeschi*, Ausführl. Darst. I. pars 1. cap. 3. n. 8. nota *a*; *Eph. lit.* 1892 pg. 432. — [16] *S. R. C.* 16. Mart. 1883 ad 1. n. 2704. — [17] *S. R. C.* 11. Maji 1878 ad 1. n. 3448. et 8. Febr. 1879 n. 3482. et 11. Jun. 1904 ad 2. (*Eph. lit.* 1904 pg. 580.) Ratio est, quia distributio impedit, quominus praescriptae reverentiae ante ss. Sacramentum expositum exacte observentur. Vult S. R. Tribunal, ut tempore expositionis pro Oratione XL Horarum ss. Eucharistia administretur in altari laterali, cui hunc in finem appo-

necessitate et deficiente alio altari, ss. Eucharistia administranda sit, Sacerdos attendat solummodo ad Sacramentum, quod prae manibus tenet, nulla habita ratione expositionis, quapropter infra distributionem transeundo in plano ante Sanctissimum expositum minime genuflectat. Caveat tamen, quantum fieri potest, ne tergum vertat Sanctissimo exposito, ideoque dicens *Ecce Agnus Dei etc.* se sistit versus cornu Evangelii, descendendo ab altari ad communicandos facit semicirculum et in utroque latere mensae Communionis se vertit ut ad *Lavabo* in Missa coram exposito Sanctissimo facie ad altare et tergo ad populum conversis, benedictionemque finalem impertit stans paulum ad cornu Evangelii.[18]

11. Quando ob multitudinem communicantium alius Sacerdos Celebrantem ad idem altare in distribuenda Communione adjuvare debet, Celebrans ipse solus praescriptas preces et caeremonias ante Communionem de more absolvat, coadjutor vero, incepta a Celebrante Communione, accedat, adorato per genuflexionem Sacramento pyxidem accipiat seque Celebranti consociat in distribuenda Eucharistia.[19] Communione finita uterque quidem preces post Communionem praescriptas dicit, nisi uno eodemque tempore ab utroque finiretur, sed benedictionem ille solus impertit, qui ultimus ad altare remansit.

12. Possunt ante s. Communionem in Missa distribuendam a Celebrante post sumptionem breves sermones haberi, dum vel ad s. Synaxim prima vice adolescentes admittuntur vel alia quacunque ex causa de consensu Ordinarii.[20]

13. Si in ss. Eucharistiae distributione particula aliqua vel fragmentum *a)* ceciderit in terram, reverenter eam Sacerdos accipiat et locum, in quem cecidit, obsignet superimposito aliquo linteo mundo

---

natur tabernaculum amovibile et, si opus sit, loco transennae (vulgo balustra) scamna pro communicantibus circumponantur. *S. R. C.* 23. Nov. 1880 ad 4. n. 3525. — [18] *Herdt*, l. c. II. n. 34. — [19] *Eph. lit.* 1904 pg. 420. — [20] *S. R. C.* 16. Apr. 1853 ad 4. n. 3009. et 12. Sept. 1857 ad 10. n. 3059. et 23. Mart. 1881 n. 3529.

(purificatorio, palla) vel operculo vasculi pro ablutione vel ampullarum subversa patella,[21] donec opportuno tempore abradatur, abrasio vero in sacrarium mittatur;[22] *b)* si ceciderit extra corporale in mappam sive altaris sive mensae Communionis, ejusmodi mappa signetur et postmodum diligenter abluatur et lotio ipsa in sacrarii piscinam effundatur;[23] *c)* si ceciderit super vestes communicantium, locus notetur et postea lavetur, ast si in feminae pectus dilapsa fuerit, ipsa, non Sacerdos, particulam aut fragmentum accipiat et vel in pyxidem mittat vel sese communicet, vestes porro aut locus vel digiti abluantur et lotio in sacrarium projiciatur.[24] Si vero in dictis casibus fragmentum tam parvum sit, ut etiam adhibita diligentia inveniri nequeat, res tota committatur divinae providentiae.[25] Colligant Angeli!

§ 2. De Communionis distributione intra Missam.

232. Quando s. Communio ministranda? Menti matris Ecclesiae apprime congruit, Communionem fidelibus praebere intra Missae sacrificium, quia Orationes Missae, quae post Communionem dicuntur, non solum ad Celebrantem, sed etiam ad alios Communione refectos spectant. Quapropter in Rituali Romano[1] praescribitur: „Communio autem populi intra Missam fieri debet, nisi quando ex rationabili causa post Missam sit facienda.“ Hac dispositione non obstante, Sacerdoti celebranti in sacello nosocomii vel in oratorio privato domus piae familiae aut communitatis religiosae minime licet, intra Missam pergere ad infirmos eisque in eorum cellulis dare sacram Communionem, sive ex devotione sive per modum Viatici, si Celebrans interim altare e conspectu suo amitteret vel altare ita distaret, ut ab infirmis neque videri neque vox Sacerdotis celebrantis ab iis audiri possit; sed sacra Communio in casu administranda est post Missam.[2]

[21] *Zualdi*, Caer. miss. priv. pg. 178. — [22] Rub. de defect. X. n. 15. — [23] Rub. ibid. — [24] *Herdt*, l. c. II. n. 188. — [25] Ibid.
[1] *Rit. Rom.* tit. IV. cap. 2. n. 11. — [2] *S. R. C.* 19. Dec. 1829 ad

233. Quo ritu sacra Communio administranda est intra Missam?

Hausto[3] pretiosissimo Sanguine Celebrans, antequam se purificet, calicem palla coopertum collocat in corporali versus cornu Evangelii[4] ibique etiam deponit patenam. Amota versus cornu Epistolae secretarum tabella, aperit tabernaculum, genuflectit, manibus positis intra corporale, extrahit ciborium ponitque super corporale in loco pro calice Missae destinato et tabernaculum claudit. Ciborio detecto et dicto a ministro *Confiteor*[5] genuflectit[6] ut supra, ac manibus junctis ante pectus, quin pollices ab indicibus disjungat, ad populum conversus oculis demissis stans paululum ad cornu Evangelii clara voce in numero plurali, etiamsi una tantum persona sit communicanda (reg. gen. 2.) dicit *Misereatur vestri etc.* et subjiciens *Indulgentiam absolutionem etc.* sinistra infra pectus posita, dextera signum crucis producit versus communicandos. Iterum ad altare conversus genuflectit ut supra, sinistra ciborium inter digitum medium et indicem junctum cum pollice ad nodum capit, pollice et indice dextero vero unam particulam super ciborium elevatam tenens, denuo ad populum se convertit et oculis in particulam defixis semel dicit latino idiomate[7] *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* ac ter subjungit *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo,*

1. n. 2672. et 7. Febr. 1874 ad 2. n. 3322. — [3] *Rub. spec.* Can. Miss. — [4] *Cavalieri*, Comment. tom. 4. cap. 4. decr. 11. n. 7. — [5] *Confiteor* in Missis pontificalibus, si distribuenda sit s. Communio, a Diacono cantatur (*Caer. Ep.* lib. 1. cap. 9. n. 6. et lib. 2. cap. 29. n. 3.); in Missis solemnibus ordinariis ab eodem cantatur vel alta voce dicitur, juxta consuetudinem (*S. R. C.* 28. Nov. 1902 ad 2. in *Eph. lit.* 1903 pg. 16.); in Missis solemnibus de Requie, si ex rationabili causa distribuenda foret, a Diacono dicitur tantum alta voce (*S. R. C.* ibid.). — [6] *S. R. C.* 23. Dec. 1862 n. 3116. Detecto ciborio statim genuflectit, et si exspectandum sit, donec minister absolverit Confessionem, hac absoluta, antequam se vertat ad communicandos, iterum genuflectit. Si autem non fuit exspectandum, unica sufficit genuflexio. *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 275. — [7] *S. R. C.* 23. Maj. 1835 ad 5. n. 2725. et 1. Jul. 1804 ad 2. Utinen. (*Eph. lit.* 1904 pg. 455.)

et sanabitur anima mea. Deinde descendit ad communicandos (vide reg. gen. 4.) et unicuique porrigit Sacramentum faciens cum particulis singulis crucis signum super ciborium et dicens *Corpus Domini nostri † J. Chr. custodiat animam tuam in vitam aeternam. Amen;* ita ut haec formula cum impositione sacrae particulae super linguam communicantis absolvatur.

Communione finita redit ad altare nihil dicens,[8] ciborium interim tenens more solito ante pectus, pollicem et indicem dexterae junctos autem super cuppam ciborii. Ad altare reversus, posito ciborio in loco suo, genuflectit[9] ut supra, si superfuerit aliqua particula, statim ciborium claudit reponitque in tabernaculo, quod facta prius genuflexione[10] occludit, dein, reposita secretarum tabella in suo loco, prosequitur Missam.

234. Si Hostiae in eadem Missa consecratae e patena distribuendae sint fidelibus, quod fieri potest, si paucae tantum numero sint: facta genuflexione,[11] ut supra, Celebrans Hostias super patenam deponit. Quo facto patenam reponit super Corporale non in loco, ubi positae fuerant Hostiae, sed juxta vel post hunc locum. Dein distribuit Communionem more solito, qua distributa ad altare reversus, si Hostia aliqua supersit, genuflectit Hostiamque, quae non est pro alio tempore asservanda, sumit, secus in ciborium tabernaculi immittit, dein corporale et patenam extergit et Missam prosequitur.

§ 3. De Communionis distributione extra Missam.

235. Quando et quomodo s. Communio ministranda est occasione Missae?

Extra Missam Communio fidelibus administrari potest vel occasione vel non occasione Missae. Si

---

[8] *Rit. cel.* miss. X. n. 6. — [9] *S. R. C.* 23. Dec. 1862 n. 3116. et 14. Jan. 1898 Dub. III. ad 2. n. 3975. — [10] *S. R. C.* ibid. — [11] *Rit. cel.* miss. X. n. 6.

primum, fieri potest vel immediate ante vel immediate post Missam, in utroque casu data rationabili causa.[1] Rationabilis causa juxta communem sententiam auctorum est infirmitas aut occupatio necessaria communicandorum, ob quam hi usque ad Communionem Celebrantis vel usque ad finem Missae exspectare nequeunt; vel multitudo communicantium, ita ut Missa nimis protraheretur, si Communio fiat intra Missam, ideoque fideles Corpore Christi non reficiendi diutius in ecclesia detinerentur. „Regulariter hoc loco (post sumptionem ss. Sanguinis) facienda est Communio," ait Gavantus,[2] „sed hodie, quia plurimi exoptant finem Missae et eos taederet exspectare alios ut communicent, differri solet Communio usque ad peractam Missam." Insuper nomine et auctoritate sacri Tribunalis Rituum die 28. Novembris 1895 sequens declaratio edita fuit: „Nullum extat decretum S. R. Congregationis, quod prohibeat Communionem fidelium ante vel post Missam."[3] Quod tamen intelligendum est de Missis privatis tantum, quia immediate ante et post Missam solemnem aut cantatam aut conventualem s. Communionem administrare non licet.[4] Data necessitate, Sacerdos pro celebratione Missae ad aliquod altare accedens vel ab eo recedens, sacris vestibus sacrificii indutus et prae manibus calicem tenens, in transitu ante altare ss. Sacramenti potest illud ascendere et Communionem fidelibus distribuere.[5]

Si ergo distributio Communionis fiat immediate ante vel immediate post Missam, peragitur cum casula et omnibus aliis sacris vestibus,[6] etiam cum manipulo.[7] Ritus est idem ac in Communione non occasione Missae (n. **237.**), hoc discrimine, quod in dictis casibus supponitur ciborio corporale

[1] Cf. *Ritual. Rom.* tit. IV. cap. 2. n. 10. et *S. R. C.* 23. Jul. 1868 n. 3177. et 17. Jul. 1894 ad 3. n. 3822. — [2] *Thesaur.* sacr. Rit. pars 2. tit. 10. n. 6. *d.* — [3] Vide *Eph. lit.* 1895 pg. 710. — [4] *S. R. C.* 19. Jan. 1906 ad 3. Ord. Frat. Min. (*Eph. lit.* 1906 pg. 200.) — [5] *S. R. C.* 12. Mart. 1836 ad 11. n. 2740. et 5. Mart. 1904 ad 3. Ceneten. (*Eph. lit.* 1904 pg. 166.) — [6] *Ritual. Rom.* l. c. cap. 2. n. 11 et *S. R. C.* ibid. — [7] *Eph. l t.* 1892 pg. 228.

Missae. Calix Celebrantis totaliter velatus interim collocatur versus cornu Evangelii extra corporale. Preces pontificiae post Missam dicuntur ante s. Communionis distributionem. Recole n. **229.** ad 1.

236. Quando sacra Communio ministranda est non occasione Missae?

Non occasione Missae i. e. citra Missam sacra Communio distribuenda est, quotiescunque fideles rationabiliter eam petierint, dummodo sit infra tempus a Rubricis aut per indultum Superioris pro Missis celebrandis statutum,[8] etiamsi revera non celebrentur. Tempus a Rubricis pro Missarum celebratione statutum est: ab aurora usque ad meridiem.[9] Quod tamen non mathematice sed moraliter accipiendum est, quia Missa terminari potest in aurora et incipi in meridie. Insuper prudenti arbitrio Ordinarii relinquitur permittendi, ut Missa ob solemnitatem cantus vel concionem protrahatur usque ad horam secundam pomeridianam vel amplius.[10] Quo igitur tempore Missa celebrari permittitur, eodem etiam sacra Communio fidelibus ministrari potest. In sacra Nativitatis Domini nocte Communio fidelium prohibita est,[11] sed Pius Pp. X. indulsit, ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subjectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et Clericorum seminariis publicum aut privatum Oratorium habentibus cum facultate sacras Species habitualiter ibidem asservandi, hac nocte tres vel una tantum Missa celebrari sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat.[12] Quae Communio etiam non occasione Missae praeberi potest; indultum enim in hac parte non distinguit, et ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

---

[8] *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 23. n. 2572. et 11. Jun. 1904 ad 3. Ord. Fratr. Min. Portug. (*Eph. lit.* 1904 pg. 580. sq.) — [9] *Rub. gen.* miss. XV. n. 1. — [10] *S. R. C.* 7. Jul. 1899 ad 4. n. 4044.; cf. *Eph. lit.* 1909 pg. 122. sq. — [11] *S. R. C.* 20. Apr. 1641 n. 752. et 7. Dec. 1641 n. 781. — [12] S. Congr. S. R. et U. Inquisit. 1. Aug. 1907 (*Eph. lit.* 1907 pg. 519.).

237. Quo ritu sacra Communio administranda est extra Missam?

1. Lotis[13] in sacristia totaliter manibus, Sacerdos induitur superpelliceo[14] et stola vel albi[15] coloris, utpote proprii ss. Eucharistiae, vel coloris Officio illius diei convenientis ex praecepto Ritualis Romani.[16] Diebus ergo, quibus loco Officii ferialis licet ex indulto facere Officium votivum per annum, adhibendus erit color Officii ferialis, utpote Officii diei, etiam ab iis, qui Officium votivum persolverunt, nisi maluerint adhibere colorem album.

Si color Officii differat a colore Missae diei e. g. in Vigilia Pentecostes, tunc color stolae in Communione extra Missam respondere potest etiam colori Missae, tum quia Missa est potissima pars Officii (vide n. **18.** not. 1.), tum quia Communio extra Missam est quasi appendix vel accessorium ipsius Missae, cujus naturam ergo etiam quoad colorem stolae convenienter sequitur.[17] Usus mozzettae in administratione ss. Sacramentorum interdicitur.

2. Hujusmodi indutus, Sacerdos capite cooperto et manibus ante pectus junctis accedit ad altare Sanctissimi, in quo accensi sint duo cerei. Si bursa cum corporali, quae convenienter ejusdem coloris sit ac stola Sacerdotis,[18] nondum sit in altari, decet, ut Sacerdos ipse[19] pectori innixam ad altare deferat, non minister, a fortiori si sit laicus. Ad gradus altaris quum pervenerit, caput detegit et genuflexione simplici in plano facta ascendit ad altare, explicat totaliter corporale,[20] bursa manu dextera deposita in loco consueto, dein aperit tabernaculum, statim genuflectit manibus interim positis extra corporale, extrahit ciborium et claudit tabernaculum. Cibori

[13] *Ritual. Rom.* l. c. cap. 2. n. 1. — [14] Usus albae loco superpellicei non admittitur. *S. R. C.* 12. Mart. 1836 ad 11. n. 2740. et 5. Mart. 1904 ad 3. Ceneten. (*Eph. lit.* 1904 pg. 166.) — [15] *S. R. C.* ibid. ad 12. n. 2740. — [16] *Rit. Rom.* l. c. In communicandis in domibus vero semper adhibetur stola alba. — [17] Cf. *Eph. lit.* 1909 pg. 445. — [18] *S. R. C.* 11. Jun. 1880 ad 1. n. 3515. — [19] *S. R. C.* 24. Sept. 1842 ad 3. n. 2850. — [20] Palla non supponitur ciborio. *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 1. 2. 4. n. 2932.

in corporali collocato et aperto, iterum genuflectit, manibus positis ut supra, dein peragit omnia ut in Communione intra Missam, mutatis mutandis. Si minister idoneus non adsit, Sacerdos ipse[21] recitet *Confiteor* stans inclinatus ante altaris gradus,[22] dein peragit omnia, sibimetipsi in omnibus respondendo. Idipsum in casu ejusmodi faciat etiam in Communione distribuenda intra Missam[23] stans inclinatus ante medium altaris in suppedaneo.

Omnibus communicatis redit ad altare, ut supra n. **233.** dictum est, ciborium reponit in corporali, genuflectit manibus positis supra corporale, extersisque in ciborio pollice et indice, quibus tetigerat ss. Sacramentum, ciborium claudit.[24] Deinde digitos eosdem abluit in vase praeparato et purificatorio abstergit. Interim[25] voce intelligibili dicit antiphonam: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur.* Tempore paschali et infra Octavam Corporis Christi[26] additur *Alleluja.*[27] Deinde dicitur: ℣. *Panem de coelo praestitisti eis.* ℟. *Omne delectamentum in se habentem,* quibus verbis tempore paschali et infra Octavam Corporis Christi additur *Alleluja,*[28] nisi detur Communio in paramentis nigris, quia tunc omittitur *Alleluja* etiam tempore paschali.[29] Subjungitur: ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad Te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Deinde dicitur Oratio: *Oremus. Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis*

[21] *S. R. C.* 31. Mart. 1879 ad 3. n. 3488. — [22] *Eph. lit.* 1897 pg. 589. et 1909 pg. 494. — [23] *Hartmann,* Rep. Rit. § 197.; *Eph. lit.* 1889 pg. 557. — [24] Sine alia genuflexione praevia, quia *S. R. C.* 23. Dec. 1862 n. 3116 et 14. Jan. 1898 Dub. III. ad 2. n. 3975. unam tantum praescripsit genuflexionem post reditum ad altare, antequam cooperiat pyxidem. — [25] *S. R. C.* 14. Jan. 1898 Dub. III. ad 1. n. 3975. Nonnulli hanc antiphonam dicunt regredientes ad altare, quod est contra Rubricam, quae habet: *Sacerdos reversus;* ergo dicenda est, non in via, sed post reditum ad altare. — [26] *S. Alphonsus,* De Caerem. Miss. cap. 12. n. 2.; *Eph. lit.* 1901 pg. 263. — [27] *S. R. C.* 2. Jun. 1883 ad 11. n. 3576. — [28] Ibid. — [29] *S. R. C.* 26. Nov. 1878. n. 3465.

tuae memoriam reliquisti, tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Concluditur clausula longiori:[30] *Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum.* ℟. *Amen.* Tempore paschali loco hujus Orationis dicitur: *Spiritum nobis, Domine, tuae charitatis infunde, ut quos Sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes;* semper cum conclusione brevi: *Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.* Quae Oratio recitanda est toto tempore paschali, non iis tantum diebus, quibus Corpus Domini praebetur fidelibus, ut adimpleant praeceptum paschale.[31] Antiphonam *O sacrum convivium* cum versiculo *Panem de coelo* recitare, non est de praecepto, quia Rubrica Ritualis dicit: dicere poterit, ergo licet eam omittere, nisi urgeat consuetudo eam recitandi. Versiculos sequentes autem et Orationem recitare, est de praecepto.[32]

Oratione dicta Sacerdos ciborium, nisi cum eo danda sit benedictio in casibus infra positis, in tabernaculum immittit, cujus ostiolum, genuflexione praemissa,[33] claudit, dein corporale complicat et in bursa condit,[34] quam unacum clave tabernaculi[35] pectori innixam, genuflexione in plano ante altare facta, capite cooperto, in sacristiam defert.

§ 4. De Benedictione post Communionem.

238. — 1. Benedictio non datur neque manu neque cum ciborio: *a)* quando sacra Communio distribuitur intra Missam;[1] *b)* quando

[30] *S. R. C.* 11. Junii 1880 ad 2. n. 3515. — [31] *Martinucci*, l. c. lib. I. cap. 24. n. 13. not. a. — [32] *S. R. C.* 30. Aug. 1892 ad 10. n. 3792. — [33] *S. R. C.* 23. Dec. 1862 n. 3116. et 14. Jan. 1898 Dub. III. ad 2. n. 3975. — [34] Corporale non est super altare relinquendum, nec intra tabernaculum reponendum, sed toties quoties intra bursam afferendum, super altare totaliter explicandum et post distributionem iterum in bursa ad sacristiam reportandum. *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 1. 2. 3. n. 2932. — [35] *S. C. Conc.* 24. Nov. 1693.

[1] *Ritual. Rom.* tit. IV. cap. 2. n. 11.

distribuitur in paramentis nigris immediate ante vel immediate post Missam de Requie.[2] Sed in secundo casu, licet non detur benedictio, nihilominus recitandi sunt versiculi et Oratio praescripta post Communionem distributam.[3]

2. Benedictio datur manu semper praeter casus modo memoratos, praecipue: *a)* quando sacra Communio distribuitur immediate post Missam celebratam coram exposito Sanctissimo, etiamsi intra Communionem expositio non amplius locum habeat; *b)* quando Communio distribuitur durante expositione Sanctissimi, etiamsi non ad altare expositionis.

3. Benedictio dari potest cum ciborio in omnibus casibus praeter n. 1. et 2. enumeratos, et quidem *a)* in iis locis, in quibus[4] ob speciales concurrentes circumstantias ad evitanda scandala haec exceptio a regula generali per speciale rescriptum[5] S. R. Congregationis concessa est; *b)* in iis dioecesibus, quae utuntur proprio Rituali a S. R. Congregatione approbato, in quo continetur etiam Rubrica de impertienda post Communionem benedictione cum pyxide, quia generali approbatione Ritualis videtur approbata vel saltem tolerata etiam haec specialis Rubrica.

239. Modum dandi benedictionem quod attinet, benedictio cum ciborio datur eodem ac cum ostensorio modo, nihil scilicet dicendo. Vide n. **266.** ad 2.

---

[2] *S. R. C.* 24. Jul. 1683 ad 2. n. 1711. et 23. Jul. 1868 n. 3177. Contendit quidem cl. *Cavalieri*, quem secutus est *Herdt* S. Lit. Prax. I. n. 275., benedictionem nec esse impertiendam in aliis Missis, in quibus Communio distribuitur immediate ante Missam, si constet omnes sacra Communione refectos usque ad finem Missae esse mansuros in ecclesia, quia accepturi sunt benedictionem Missae. Ast post decisionem *S. R. C.* 30. Aug. 1892 ad 10. n. 3792.: „Benedictio autem (utique citra Missam) semper danda est, unico excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam defunctorum", non videtur deneganda benedictio in casu supra laudato. Cf. *Eph. lit.* 1896 pg. 57. sq. et pg. 425. sq. — [3] *S. R. C.* 26. Nov. 1878 n. 3465. — [4] E. g. in archidioecesi Salisburgensi (*S. R. C.* 15. Febr. 1873 n. 3287.), item in archidioecesi Bambergensi (*S. R. C.* 28. Apr. 1873). — [5] *S. R. C.* 1. Julii 1873 n. 3308.

Manu autem impertitur sequenti modo. Recondito in tabernaculo Sanctissimo, Sacerdos manibus junctis ante pectus vertit se ad populum, mox sinistra posita infra pectus, dexteram elevat linea recta dicens clara voce: *Benedictio Dei omnipotentis* et prosequens: *Patris et Filii † et Spiritus Sancti* signum crucis format, dein manus iterum jungit ante pectus dicens: *descendat super vos et maneat semper.* Quibus dictis ad altare se vertit eadem via, qua se ad populum converterat. Responso a ministro *Amen* corporale complicat et peragit omnia, quae dicta sunt supra de Communione extra Missam. Hic modus ex mandato S. R. Congregationis[6] omnino sequendus est.

Caput II.

De ss. Eucharistiae renovatione.

§ 1. Regulae generales circa sacrarum Specierum renovationem.

240. — 1. Renovatio sacrarum Specierum non est differenda ultra octo dies, sed fieri debet singulis hebdomadis;[1] pro qua renovatione sumendae sunt hostiae recenter confectae.[2]

2. Convenit, ut hostiae consecrandae ab initio Missae apponantur in altari; oportet, ut saltem pro Offertorio in altari in promptu sint; gravis causa requiritur, ut possint admitti post Offertorium ante Canonem, e. g. non praevisa magna multitudo parata ad communicandum, necessitas communicandi infirmum aut consecrandi hostiam in solemnitate exponendam;[3] causa gravissima urgere debet, ut incepto Canone possint admitti, e. g. si tot sint infirmi communicandi, ut pro omnibus

[6] *S. R. C.* 16. Mart. 1833 ad 6. n. 2704. et 23. Maj. 1835 ad 1. et 2. n. 2725. et 30. Aug. 1892 ad 10. n. 3792.

[1] *Caer. Ep.* lib. I. cap. 6. n. 2.; *S. R. C.* 12. Sept. 1884 ad 2. n. 3621. — [2] *Ritual. Rom.* De S. Euch. Sacr. cap. 1. n. 7.; *S. R. C.* 16. Dec. 1826 ad 1. n. 2650. Videsis *Eph. lit.* 1903 pg. 359. sq. — [3] *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 139.

pars Hostiae sacrificii reservari non possit;[4] post Consecrationem panis nullo modo sunt admittendae. Quacunque autem de causa post Offertorium admittuntur, semper saltem mentaliter sunt offerendae, antequam sacrificium continuetur.[5] Quae mentalis oblatio fit, orationem *Suscipe sancte Pater etc.* mente concipiendo hostiasque super corporale deponendo, absque illarum elevatione cum patena et absque signo crucis faciendo super altare.[6]

3. Si tot sint hostiae minores, ut super patenam dari non possint, consecrandae sunt, nisi apponantur super corporale ante calicem, in aliquo vase benedicto,[7] puta in calice consecrato distincto a calice sacrificii, vel in pyxide benedicta, nunquam vero in vase non benedicto, e. g. in capsula destinata pro asservandis in sacristia aut in cubiculo particulis consecrandis.[8]

4. Celebrans intentionem suam tam in Oblatione quam in Consecratione dirigat ad omnes hostias offerendas consecrandasque et verba Consecrationis proferat super omnes hostias consecrandas. Si tamen ex humana fragilitate aliquando intra Consecrationem de hostiis minime cogitaverit, nequaquam propterea scrupulis agitetur, quia valida absque dubio est Consecratio hostiarum propter intentionem antea elicitam et non retractatam.[9]

---

[4] *Cavalieri*, Comment. tom. 5. cap. 13. n. 32. — [5] Cf. Rub. de defect. panis III. n. 4. — [6] *Gavantus*, pars 3. tit. 3. rub. 4.; *Herdt*, l. c. II. n. 138. ad 1. Talis oblatio mentalis facienda est semper quando ob defectum sive panis sive vini post Offertorium deprehensum, novae species consecrandae apponi debent. Cf. Rub. de defect. pan. et vin. III. et IV. — [7] *Rit. cel. miss.* II. n. 3. — [8] Quae vasa sacra cum particulis praeparatis non sunt deferenda ad altare simul cum calice Missae, sed antea in altari deponenda vel a Celebrante ipso vel a Sacrista. *Herdt*, l. c. I. n. 203. nota. — [9] Cf. *Benedictus XIV.* De ss. miss. sacrif. lib. 3. cap. 18. n. 2. Si Celebrans habuerit quidem ordinariam intentionem illas consecrandi, sed ipso inscio positae sint extra corporale et portatile, ubi tempore Consecrationis remanserunt, ipso non advertente; hae hostiae tanquam dubie consecratae habendae sunt. Unde reverenter quidem sunt tractandae, sed non adorandae, neque populo distribuendae, sed sumendae post sumptionem s. Sanguinis vel in alia Missa con-

5. In renovanda Hostia ostensorii non licet Hostiam sacrificii imponere ostensorio, veterem autem ex ostensorio deductam sumere pro Communione sacrificii, quia Celebrans de suo sacrificio participare tenetur. In hoc casu Celebrans duas hostias majores consecret, unam pro sacrificio, pro ostensorio alteram. Hostia ex ostensorio desumpta a Celebrante ipso post sumptionem Sanguinis reverenter est sumenda, uti infra n. **248.** dicetur.

6. Hostiae noviter consecratae non sunt cum veteribus miscendae, neque veteres neoconsecratis superimponendae, ut prius distribuantur; sed neoconsecratae vel in alia pyxide conservandae, vel, deficiente altera pyxide, veteres communicantibus primo distribuendae vel a Celebrante in Missa sumendae.[10] Si ob nimiam quantitatem omnes sumere non possit, sumantur successive in pluribus sacrificiis vel ab eodem Celebrante vel ab aliis Sacerdotibus.[11] Sumuntur autem inclinato capite (vel humeris) nihil dicendo nec signo crucis sese signando.

7. Antequam Hostiae minores super corporali consecratae immittantur in pyxidem, vel antequam Hostia major imponatur lunulae aut ingeratur ostensorio, semper genuflectendum est juxta Rubricas.[12]

8. Si occasione renovationis sacrarum Specierum, sive pyxidis sive ostensorii, Communio sit distribuenda aut veteres Hostiae consumendae (ob purificationem pyxidis vel lunulae), tunc pyxis vel ostensorium cum Hostiis neoconsecratis in tabernaculum immittuntur post sumptionem Sanguinis, quia tum distributio Communionis[13] tum consumptio Specierum residuarum fieri debet sumpto Sanguine. Extra hos casus ingeri possunt in tabernaculum immediate ante sumptionem pretiosissimi Sanguinis.[14]

---

secrandae sub conditione tacita: *si non sint consecratae. Herdt*, l. c. II. n. 154. ad 3. — [10] *Ritual. Rom.* De ss. Euch. Sacr. cap. 1. n. 7. — [11] *Herdt*, l. c. I. n. 281. not. 2. — [12] *Rit. cel.* miss. X. n. 5. — [13] Rub. Canonis. — [14] *Herdt*, l. c. I. n. 278. et n. 282. ad 5.; *Appeltern*, Manual. Lit. pars 1. cap. 4. tit. 10. not. 8.; *Stappen*, De Celebr. Miss. lib. 2. sect. 3. art. 2. append. 7.

§ 2. De Hostiis minoribus consecrandis.

241. Hostiae minores, si paucae sint, ante Missam ponuntur super patenam subtus hostiam sacrificii, vel in alia patena separata, nunquam vero in alio corporali complicato;[1] si autem sint admodum numerosae, ponuntur vel in pyxide aut alio calice, vel his deficientibus super corporale[2] et in hoc ultimo casu ante[3] calicem Missae juxta hostiam sacrificii. Pyxis clausa, sed velo suo non cooperta, vel calix tectus palla, continentes particulas consecrandas, collocantur retro post[4] calicem sacrificii vel potius ob angustiam loci (lapidis sacrati) juxta calicem Missae versus cornu Evangelii; omni in casu autem super corporale et lapidem sacratum.[5]

Ad Offertorium, si particulae sint in patena, elevat et offert eas Celebrans simul cum hostia sacrificii et facto de more signo crucis cum patena, deponit illas super corporale ante calicem juxta hostiam majorem. Si vero sint super corporale, nequaquam sunt elevandae, sed relinquendae in loco, ubi jacent. Quod dicendum est etiam, si sint in pyxide aut in calice; relicto scilicet sacro vase in loco suo, Celebrans ante oblationem hostiae sacrificii manu dextera inde aufert[6] operculum vel pallam ponitque ad cornu Epistolae prope velum calicis, sinistra interim nodum aut pedem tenente. Oblatione facta vas iterum cooperitur. Intentio offerendi autem semper ad omnes particulas consecrandas est dirigenda.

Ad Consecrationem hostias in corporali dispositas relinquit in loco suo, dummodo sint, sicut ad Offertorium, super lapidem sacratum; pyxidem vel calicem autem discooperit[7] ut supra, antequam incipiat *Qui pridie etc.*[8] Signum crucis ad vocem *be-*

[1] *S. R. C.* 12. Aug. 1854 ad 19. Lucion. (Anal. Jur. Pont. II. pg. 2192.) — [2] *Rit. cel.* miss. II. n. 3. — [3] Ibid. Cf. *Eph. lit.* 1901 pg. 233. ad 4. — [4] *Rit. cel.* miss. ibid. — [5] Cf. *Eph. lit.* 1899 pg. 674. sq. — [6] *Rit. cel.* miss. VII. n. 3. Cf. *S. R. C.* 4. Sept. 1880 ad 6. n. 3524. — [7] *S. R. C.* ibid. *Rit. cel.* miss. VIII. n. 5. — [8] Si forte ex oblivione pyxidem intra Consecrationem non detexerit, particulae nihilominus consecratae sunt. *S. Alphonsus*, Theol. mor. tom. VI. n. 212. et 216.

nedixit non efformat super hostias consecrandas in pyxide vel calice, sed tantum super hostiam sacrificii; intentionem consecrandi vero dirigat ad omnes hostias. Elevatur tantum Hostia sacrificii. Qua elevata et in corporali reposita factaque genuflexione, vas Hostiarum cooperitur.

Ad Communionem Hostiae minores consecratae, si non sint statim distribuendae, sed pro alio tempore conservandae, neque pyxis purificanda neque ulla ex Hostiis veteribus consumenda, in tabernaculum ingeri possunt peracta post sumptionem s. Hostiae meditatione ante sumptionem pretiossimi Sanguinis (reg. gen. 8.). Et tunc sequentes dantur casus:

Si positae erant in corporali, facta prius genuflexione (reg. gen. 7.), pollice ac indice dexterae manus vel mediante patena in pyxidem immittuntur, quae subinde dexterâ clauditur, velo suo obtegitur, in tabernaculum ingeritur ibique, praemissa genuflexione, occluditur. Deinde colliguntur fragmenta de more, in calicem immittuntur et continuatur Missa.

Si autem in pyxide consecrabantur, peracta ut supra meditatione et pyxide cooperta suo velo, Celebrans ostiolum tabernaculi aperit et genuflectit, si in eo aliud vas cum ss. Sacramento adsit, secus genuflexionem omittit; deposita in tabernaculo pyxide, iterum genuflectit et ostiolum claudit.

Si ab initio in calice distincto a calice Missae positae erant, tunc Celebrans particulas consecratas, antequam eas ponat in tabernaculo, ingerit in pyxidem purificatam ut supra; deinde calicem vacuum purificat simul cum calice Missae.

Si pyxis pro susceptione Hostiarum neoconsecratarum destinata praevie purificanda sit, particulae in tabernaculum immittuntur peracta purificatione pyxidis i. e. post sumptionem ss. Sanguinis. Quod obtinet etiam in casu, si Communio fidelibus danda sit ex Hostiis sive noviter consecratis sive ex praeconsecratis. Recole reg. gen. 8.

242. Si tabernaculum non habeatur in altari, tunc positis post sumptionem Hostiae sacrificii particulis

debita cum genuflexione in pyxide, Celebrans pyxidem velo suo coopertam relinquit in loco suo super corporali. Sanguine Christi sumpto et purificatione peracta ante ablutionem digitorum eam in medio corporali collocat et deinceps se geret sicut in Missis coram exposito Sanctissimo, sed ad ultimum Evangelium altare non signat sed tabellam, si commode possit, vel librum et seipsum.[9] Calicem Missae extersum velo tantum non bursa cooperit eumque collocat non in medio altaris, sed juxta corporale versus cornu Evangelii. Finita Missa accipit velum humerale et comitante lumine portat pyxidem ad altare tabernaculi. Quae translatio fit sine thurificatione. Deposita in eo pyxide genuflectit, sine mora tabernaculum aperit, pyxidem in eo reponit, genuflexione simplici facta ostiolum claudit et velum deponit. Redux ad altare, ubi celebravit, corporale complicat, in bursam immittit et calicem defert in sacristiam more solito.[10]

§ 3. De Hostia majore consecranda pro Ostensorio.

243. Ante Missam Celebrans hostiam majorem pro ostensorio destinatam ponit vel in patena simul cum hostia sacrificii vel in lunula,[1] maxime si postea in ea difficile adaptari queat. Lunulam cum hostia locat super corporale juxta calicem a parte Evangelii, ibique eam relinquit usque ad Communionem inclusive, quo tempore immitti debet in ostensorium sicut dicetur. Ad Offertorium offert eam simul cum hostia sacrificii, non tamen elevat eam, nisi posita sit in patena, intentionem tamen in utroque casu dirigit ad eam. Oblatione facta deponit eam de patena in corporali calicem inter et hostiam sacrificii aut juxta hanc a parte Evangelii. Verba Consecrationis profert cum intentione consecrandi etiam hostiam pro ostensorio, quin eam elevet.

[9] *Rit. cel.* miss. X. n. 7.; *Gavantus*, Thesaur. pars. 2. tit. 10. n. 7. — [10] Sacra Liturg. Edit. Mechlin., Tract. de celebr. ss. miss. sacrif. pg. 227.; *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 278. ad II.

[1] *S. R. C.* 4. Sept. 1880 ad 6. n. 3524.

244. Circa depositionem ostensorii cum Hostia noviter consecrata in tabernaculo distinguendus est duplex casus. Hostia immittitur: vel *a)* in ostensorium jam vacuum vel *b)* in ostensorium continens adhuc Hostiam renovandam. Si primum, ostensorium cum nova Hostia reconditur in tabernaculo ante sumptionem ss. Sanguinis;[2] si secundum, post ejusdem sumptionem. In utroque casu caveat Sacerdos, ne in aptanda lunula pollices et indices unquam disjungat, nisi quum sacrosanctam Hostiam apprehendere debeat.

In primo casu Celebrans peracta post sumptionem Hostiae debita meditatione accipit ostensorium ante Missam super altari versus cornu Evangelii collocatum vel (in Missa solemni) per Subdiaconum de credentia allatum, lunulam inde extrahit et, genuflexione facta (reg. gen. 7.), Hostiam alteram in ea adaptat et in ostensorium immittit. Si Hostia in lunula jam sit praeparata (in ea consecrata), praemissa genuflexione (reg. gen. 7.) statim lunulam cum Hostia ingerit in ostensorium, hoc ipsum autem facta prius genuflexione in tabernaculo recondit. Deinde colligit fragmenta eaque in calicem immittit et prosequitur Missam de more.

In altero casu Celebrans post sumptionem ss. Sanguinis tabernaculum aperit, genuflectit, ostensorium extrahit et tabernaculum claudit. Deinde extractam ex ostensorio lunulam, desumpta ex ea Hostia renovanda, purificat, de qua purificatione sermo erit in sequentibus n. **248.** De cetero se gerit ut in primo casu. Recondito in tabernaculo debitis cum reverentiis ostensorio, Hostiam veterem reverenter sumit, quin se signet, corporale et patenam extergit, se purificat et Missam prosequitur.

Si tabernaculum non habeatur in altari, observanda sunt dicta n. **242.**, mutatis mutandis.

---

[2] Si intra Missam Communio sit distribuenda, praestat ostensorium cum Hostia neoconsecrata in tabernaculum ingerere post sumptionem ss. Sanguinis, quum extrahitur pyxis pro Communione distribuenda. Vide reg. gen. 8.

Caput III.

De Vasorum sacrorum purificatione.

§ 1. Regulae generales circa Vasorum sacrorum purificationem.

245. — 1. Pyxis (ciborium) purificanda est toties, quoties sacrae Species renovantur, ergo regulariter singulis hebdomadis. Recole n. **240.** reg. gen. 1. Quod valet etiam de lunula purificanda. Ratio est, ne fragmenta longius in pyxide vel lunula remanentia corrumpantur.

2. Purificatio fieri debet semper intra Missam, idque post sumptionem pretiosissimi Sanguinis, sive in pyxide purificanda adsint Hostiae minores integrae sive non.[1] Si nullae adsint particulae integrae, sed tantum fragmenta, haec in calicem mitti possunt ante sumptionem Sanguinis, ut cum eodem sumantur; si autem supersint Hostiae (particulae) integrae, non imponuntur Hostiis neoconsecratis, sed ante purificationem pyxidis vel distribuuntur fidelibus vel, si nulli adsint communicandi, sumuntur ab ipso Celebrante post sumptum Sanguinem.[2]

3. Antequam in pyxidem purificandam vinum infundatur, fragmenta in ea dispersa indice manus dexterae colligenda et in calicem sacrificii immittenda sunt, quo facto demum vinum infunditur purificandi causa.

4. Si in pyxidem purificandam statim Hostiae neoconsecratae ingerendae sint, sufficit unica purificatio cum vino; si autem particulae consecratae statim ingerendae non sint, praestat ad majorem cautelam etiam digitorum ablutionem facere supra pyxidem.[3]

---

[1] *Eph. lit.* 1897 pg. 362. sq. — [2] *Rit. Rom.* De ss. Euch. Sacr. cap. 1. n. 7. Cf. *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 282. sub 2. ad 5. Si particulae sint numerosae, ut modo a Celebrante consumi nequeant, in alio vase (pyxide) serventur, ut quamprimum distribuantur vel consumantur. — [3] *Herdt*, l. c.; Sacr. Liturg. Edit. *Mechlin.* Tract. de celebr. ss. miss. sacrif. pag. 229. nota 1.

5. Purificatio et ablutio non sunt sumendae ex pyxide, sed in calicem sacrificii infundendae et ex eo hauriendae.

6. Pyxis purificata suo velo non obtecta ponitur extra corporale, non purificata super corporale, nec ante hanc genuflectendum est non obstantibus sacris fragmentis, quae in illa continentur.[4] Si autem in ea sint particulae (Hostiae) integrae, etsi una tantum, reverentia debita eis est exhibenda per genuflexionem.

7. Purificatorium post purificationem pyxidis modo inverso est plicandum nec amplius adhibendum, donec fuerit lotum.[5]

§ 2. De Modo purificandi.

246. Si duae adsint pyxides, altera continens particulas modo consecratas, altera autem purificanda, Celebrans sumpto pretiosissimo Sanguine patenam et calicem Missae palla coopertum ponit versus cornu Evangelii super corporale, aperit tabernaculum, genuflectit et extrahit pyxidem purificandam ponitque in corporali, pyxidem alteram cum particulis noviter consecratis vero mittit in tabernaculum, quod genuflexione praemissa iterum claudit. Quo facto pyxidem purificandam discooperit et genuflectit, si integrae particulae in ea reperiantur (reg. gen. 6.), quas vel ipse sumit vel communicandis, si qui sint, distribuit (reg. gen. 2.). Exinde pyxidem sinistrâ tenens ad nodum indice dextero colligit fragmenta in ea dispersa (reg. gen. 3.), eaque ad oram pyxidis adducta in calicem immittit et digitos super calicem diligenter abstergit. Pyxidem dexterâ praesentat ministro ad infundendum vinum dicens more solito: *Quod ore sumpsimus etc.*,[1] vinum in pyxide super corporale semel

[4] Si talem pyxidem cum sacris fragmentis transferri contingat vel in tabernaculo alioquin vacuo recondi, non transfertur cum stipatione luminum nec lumen accenditur ante tabernaculum hujusmodi. *Cavalieri*, Comment. tom. 4. cap. 4. decr. 13. n. 7. — [5] *Herdt*, l. c.; *Falise*, Lit. pract. comp. pg. 67. edit. 1876, qui dicit, id decere saltem.

[1] Juxta alios potest dicere *Quod ore sumpsimus etc.* immediate ante sumptionem purificationis.

iterumque circumactum e pyxide infundit in calicem (reg. gen. 5.). Deposita pyxide, dexterâ accipit calicem, sinistrâ patenam et sumit purificationem cum fragmentis. Reposito calice in loco suo, iterum accipit pyxidem uti alias calicem pro ablutione facienda, et super eam in cornu Epistolae more solito abluit digitos vino et aqua dicens: *Corpus tuum Domine etc.* et tergente indice pyxidem interius totaliter abluit. Abstersis digitis reversus in medium altaris ablutionem e pyxide effundit in calicem et sumit (reg. gen. 5.). Qua sumpta purificatorio extergit prius calicem Missae, dein pyxidem, quam operculo suo clausam extra corporale collocat (reg. gen. 6.) versus cornu Evangelii et Missam prosequitur.

247. Si una tantum sit pyxis, ideoque Hostiae neoconsecratae statim in illam sint mittendae, sufficit unica purificatio cum vino tantum (reg. gen. 4.). Celebrans igitur explet omnia, quae in numero praecedenti dicta sunt de extrahenda pyxide e tabernaculo et de colligendis in ea fragmentis iisque in calicem gerendis. Infuso tum a ministro vino, dicente interim Celebrante: *Quod ore sumpsimus etc.*, Celebrans illud in pyxide supra corporale circumagit et indice tergente totam pyxidis partem interiorem abluit. Quo facto indicem purificatorio abstergit, vinum e pyxide in calicem fundit et ante ejus sumptionem pyxidem purificatorio diligenter exsiccat. Dein genuflexione praemissa[2] novas Species in eam immittit, pyxidem claudit, in tabernaculo reponit, cujus ostiolum praevia genuflexione obserat, quo facto colligit fragmenta in loco, ubi Hostiae erant positae, eaque simul cum purificatione sumit prosecuturus exinde Missam de more.[3]

248. Praeter pyxidem purificanda est etiam lunula ostensorii toties, quoties Hostia in ea renovatur (reg. gen. 1.). Etiam haec purificatio fit post sumptionem ss. Sanguinis. Vide n. **244.** Collocato igitur calice palla tecto versus cornu Evangelii in corpo-

[2] *Rit. cel.* miss. X. n. 5. — [3] *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 278. et n. 282.

rali, Celebrans tabernaculum aperit, genuflectit, ostensorium extrahit et tabernaculum, nulla praemissa genuflexione, claudit. Desumpta ex ostensorio lunula cum Hostia vetere, Celebrans ante omnia bene inspiciat interiorem ostensorii partem, si fragmenta quaedam forte illi adhaereant, quae si invenerit, digito diligenter extrahat et sumat, ne deperdantur aut corrumpantur. Postea lunulam, si possit, adaperiat eamque, demissa inde Hostia vetere vel in corporale vel in patenam, indice dextero super patenam extergit a fragmentis; si autem aperiri nequeat, eam saltem decenter excutiat supra patenam meliori quo potest modo. Dein Hostiam novam, praemissa genuflexione[4] in ea imponat et ostensorium clausum more solito debitis cum reverentiis in tabernaculum immittat; alioquin ostensorium vacuum extra corporale versus cornu Evangelii collocet. Quo facto Hostiam ex ostensorio extractam supra patenam in duas partes aequales dividat et sumat eo modo, quo sumpserat Hostiam sacrificii, nihil tamen dicendo nec cum eadem sese signando. Postremo colligit fragmenta eaque in calicem immissa simul cum purificatione sumit Missamque prosequitur more solito.

Caput IV.

De sacris Vasibus Vestibusque attingendis et lavandis.

249. Distinguendum, utrum sint vasa vacua necne. Si non sint vacua, quia actualiter continent ss. Sacramentum, extra casum necessitatis aut periculum profanationis absque peccato mortali ea nulli tangere licet, nec mediante velo, praeterquam Sacerdoti et Diacono. Si autem sunt vacua i. e. destinata quidem ad recipiendum Ss. Sacramentum, quod tamen actualiter non continent, iterum distinguendum, utrum tangenda sint ante vel post eorum usum sacrum.

Post eorum usum, quia immediate Sanctissimum attigerunt, vasa vacua, uti calicem, patenam,

[4] *Rit. cel.* miss. X. n. 5.

ciborium, lunulam, praeter Sacerdotem et Diaconum nuda manu tangere licet Subdiacono tam intra quam extra altaris ministerium; Clericis id licet extra ministerium hujusmodi,[1] in ipso altaris ministerio autem tantum, quantum iis per decretum *S. R. C.* de 14. Mart. 1906 conceditur. Vide n. **66.** reg. gen. 5. et n. **67.** ad 5. et 6. et n. **70.** ad 3. Accedente aliqua causa ex privilegio Sixti IV. vasa sacra attingere licet etiam sacristis regularibus laicis, necnon sacristis monialibus. Ceteris laicis vero id non licet, nisi in casu necessitatis vel obtento indulto apostolico,[2] et etiam tunc nonnisi mediante velo, sed hoc sub veniali tantum.

Ante usum a laicis tangi possunt: ciborium, ostensorium, lunula, licet modo benedicta, imo ostensorium post usum, quia sacras Species immediate non attingit. In casu reparationis quaecunque vasa sacra a laicis licite tangi possunt, quia adest causa rationabilis.[3]

250. Ex quibus sequentes emanant regulae:

1. Sacerdotibus et Diaconis quaecunque sacra vasa, etiam ss. Secramentum actualiter continentia, tum intra tum extra altaris ministerium semper et ubique tangere licet. Subdiaconis id licet tantum, si sint vasa vacua.

2. Clericis, etsi tonsuratis tantum, vasa sacra vacua post eorum usum tangere licet tum extra tum intra altaris ministerium, excepto calice, qui in Missa cum cantu licet sit vacuus, ante Offertorium a Clerico nec mundandus nec Celebranti tradendus, neque ab eodem post ablutionem abstergendus est, excepta etiam patena, quae ante Offertorium a Clerico Celebranti tradenda non est. Si autem vasa non sint vacua, ea a Clericis tangi non licet, excepto casu necessitatis.

---

[1] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 1. (*Eph. lit.* 1907 pg. 67.) — [2] *S. R. C.* ibid. Cf. *S. R. C.* 1. Febr. 1907 ad 15. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 263. sq.) — [3] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 175.; *Müller*, Theol. mor. vol. II. § 78.

3. Sacristis regularibus laicis ex causa quacunque rationabili vasa vacua extra altaris ministerium etiam post eorum usum tractare licet.

4. Laicis, qui non sunt sacristae regulares, extra casum necessitatis aut obtenti indulti apostolici vasa sacra solummodo ante eorum usum tangere licet praeter ostensorium, quod etiam post usum licite a laicis tangi potest. Quapropter vix excusantur Sacerdotes permittentes, ut ab aedituis laicis regulariter et quasi ex officio calix ad celebrandum praeparetur, quum id sit officium ipsius Celebrantis[4] et privilegium Clericorum saltem tonsuratorum ac aliorum indulto apostolico vasa sacra tangendi instructorum.[5]

251. Vestes sacras sacraque lintea cuique tangere licet, exceptis corporali, palla et purificatorio, quae quum in celebratione adhibita fuerint, extra necessitatem aut obtentam licentiam, sub veniali licite tangi non possunt, nisi a quibus vasa sacra vacua tangi permittuntur, ergo a Sacerdote, Diacono, Subdiacono et Clericis,[6] et ex privilegio etiam a laicis sacristis regularibus. Ante usum tamen et post primam lotionem a laicis quibusvis tangi, ulterius lavari et refici possunt.

252. Prima lotio corporalium, pallarum et purificatoriorum, exclusis laicis et monialibus,[7] omnino fieri debet a Sacerdote, Diacono vel saltem Subdiacono,[8] idque in vase huic tantum usui destinato et aqua lotionis in sacrarium fundenda. Nunquam licet, nec post primam aut secundam lotionem, lintea sacra lavare cum linteis usui domestico inservientibus.[9]

---

[4] *Rit. cel.* miss. I. n. 1., ubi dicitur de Celebrante: „Deinde praeparat calicem". — [5] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 1. et 1. Febr. 1907 ad 15. Erem. Camald. — [6] *S. R. C.* ibid. — [7] *S. R. C.* 12. Sept. 1857 ad 26. n. 3959., ubi etiam edocemur, licentiam hujusmodi ne quidem Episcopos dare posse monialibus. — [8] *Eph. lit.* 1890 pg. 129., ubi etiam probatur, hanc lotionem intra sanctuarium i. e. in sacristia fiere debere. — [9] Cf. *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 171.

Tractatus IV.

De Missa solemni et cantata.

Caput I.

Observationes generales circa Missam solemnem.

253. — 1. Ante Missam solemnem in sacristia thus imponere in thuribulum non praescribitur a Rubricis, utpote quae injectionem thuris fieri volunt solummodo ante Missam pontificalem in casu, quo Pontifex paramenta sumpsit, non ad altare celebrationis, sed in sacristia vel in capella.[1] Si nihilominus quacunque de causa, e. g. ob vigentem consuetudinem ante Missam solemnem thus imponendum sit, fiat, quum hoc directe non sit prohibitum.[2]

2. Intra Missam necessario adhibetur thus, ita ut nunquam liceat absque thurificatione celebrare Missam solemnem, etsi sit de Requie.[3] Neque licet hujusmodi Missam celebrare sine Ceroferariis, duobusque tantum cereis accensis in altari.[4]

3. Non licet nec Celebranti nec Ministris sacris in accessu ad altare deferre crucem sic dictam pacificalem, etiamsi in ea inclusa inveniatur Reliquia s. Crucis.[5] Improbandus autem non videtur usus immemorabilis aliquibus in ecclesiis vigens, ut scilicet in accessu ad altare post Thuriferarium sequatur Clericus crucem hastilem deferens inter duos Ceroferarios, postremo Ministri sacri et Celebrans.[6]

---

[1] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 23. 25. — [2] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 306. not. 1.; *Hartmann*, § 171 ad II.; *Eph. lit.* 1894 pg. 428., quae hanc praxim dicunt esse non contra sed praeter Rubricas eamque vigere in pluribus ecclesiis tam intra quam extra Urbem. Vide etiam *Falise*, Liturg. pract. Com. pg. 140. nota 2. — [3] *S. R. C.* 29. Nov. 1856 ad 6. n. 3039. — [4] *S. R. C.* 2. Maj. 1900 ad 2. Tirasonen. (*Eph. lit.* 1900 pg. 459.) — [5] *S. R. C.* 27. Jan. 1883 ad 2. n. 3569. — [6] *Eph. lit.* 1888 pg. 90. ad III., hunc usum probant et laudant. In Urbe ipsa in Basilicis majoribus: ad s. Petrum in Vaticano, ad s. Joannem in Laterano, ad s. Mariam Majorem haec consuetudo viget.

4. Cantantur a Celebrante in Missa solemni: *a)* intonationes *Gloria in excelsis Deo* et *Credo in unum Deum; b)* salutationes *Dominus vobiscum,* ea excepta, quae dicitur in principio Missae post Confessionem; *c)* invitationes *Oremus* praeter eam, quae dicitur in exordio Missae post Confessionem; *d)* Orationes tum Collectae tum Postcommuniones cum suis conclusionibus; *e)* Praefatio; *f)* conclusiones *Per omnia saecula saeculorum* etiam ante *Pater noster* et ante *Pax Domini; g)* tota Oratio Dominica cum immediate praecedentibus; *h) Pax Domini sit semper vobiscum.*[7]

Hisce exceptis alia omnia, quae in Missa privata dicenda sunt clara voce, in Missa solemni a Celebrante dicuntur voce submissa.[8] Secreta autem voce utitur Celebrans in recitandis iis omnibus, quae secreto dicuntur in Missa privata. Consuetudo, ex iis quae cantari debent alia cantandi alia recitandi, abusus est eliminandus.[9]

5. Juxta Rubricas[10] Celebrans cum Ministris in Missa solemni potest sed non debet sedere, dum cantatur *Kyrie, Gloria* et *Credo,* juxta Decreta[11] sedere potest etiam, dum cantatur a Subdiacono Epistola et a cantoribus Graduale, Tractus ac Sequentia.

Acceditur ad sedem via breviori seu per gradus laterales et tunc a Celebrante post dictum *Kyrie* ante discessum nulla fit reverentia versus Crucem aut ss. Sacramentum inclusum ex cornu Epistolae, post dictum Hymnum angelicum et Symbolum vero inclinatio capitis Cruci vel genuflexio simplex Sanctissimo incluso ante medium altaris in suppedaneo.

---

[7] Dum Chorus respondet, non est prosequenda Missa, licet Minister assistens submissa voce respondeat, sed exspectandum, donec Chorus responsum expleverit. Cf. *Eph. lit.* 1899 pg. 736. sq. et *S. R. C.* 14. Maj. 1861 ad 1. n. 3104. Et multo minus Symbolo intonato et recitato, pergendum est a Celebrante ad Offertorium, dum a cantoribus Symbolum decantatur. *S. R. C.* 11. Dec. 1909 Curien. *Eph. lit.* 1910 pg. 193. — [8] *Rub. gen.* miss. XVI. n. 3. — [9] *S. R. C.* 14. Maj. 1861 ad 1. n. 3104. et 3. Jun. 1904 ad 2. Tergest. Justinop.; *Eph. lit.* 1906 pg. 66. sq. — [10] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 6. — [11] *S. R. C.* 16. Mart. 1591 ad 6. n. 9.

Si vero ex aliqua causa, e. g. propter situm sedis[12] per viam longiorem seu per gradus anteriores accedendum sit ad sedem, tunc Celebrans facta in suppedaneo capitis inclinatione, sive adsit Sanctissimum in tabernaculo sive non, descendit in planum ibique facit capitis profundam inclinationem Cruci vel genuflexionem simplicem in infimo[13] gradu Sanctissimo sive incluso sive exposito, dein procedit ad sedem. — Infra sessionem caput tegitur bireto, nisi expositum sit Sanctissimum vel facienda inclinatio aut genuflexio, quibus in casibus detegitur[14] et biretum dexterâ prope genu dexterum tenetur, sed reddens salutationem Ministris sacris Celebrans paulisper inclinat caput apertum vel coopertum, prout fert consuetudo.[15] Manus infra sessionem tenentur extensae super genua. — Receditur a sede ad altare semper via longiori, facta a Celebrante in gradu infimo genuflexione vel tantum inclinatione ut supra. Ad sedendum nudo capite pergendum est et inde regrediendum.

6. Si in accessu ad altare ante Missam vel in recessu ab eodem post Missam salutandi sint magistratus aliique saeculares in propriis locis congregati, praestetur eis in transitu debita salutatio tum a Celebrante tum a Ministris paramentis indutis per infimam capitis cooperti inclinationem.[16]

Caput II.

De Aspersione aquae benedictae in Dominicis.

254. Quomodo et quando Aspersio aquae benedictae facienda est?

1. Aspersio aquae benedictae triplici modo fieri potest: vel *a)* per aspersionem stricte talem, mo-

[12] Si sedes non in cornu Epistolae, sed in anteriori parte presbyterii locatae essent, per gradus anteriores descenderent (Celebrans et Ministri) et nonnisi super infimum gradum genuflecterent. — [13] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 47. n. 2682. — [14] *S. R. C.* 21. Mart. 1676 ad 1. n. 1563. et 12. Nov. 1831 ad 13. n. 2684. et 27. Jul. 1878 ad 3. n. 3457. — [15] *R. R. C.* 18. Aug. 1877 ad 5. n. 3434. — [16] *S. R. C.* 27. Aug. 1836 ad 4. n. 2753.

vendo scilicet aspersorium madefactum versus rem personamve aspergendam; vel *b)* per contactum, porrigendo scilicet aspersorium personae aspergendae, quae illud in parte madefacta apice digitorum mediorum manus dexterae tangit et digitis madidis sese signat; vel *c)* per traditionem, tradendo scilicet aspersorium aqua benedicta perfusum in manus personae aspergendae, quae illud fronti suae leviter applicat. Quaenam ex his aspersionibus in singulis casibus adhibenda sit, suis locis tradetur.

2. Aspersio aquae, de qua hic sermo, praescripta est tantum ante Missam conventualem, quae in ecclesiis collegialibus diebus Dominicis canitur sive cum sive absque Ministris sacris, sicut S. R. C. ipsa declaravit.[1] In aliis ecclesiis diebus praefatis fieri potest[2] et plerumque ex mandato Ordinarii vel ex consuetudine vigente fieri solet ante Missam parochialem, sive lectam sive cantatam. Facienda est tantum in Dominicis,[3] licet in eis Festum aliquod celebretur, minime vero in Festis quantumvis solemnibus extra Dominicam occurrentibus. Omittenda est in Dominicis ante Missas, quas Episcopus solemniter celebrat,[4] quia Episcopus in adventu suo ad portam ecclesiae populum aspergit, quod sufficit. In Dominica Palmarum et in Festo Purificationis B. M. V. occurrentibus in Dominica aspersio fit ante palmarum et candelarum benedictionem,[5] nisi Episcopus ipse peragat has benedictiones, quia tunc omittitur[6] ex ratione modo allata. Absque privilegio apostolico[7] haec aspersio peragi non potest nisi per Celebrantem ipsum,[8] etiamsi sit prima Dignitas,[9] quia

[1] *S. R. C.* 15. Dec. 1899 ad 1. n. 4051. — [2] *S. R. C.* ibid. — [3] *S. R. C.* 31. Jul. 1665 ad 3. n. 1322. — [4] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 31. n. 4. — [5] *Rub. spec.* miss. Dom. Palm.; *Cavalieri*, tom. 4. cap. 12. decr. 19. n. 7 et cap. 23. decr. 2. n. 2. — [6] *S. R. C.* 11. Febr. 1702 ad 3. n. 2089. — [7] Cf. *S. R. C.* 22. Mart. 1862 n. 3111. et 18. Jul. 1902 ad 3. Queretaro (*Eph. lit.* 1902 pg. 497.). — [8] *Rub. miss.* spec.; *Caer. Ep.* l. c. n. 3.; *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 11. n. 2684. et 29. Nov. 1856 ad 5. n. 3039. et 11. Jul. 1857 n. 3055. — [9] *S. R. C.* 15. Sept. 1753 ad 11. n. 2425.

pertinet ad sacrificium atque unum idemque cum Missa constituit. Fieri debet juxta dispositionem Rubricae missalis cum aqua praevie in ipsa Dominica[10] ab ipso Celebrante vel ab alio Sacerdote in ecclesia vel in sacristia[11] benedicta. Exposito ss. Sacramento in altari, in quo celebratur, aspersio aquae fieri debet ut alias, omissa tamen aspersione altaris.[12] Ictus ipse aspersionis fieri debet hic et ubique demittendo aspersorium a superiori parte ad inferiorem, non ab inferiori ad superiorem.[13]

255. Aspersio facienda a Celebrante solo sine Ministris sacris.

Celebrans indutus alba et stola[14] coloris Missae in modum crucis[15] ante pectus aptata ac etiam, si habeatur, pluviali ejusdem coloris, sine manipulo, capite cooperto more solito procedit ad altare, ubi, capite detecto reverentia debita facta, in infimo gradu utroque genu flexus, etiam tempore paschali, accipit aspergillum madefactum et intonat *Asperges me* vel tempore paschali *Vidi aquam.* Interim i. e. dum intonat,[16] aspergit altare, scilicet stipitem (non mensam) altaris *a)* in medio, *b)* versus cornu Evangelii et *c)* versus cornu Epistolae, deinde seipsum, aspergilli summitatem fronti suae applicando. Postea surgit, aspergit ministrum genuflexum (et Clerum, si adsit) et facta ante altare reverentia per profundam capitis inclinationem vel per simplicem genuflexionem in primo gradu, prout in altari est sola Crux vel Sanctissimum inclusum aut expositum, sinistrâ pectori admota, dexterâ aspergillum tenens, ac prosequens submissa voce antiphonam et psalmum *Miserere* vel tempore paschali psalmum *Confitemini* quoadusque

[10] Excepta Dominica Paschae et Pentecostes, in quibus fit aspersio cum aqua pridie in fonte baptismi benedicta et ante infusionem Olei et Chrismatis accepta. Ordo ad. fac. aqu. bened. in missal. — [11] *Ritual.* Ord. ad fac. aqu. ben. — [12] *S. R. C.* 18. Jul. 1885 ad 2. n. 3639. — [13] *S. R. C.* 12. Maj. 1905 ad 7. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1905 pg. 465.) — [14] *S. R. C.* 11. Sept. 1847 ad 3. n. 2951. et 7. Dec. 1888 ad 8. n. 3697. — [15] *S. R. C.* 30. Sept. 1679 ad 3. n. 1637. — [16] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 31. n. 3 sic. habet: intonando ter altare aspergit.

durat aspersio,[17] accedit ad cancellos[18] presbyterii prope aditum, vel, si expositum sit Sanctissimum, aliquantulum versus cornu Evangelii, et aspergit populum tribus ictibus, scilicet *a)* in medio, *b)* ad sui sinistram et *c)* ad sui dexteram, facta unica inclinatione ante primum et post ultimum ictum.[19] Finita aspersione abrumpit recitationem psalmi, dicto *Gloria Patri etc.* repetit[20] submissa voce antiphonam et aspergillum reddit ministro. Reversus ad altare et facta ibi debita reverentia i. e. inclinatione capitis profunda Cruci vel genuflexione simplici in infimo gradu Sanctissimo sive incluso[21] sive exposito, stans ante infimum gradum post repetitam a Choro[22] antiphonam, in tono feriali cantat versus et Orationem. Deposito deinde pluviali et assumpto manipulo cum casula, ut in numero sequenti dicetur, incipit Missam.

In ecclesiis minoribus, in quibus Missa parochialis cantari non solet, aspersio aquae benedictae fieri potest legendo ea, quae in aliis ecclesiis cantantur.

256. Aspersio facienda a Celebrante cum Ministris sacris:

Celebrans indutus, ut supra n. **255.** dictum est, more solito cum Ministris accedit ad altare. Si ob defectum pluvialis alba tantum et stola sit indutus, Ministri sacri in aspersione assistunt sine dalmatica et tunicella.[23] Ad altare, detecto capite reverentia facta de more, Celebrans cum Ministris utrumque

---

[17] Cf. *Schober*, Caer. art. 7. not. 35. Si psalmum *Confitemini* memoriter non teneat, non ideo substituat psalmum *Miserere*, sed dumtaxat antiphonam cum primo versu psalmi et *Gloria Patri* recitet. *Eph. lit.* 1905 pg. 558. — [18] *S. R. C.* 12. Sept. 1884 ad 4. n. 3621. — [19] *S. R. C.* 27. Sept. 1698 ad 4. n. 2013. Si talis adsit consuetudo, aspersio populi fieri potest etiam procedendo per principalem navim ecclesiae, incipiendo a cornu Epistolae et per cornu Evangelii redeundo. *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 2. n. 3114. Cf. *Eph. lit.* 1898 pg. 58. — [20] *S. R. C.* 7. Jul. 1876 ad 5. 6. n. 3402. — [21] Si ob locorum adjuncta (angustiam presbyterii) a gradibus altaris non elongetur, nullam facit reverentiam. *S. R. C.* 1. Febr. 1907 ad 4. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 262.) — [22] *S. R. C.* 7. Jul. 1876 ad 6. n. 4302. — [23] *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 133.

genu flectit in infimo gradu, etiam tempore paschali. Accepto a Diacono aspergillo, antiphonam intonat et altare aspergit, observans omnia, quae dicta sunt in numero immediate praecedenti.

Post aspersionem sui ipsius surgit et erectus aspergit[24] prius Diaconum et deinde Subdiaconum[25] adhuc genuflexos. Facta altari debita reverentia i. e. profunda capitis inclinatione Cruci, vel simplici genuflexione in primo gradu Sanctissimo tam recondito quam exposito, medius inter Ministros sacros fimbrias pluvialis sublevantes, procedit a latere Epistolae[26] ad chorum, ubi omnes de choro salutat ad utramque partem, nisi expositum sit Sanctissimum, et accepto a Diacono aspergillo aspergit primo in eo latere chori, in quo dignior est, singillatim[27] Dignitates et Canonicos unico ictu, facta unicuique post aspersionem capitis inclinatione; tum accedit ad latus oppositum chori ibique eodem prorsus modo Dignitates et Canonicos aspergit. Deinde in eodem chori latere aspergit singulos de Clero, si sint in parvo numero, eodem ac Canonicos modo; si vero in magno numero sint, omnes unico ictu quasi in gyrum[28] aspergit, quod facit etiam in altera chori parte. Aspersione chori peracta et Choralibus ab utraque parte debita inclinatione facta, nisi expositum sit ss. Sacramentum, reversus ad altare a latere Evangelii[29] aspergit Clericos stantes ad credentiam, omnes unico ictu, et facta reverentia altari progreditur associatus a Ministris[30] ad cancellos presbyterii ad aspergendum

[24] Ministris sacris aliisque omnibus aqua benedicta danda est per aspersionem, non per contactum. *S. R. C.* 27. Sept. 1698 ad 2. n. 2013. — [25] Diaconus et Subdiaconus, etiamsi sint simplices sacerdotes, aspergendi sunt ante Canonicos et Clerum in choro, quia unum quasi corpus cum Celebrante constituunt. Decretum *S. R. C.* 26. Jan. 1664 Pharen. sententiae oppositae favens, e nova collectione authentica exulavit. — [26] *S. R. C.* 7. Dec. 1844 ad 1. n. 2867. Supponitur chorus post altare. Si sit ante altare, transeundo ab uno latere chori ad alterum, in medio ante illud debitam facit reverentiam. — [27] *S. R. C.* 27. Sept. 1698 ad 4. n. 2013. — [28] *S. R. C.* ibid. — [29] Vide notam 26. — [30] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 31. n. 4.; *S. R. C.* 31. Jul. 1665 ad 12. n. 1322.

populum ut supra.[31] Infra aspersionem Cleri et populi Celebrans alternatim cum Ministris[32] recitat submissa voce antiphonam et psalmum juxta diversitatem temporis, ut jam dictum est in numero praecedenti. Aspersione absoluta Celebrans ad altare cum Ministris revertitur, ibique facta debita reverentia (vide num. praec.), choro silente, stans[33] et, si ipse non teneat librum, manibus ante pectus junctis in tono feriali cantat versiculos et Orationem praescriptam. Postremo deponit pluviale et accipit manipulum et casulam in sacristia[34] vel ad scamnum[35] vel ad abacum[36] vel in cornu Epistolae[37] vel ante gradus in medio altaris,[38] dummodo casulam non accipiat de altari,[39] nec ss. Sacramentum in eo sit expositum,[40] nec adsit Episcopus.[41] Reversus subinde ad medium altaris factaque ibi profunda corporis inclinatione Cruci,[42] vel simplici genuflexione in infimo gradu Sanctissimo sive in tabernaculo recondito[43] sive palam exposito,[44] incipit Missam. Si casulam sumpserit in sacristia, reversus ad altare observet reverentias alias praescriptas pro primo accessu.

257. Aspersio aquae benedictae praesente Episcopo.

Omnia fiunt ut supra, observatis sequentibus:

1. Ante et post aspersionem Episcopi dioecesani ipsi reverentia debita est exhibenda a Celebrante per capitis et humerorum inclinationem profundam, a reliquis ministris per simplicem genuflexionem, nisi expositum sit Sanctissimum. Recole n. **104.** reg. gen. 7.

---

[31] Si talis vigeret consuetudo, populum per ecclesiam aspergere possent ministri ipsi, remanente Celebrante ad altare facie ad ipsum conversa. *S. R. C.* 2. Sept. 1597 ad 10. n. 86. — [32] *Rub. miss.* spec. — [33] *Rub. miss.* spec. ibid. — [34] Cf. *S. R. C.* 7. Sept. 1861 ad 16. n. 3108. — [35] *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 5. n. 3110. — [36] Cf. *S. R. C.* 1. Febr. 1907 ad 3. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 257. sq.) — [37] *S. R. C.* 7. Dec. 1888 ad 8. n. 3697. — [38] *S. R. C.* 4. Apr. 1699 ad 3. n. 2027. — [39] *S. R. C.* ibid. et 4. Apr. 1879 ad 4. n. 3491. — [40] Cf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 30.; *Merati*, pars 2. tit. 2. n. 15. — [41] *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 4. n. 3110. — [42] *Rit. cel.* miss. III. n. 1. — [43] Ibid.; *S. R. C.* 1. Febr. 1907 ad 3. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 257. sq.) — [44] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 47. et 49. n. 2682.

2. Episcopus Missae assistens, sive in throno sive in choro, immediate post aspersum altare ante Celebrantem aspersionem accipit.[45]

3. Soli Ordinario in sua dioecesi, Archiepiscopo in sua provincia et Cardinalibus ubique competit aspersio per traditionem aspergilli, ut se ipsos aspergant; ceteris omnibus Praelatis Episcopo inferioribus, etiam Abbatibus[46] et Episcopis extraneis vel non ordinariis[47] aqua lustralis semper danda est per aspersionem.[48]

4. Si Episcopus Missae assistat in throno, sive pontificaliter paratus sive cappa indutus, Celebrans absque Diacono et Subdiacono genuflexis ad altare remanentibus[49] et facta prius profunda capitis inclinatione Cruci altaris vel simplici genuflexione in infimo gradu ss. Sacramento sive incluso sive exposito, accedit ad Episcopum, cui aspersorium consuetis cum osculis porrigit. Ipse Episcopus primo seipsum, deinde Celebrantem coram ipso capite inclinato stantem, postea Presbyterum assistentem, si adsit, tum Diaconum assistentem primum, dein secundum, postremo reliquos solio adstantes aspergit.[50] Accepto e manu Episcopi cum osculis aspergillo factaque Episcopo debita inclinatione Celebrans redit ad altare, ubi, facta ibidem ut antea reverentia, Diaconum deinde Subdiaconum adhuc genuflexos aspergit et reliqua peragit more solito.

5. Si Episcopus assistat in primo stallo chori, ipse non solum Celebrantem accedentem, sed etiam Ministros sacros Celebrantem concomitantes aspergit.[51]

---

[45] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 31. n. 3. — [46] *S. R. C.* 11. Jul. 1857 n. 3055. — [47] *S. R. C.* 14. Apr. 1646 ad 3. n. 893. — [48] Saecularibus aqua lustralis per se neque per traditionem aspergilli neque per contactum danda est, sed tantum per aspersionem; ad avertendas tamen inutiles offensiones semper servetur consuetudo loci. Cf. *Carpo*, Caer. pars 2. n. 285.; *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 134. ad 1. — [49] Ratio est, quia decet, ut Celebrans minori cum pompa coram Episcopo procedat. *Bauldry*, pars 2. cap. 8. n. 16. — [50] *Caer. Ep.* l. c. — [51] *S. R. C.* 18. Jul. 1885 ad 4. n. 3639.

Caput III.

De Celebrante Missam solemnem.

258. — 1. Celebrans indutus sacris paramentis stans detecto capite versus Crucem sacristiae, ministrante Diacono naviculam et Thuriferario a dexteris Diaconi thuribulum, manu sinistra pectori admota, dextera ter thus mittit in thuribulum, dicens ad primam injectionem: *Ab illo benedicaris,* ad secundam: *in cujus honore,*[1] ad tertiam: *cremaberis. Amen.* Quo facto et restituto cochleari, jungit manus ante pectus et statim sinistrâ infra pectus posita, dexterâ signum crucis format super thus in thuribulo nihil[2] dicens. Recole dicta n. **253.** ad 1.

Incenso imposito, detectum caput Cruci sacristiae profunde inclinat atque Ministros salutantes inclinatione modica resalutat,[3] deinde capite cooperto cum Ministris progreditur ad altare. Quoties Aspersio locum non habet, ad ecclesiae ingressum paulisper subsistens detegit caput, biretum in sinistram transmittit, quam pectori applicat, dexterâ vero aqua benedicta a Diacono oblata vel immediate e vase praeparato sumpta se signat,[4] eadem dextera caput cooperit et ultimus procedit. Si transeundum sit ante Chorales, observet dicta n. **259.** Vide etiam n. **83.**

2. Quum ante infimum gradum pervenerit, stans inter Diaconum et Subdiaconum caput detegit, biretum Diacono tradit, ac facta Cruci altaris profunda corporis inclinatione, vel, si in tabernaculo clauso adsit ss. Sacramentum, facta in plano[5] simplici genuflexione, peragit (ritu n. **256.** descripto) Aspersionem aquae benedictae, si facienda sit, secus immediate Sacrum exorditur. Ad Confessionem profunde inclinatus proferens verba *Vobis fratres* et *Vos fratres,* aliquantulum se convertit primo ad Diaconum, de-

---

[1] *Honore,* non: *honorem.* Cf. *Eph. lit.* 1890 pg. 331. — [2] *Rit. cel.* miss. IV. n. 4.; *S. R. C.* 18. Dec. 1779 ad 10. n. 2515. — [3] *Martinucci,* lib. I. cap. 14. n. 101. — [4] *S. R. C.* 18. Jul. 1902 ad 3. Queretaro (*Eph. lit.* 1902 pg. 499.) — [5] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 47. n. 2682.

inde, quin se erigat aut pedes moveat, ad Subdiaconum, quod similiter facit, sed cum parva tantum capitis inclinatione, dum postea dicit *Misereatur vestri.*[6]

3. Dicto *Oremus* ascendit ad altare, quo osculato et dicta Oratione *Oramus te Domine* stans in medio, facie versa ad cornu Epistolae, incensum imponit modo supra explicato. Quo facto thuribulum accipit e manibus Diaconi et ad altare conversus Cruci altaris profunde caput inclinat, vel, si ss. Sacramentum in tabernaculo asservetur, genuflectit[7] et Crucem adolet tribus ductibus simplicibus (vel duplicibus) linea recta neque ad dexteram neque ad sinistram faciendis, morula interposita inter singulos ductus. Mox iterata inclinatione vel, propter inclusum ss. Sacramentum, genuflexione, incensat altare et quidem primo in latere Epistolae: *a)* ter super posteriorem partem mensae in ejus superficie atque in aequali distantia versus candelabra, procedendo a medio altaris usque ad cornu Epistolae; *b)* bis cornu Epistolae (demissa manu, non autem nimis demisso corpore) ad partem lateralem inferiorem et superiorem; *c)* ter anteriorem partem mensae in superficie versus medium, progrediendo a cornu Epistolae ad medium altaris. Incensat deinde in latere Evangelii: *a)* ter super posteriorem partem mensae in ejus superficie et in aequali distantia versus candelabra, procedendo a medio altaris usque ad cornu Evangelii; *b)* bis cornu Evangelii (ut supra) ad partem lateralem inferiorem et superiorem; *c)* ter anteriorem partem mensae in superficie versus medium, sicut in cornu Epistolae, sed non progrediendo plane usque ad medium altaris; *d)* frontem altaris in latere Evangelii, progrediendo usque ad medium altaris. Transeundo demum versus partem Epistolae frontem altaris a medio usque ad cornu Epistolae etiam ter thurificat. Ab-

[6] Cf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 31. — [7] *Rit. cel.* miss. IV. n. 6. Idem faciendum est coram palam exposita Reliquia s. Crucis, pretiosissimi Sanguinis et Instrumentorum Passionis Domini. Recole n. 151. ad 1.

soluta altaris incensatione thuribulum Diacono reddit nihil dicens et stans junctis manibus in suppedaneo ad cornu Epistolae, latus sinistrum habens versus altare, tribus ductibus incensatur a Diacono, cui post incensationem modica inclinatione respondet.[8]

Advertat autem Celebrans in hac altaris incensatione: *a)* ut eam peragendo nihil omnino dicat; *b)* ut nec corpus nec caput moveat, dum thuribulum ducit reducitque et, ut manum sinistram summitatem thuribuli tenentem, ex parte palmae pectori applicet, eamque sub tota incensatione immobilem teneat, dextera vero sola thuribulum sustineat et dirigat;[9] *c)* ut, dum incensando procedit, semper pedem altari proximum prius moveat quam alterum, nec plures faciat passus, quam det thuribuli ductus;[10] *d)* ut in thurificanda mensa altaris thuribulum non projiciat in altum, sed prope altaris superficiem in aequali distantia linea recta, non autem in modum semicirculi ducat;[11] *e)* ut, quotiescunque e medio altaris discedit vel in medio altaris transit, faciat vel simplicem genuflexionem vel profundam capitis inclinationem, prout tabernaculum cum Sanctissimo adest vel non;[12] *f)* ut in peragendis his genuflexionibus ad sustinendum corpus manum sinistram summitatem thuribuli tenentem ponat super altare, cavens ne thuribulum, cujus catenulas dextera tenet, antipendium tangat.

Si adsint Reliquiae aut Imagines Sanctorum cum vel sine Reliquiis inclusis,[13] Celebrans, incensata Cruce altaris factaque illi profunda capitis inclinatione vel Sanctissimo incluso simplici genuflexione, quin e medio discedat,[14] incensat absque praevia reverentia aut subsequente primum eas, quae

---

[8] *Martinucci*, l. c. lib. 1. cap. 14. n. 108. — [9] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 8. — [10] *Caer. Ep.* l. c. — [11] *Martinucci*, l. c. lib. 1. cap. 5. not. 5. nota *a.* — [12] *Rit. cel.* miss. IV. n. 4. 6. vide notam 7. — [13] *S. R. C.* 21. Mart. 1744 ad 3. n. 2375.; cf. *Eph. lit.* 1893 pg. 364. Quando super altari exstat praeter Crucem etiam Reliquia s. Crucis exposita, debet Celebrans utramque simul, non separatim, thurificare. *S. R. C.* 9. Jun. 1899 ad 1. n. 4026. — [14] *Rit. cel.* miss. IV. n. 5.

sunt a parte Evangelii duobus[15] ductibus, etiamsi fuerit major numerus Reliquiarum vel Imaginum,[16] dein, facta iterum inclinatione vel genuflexione ut supra, Reliquias vel Imagines a parte Epistolae collocatas item duobus ductibus. Tum nulla prorsus adjecta alia reverentia progreditur ad incensationem altaris in parte Epistolae ut supra.

4. Immediate post incensationem altaris et sui ipsius Celebrans conversus ad missale submissa voce legit Introitum, sicut in Missa privata, quo recitato permanens in cornu Epistolae alternatim cum Diacono et Subdiacono dicit *Kyrie eleison* more solito. Postea vadit ad medium altaris exspectans ibi finem cantus et organi, manibus interim junctis[17] ante pectus. Finito cantu organoque silente, Hymnum angelicum intonat.

Si propter longiorem cantus *Kyrie* protractionem voluerit sedere, observet ea, quae dicta sunt de sessione n. **253.** ad 5. Sub finem *Kyrie* cantati bireto deposito se confert ad altare, quod de more osculatur,[18] ibique stans in medio clara voce intonat: *Gloria in excelsis Deo,*[19] quem Hymnum cum Ministris submissa voce prosequitur. Si infra Hymni cantum fiat sessio, observat omnia, quae observanda sunt, ut dictum est, advertens, ut cum Ministris caput detectum inclinet, dum a choro cantantur ea, ad quae caput inclinandum. Quae inclinationes etiam faciendae sunt ad altare, quando sessio non fit.

5. Cantato Hymno *Gloria* organoque silente, vel, si non sit cantandus Hymnus, statim post can-

---

[15] *S. R. C.* 7. Jul. 1899 ad 3. n. 4044. — [16] Si una tantum Reliquia, sive in medio altaris sive in alterutro latere inter candelabra sit exposita, pariter duobus ductibus incensatur. — [17] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 314.; cf. *Eph. lit.* 1890 pg. 146. sq. — [18] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 19. n. 6. — [19] Hymnus angelicus intonatur in tono de B. M. V., quamvis dies solemniores sint, in Festis Deiparae, in omnibus Festis infra Octavam Nativitatis et Corporis Christi incidentibus et in genere quotiescunque Praefatio de Nativitate Domine in Missa vel doxologia *Jesu — qui natus* in Officio praescribitur. *S. R. C.* 25. Maj. 1877 Dub. 1. 2. 3. n. 3421. et 14. Jun. 1901 ad 4. 5. Ord. s. Benedict. (*Eph. lit.* 1901 pg. 402. sq.)

tatum *Kyrie*, Celebrans osculato altari more solito cantat *Dominus vobiscum* et accedit ad cornu Epistolae cantaturus Orationem vel Orationes praescriptas. Si ante Orationes a Diacono dicendum si *Flectamus genua*, Celebrans genu non flectit, sed cantato de more *Oremus* stat junctis ante pectus manibus.[20] Deinde cantat Orationem more solito, non omittens debitas inclinationes, sicut dictum est n. 84. ad 3.

6. Epistola, quam Celebrans cum Graduali et Tractu etc. submissa voce legit, a Subdiacono decantata, Celebrans permanens in eodem loco, ad Subdiaconum ante se genuflexum se convertit et sinistra pectori admota, ipsi dexteram in libro Epistolarum positam osculandam praebet, dein manus jungit et Subdiacono benedictionem largitur nihil dicens. Qua impertita accedit ad medium altaris, ubi dicit *Munda cor etc.* de more, dein vadit ad cornu Evangelii.

7. Si infra Epistolam, Graduale, Tractum, Passionem aut Evangelium genuflexio praescribatur, Celebrans non genuflectit, dum verba genuflexionem exigentia ipse pronuntiat, sed postea simul cum assistentibus totoque Clero in choro congregato, dum eadem verba a Subdiacono vel Diacono vel a cantoribus cantantur.[21] Si ergo infra Epistolam versus hujusmodi occurrant, ita lente Epistolam recitet, ut cum Subdiacono ad illa verba genuflectere possit. Si occurrant in Graduali vel Tractu a cantoribus cantando, Celebrans, benedictione Subdiacono post cantatam Epistolam impertita, statim ad medium altaris accedit ibique consistit cum Subdiacono, qui prius missale ad cornu Evangelii detulit, a sinistris, et cum Diacono a dexteris. Paulo ante cantum verborum genuflexionem exigentium Celebrans et Ministri sacri descendunt ad superiorem gradum ibique in ora suppedanei genuflexi permanent usque ad finem cantus verborum illorum. Deinde omnes assurgunt, Celebrans accedit ad medium

[20] *Rit. cel.* miss. V. n. 5. et *Rub. gen.* miss. XVII. n. 3. —
[21] *S. R. C.* 28. Apr. 1708 ad 4. n. 2184. et 29. Maj. 1900 ad 5. Urgellen. (*Eph. lit.* 1900 pg. 532.)

altaris ibique *Munda cor etc.* dicit, Subdiaconus ad missale in cornu Evangelii, Diaconus ad librum in cornu Epistolae relictum.[22]

8. Lecto submissa voce Evangelio, Celebrans missale non osculatur, ut alias, nec dicit: *Per evangelica dicta etc.*,[23] sed statim cum Ministris accedit ad medium[24] altaris, ubi dicto a Diacono: *Benedicite, Pater reverende* incensum imponit cum benedictione consueta: *Ab illo benedicaris etc.* ut supra ad 1. Quo facto ad altare se convertit junctis manibus exspectans Diaconum benedicendum. Cui genuflexo benedictionem petenti Celebrans ad eum conversus benedictionem impertit alta voce proferens: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties Evangelium suum. In nomine Patris et Filii † et Spiritus Sancti. Amen.*[25] Mox dexteram super librum positam Diacono osculandam praebet, sinistram interim adhuc ex benedictione tenens ad pectus. Quo peracto manus jungit et sine ulla reverentia statim[26] ad cornu Epistolae se recipit, ubi junctis ante pectus manibus exspectat facie ad altare versa, donec Diaconus incipiat *Dominus vobiscum;* tunc vertit se ad illum, sic consistens manibus ante pectus junctis et oculis demissis, donec cantus Evangelii finitus et ipse incensatus fuerit. Ad *Sequentia* vel *Initium etc.* signat se more solito, ad ss. Nomen Jesu caput profunde inclinat convertendo se ad Crucem altaris,[27] ad nomen Mariae aut Sancti, cujus fit Missa aut specialis commemoratio, caput inclinat versus librum Diaconi, vel versus eorum Imaginem, si in loco principali altaris posita sit.[28] Si sit genuflectendum, versus altare[29] simplicem facit genuflexionem, manibus super mensam positis. Finito Evangelio librum a Subdiacono allatum circa

[22] *Martinucci*, lib. 2. cap. 32. n. 6. — [23] *Rit. cel.* miss. VI. n. 5. — [24] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 318.; *Martinucci*, lib. 1. cap. 14. n. 121.; *Wapelhorst*, cap. 8. art. 1. — [25] *Amen* dicitur a Celebrante ipso, non a Diacono. Cf. *Rub. spec.* in Ord. miss.; *Baudry*, Manual. pars 3. cap. 11. art. 5. n. 18. — [26] *Rit. cel.* miss. VI. n. 5. — [27] Ibid. — [28] *S. R. C.* 13. Febr. 1892 ad 25. n. 3767. — [29] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4.

inferiorem partem utraque manu apprehendens, initium sacri textus osculatur dicens: *Per evangelica dicta etc.*, et stans in eodem loco tribus ductibus duplicibus a Diacono incensatur. Deinde convertens se ad dexteram procedit ad medium altaris et intonat, si dicendum sit, Symbolum.

9. Cantato Evangelio, si concio habenda sit et Celebrans ipse eam habere velit, fieri potest vel ad altare vel in ambone. Si primum, Celebrans accepta thurificatione factaque in medio altaris debita reverentia accedit versus cornu Evangelii ibique in suppedaneo stat detecto capite infra concionem. Si secundum, accedit ut alias ad scamnum (sedem) in cornu Epistolae ibique deponit casulam et manipulum; facta deinde altari debita reverentia, a Caeremoniario ad ambonem ducitur, ubi infra concionem et Sanctissimo non exposito caput bireto tegere potest, dummodo ad nomina Jesu et Mariae illud discooperiat.

Si alius concionetur,[30] Celebrans cum Ministris sacris accedit ad medium altaris factaque ibi debita reverentia de more descendit ad scamnum, ubi infra concionem cum Ministris sedere potest capite cooperto, nisi expositum sit Sanctissimum. Si coram exposito ss. Sacramento concionandum sit, infra concionem velamen apponi debet ante ss. Eucharistiam.[31]

Concionaturus praesente Episcopo ante concionem accedit ad Episcopum stolam complicatam juxta consuetudinem deferens super brachio sinistro, genuflexus (Canonicus autem stans profunde inclinatus) osculatur annulum Episcopi et petit benedictionem dicens *Jube Domne benedicere* (sicut Diaconus ante Evangelium cantandum), qua accepta et stola

[30] Concionator saecularis induitur superpelliceo et stola coloris Officii diei. *S. R. C.* 31. Aug. 1867 ad 6. n. 3157. Idem dicendum est quoad concionatores regulares, nisi sint ex Ordine Mendicantium, qui in proprio sui Ordinis habitu concionantur. *Gardellini*, Comment. in Instr. Clem. § 32. n. 5. In oratione funebri concionator tam saecularis quam regularis utitur neque superpelliceo neque stola. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 10.; *S. R. C.* 14. Jun. 1845 ad 1. 2. n. 2888. — [31] *S. R. C.* 10. Maji 1890 ad 2. n. 3728.

ab Episcopo ipsi imposita, surgit et facta Praesuli debita reverentia pergit ad ambonem.[32]

Finito sermone concionator benedicit auditoribus, nisi expositum sit ss. Sacramentum et nisi adsit Episcopus ordinarius, aut Metropolita aut Nuntius apostolicus in locis suae jurisdictionis, quia tunc benedictio ad hos spectat. Praesente Episcopo non ordinario, concionator ipse auditoribus benedicit ex parte, ubi non sedet Episcopus, facta prius eidem profunda capitis inclinatione.

10. *Credo* in Missa solemni dici debet post concionem.[33] Verba initialia *Credo in unum Deum* cantantur, residuum Symboli, adstantibus Ministris, recitatur ut in Missa privata. Quo recitato, si non sit sedendum, Celebrans persistit ad altare manibus junctis[34] ante pectus, inclinans caput ad verba chori: *Jesum Christum* et *Simul adoratur.* Ad verba *descendit de coelis* a choro cantanda ante *Et incarnatus est* Celebrans, dextrorsum se vertens, cum Ministris sacris sine reverentia descendit ad supremum altaris gradum ibique in ora suppedanei utrumque genu flectit,[35] ita genuflexus permanens cum profunda capitis i. e. capitis et modica humerorum (recole n. **13.**) inclinatione[36] toto tempore cantus verborum: *Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est.* Quibus decantatis, et non prius, surgit et accedit iterum ad altare sine reverentia.

Si autem sessio fiat, ad verba *Et incarnatus est etc.* permanens in sede caput detectum profunde inclinat, exceptis tribus Missis Nativitatis Domini et Missa Festi Annuntiationis B. M. V. vel, si Festum transferretur, in die translationis.[37] In hisce enim

---

[32] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 22. n. 2. Episcopus benedicit: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et fructuose annunties verba sancta sua. In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* — [33] *Rit. cel.* miss. VI. n. 6.; *S. R. C.* 16. Mart. 1591 ad 8. n. **9.** — [34] *Herdt*, S. Lit. Prax. I. n. 321.; cf. *Eph. lit.* 1890 pg. 146. sq. — [35] Haec genuflexio facienda est etiam non exposito Sanctissimo, quia non fit ratione ss. Sacramenti, sed ratione solemnitatis. — [36] *S. R. C.* 23. Maj. 1846 ad 6. n. 2915. — [37] *S. R. C.* 16. Jun. 1663 n. 1268.

Missis, etiamsi sessio fiat, accedit ad altare ibique in infimo gradu utrumque genu flectit[38] cum profunda capitis inclinatione ut supra. Cantatis illis verbis, surgit et, praemissa ad altare profunda capitis inclinatione vel ob inclusum Sacramentum genuflexione in primo gradu, cum Ministris redit ad sedes. Quoad sessionem observentur dicta n. **253**, ad 5.

11. Osculato altari et cantato *Dominus vobiscum* ac *Oremus* Celebrans Offertorium legit submissa voce. Acceptam e manibus Diaconi super patena hostiam more solito offert, oblatam in corporale demittit, patenam vero ad dexteram aliquantulum sub corporali recondit ut in Missa privata. Dicto a Subdiacono *Benedicite, Pater reverende,* sinistra posita super altare benedicit aquam dicens more solito: *Deus, qui humanae substantiae etc.,* quam Orationem absolvit manibus ante pectus junctis. Calicem subinde e manibus Diaconi acceptum offert, oblatum in corporali collocat et, extremitatem manuum super pedem calicis ponit[39] dum hic a Diacono palla obtegitur,[40] quod quidem a Rubricis non praecipitur, sed ad avertendum periculum eversionis communiter observatur, quotiescunque calix vel cooperiendus est vel detegendus.

12. Dictis ut in Missa privata Orationibus *In spiritu* et *Veni sanctificator* ante lotionem manuum fit incensatio Oblatorum, Crucis, Altaris, Celebrantis et Assistentium. Celebrans verbis consuetis invitatus a Diacono ter thus imponit dicens: *Per intercessionem beati Michaelis Archangeli* (imponit primo) *stantis a dexteris altaris incensi* (imponit secundo) *et omnium electorum suorum* (imponit tertio, deinde reddito cochleari manus jungit et suo tempore thus injectum benedicit) *incensum istud dignetur Dominus*

[38] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 3. Haec genuflexio fit ratione mysterii Incarnationis Domini et facienda est vel in infimo gradu laterali vel anteriori, prout sedes posita est vel a latere Epistolae e regione altaris vel in anteriori parte presbyterii. — [39] *Eph. lit.* 1905 pg. 626. — [40] Calicem nec cooperit nec detegit Celebrans ipse; officium enim istud Diaconi est. *Martinucci,* l. c. lib. 1. cap. 14. n. 129.

bene † dicere (iterum manus jungit) *et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum Amen.* Tunc accepto a Diacono thuribulo, quod sustinet modo superius (ad 3.) exposito, nulla facta ad Crucem reverentia, incensat O b l a t a tres cruces thuribulo efficiens super calicem et hostiam simul linea recta et transversa eodem prorsus modo, quo manu effici solent in iis benedicendis. Ad primam crucem dicit: *Incensum † istud,* ad secundam: *a te † benedictum,* ad tertiam: *ascendat † ad te Domine.* Vide tabulam in fine libri appositam, in qua tamen tres cruces inter se distantes apparent, quia in eâdem lineâ verba proferenda sculpi nequibant. Sacerdos vero dictas cruces faciat in eadem linea et in eodem loco. Quod valet etiam de circulis in secunda tabula.

Post tres cruces facit tres circulos in modum coronae circum hostiam et calicem, incipiens inter hostiam et semetipsum, circumducens thuribulum in primis duobus circulis a dextera ad sinistram, in tertio autem a sinistra ad dexteram prope mensam altaris, quin tamen corporale tangat. Ad primum circulum pronuntiat: *Et descendat super nos,* ad alterum: *misericordia,* ad tertium: *tua.* Vide tabulam in appendice.

Post haec facta Cruci profunda capitis inclinatione, vel Sanctissimo incluso simplici genuflexione, quod deinceps semper observatur, quotiescunque infra thurificationem transit ante medium altaris,[41] uno circiter passu recedit ab altari et ter incensat C r u c e m altaris, sicut ad Introitum dicens[42] ad singulos ductus:

1. *Dirigatur, Domine, oratio mea,*
2. *sicut incensum,*
3. *in conspectu tuo.*

Facta deinde Cruci profunda capitis inclinatione vel incluso ss. Sacramento simplici genuflexione, im-

[41] *Rit. cel.* miss. IV. n. 6. — [42] Verba incensationis incipienda sunt simul cum incensatione Crucis. *S. R. C.* 5. Mart. 1870 ad 2. n. 3213.

mediate procedit ad incensandum altare eodem ac ad Introitum modo, verba ad singulos ductus ita distribuens:

In cornu Epistolae:

4. *Elevatio*
5. *manuum*
6. *mearum*

A media mensa usque ad candelabra, linea recta tres ductus.

7. *sacrificium* — In cornu Epistolae inferiori.
8. *vespertinum.* — In cornu Epistolae superiori.

9. *Pone Domine*
10. *custodiam*
11. *ori meo*

Ab ora mensae usque ad medium ejusdem, linea recta tres ductus.

In cornu Evangelii:

12. *Et*
13. *ostium*
14. *circumstantiae*

A media mensa usque ad candelabra, linea recta tres ductus.

15. *labiis* — In cornu Evangelii inferiori.
16. *meis,* — In cornu Evangelii superiori.

17. *ut non*
18. *declinet*
19. *cor meum*

Ab ora mensae usque ad medium ejusdem, linea recta tres ductus.

20. *in*
21. *verba*
22. *malitiae*

In fronte altaris linea recta tres ductus.

In cornu Epistolae:

23. *Ad excusandas*
24. *excusationes*
25. *in peccatis.*

In fronte altaris linea recta tres ductus.

Si super altari exsistant Reliquiae vel Imagines Sanctorum, tunc Celebrans post incensatam Crucem, facta ipsi profunda capitis inclinatione, vel Sanctissimo in tabernaculo recondito simplici genuflexione, incensat Reliquias vel Imagines, quin e medio altaris discedat aut aliquam reverentiam eis exhibeat, modo ad Introitum exposito, nihil dicens. Reliquiis incensatis, nulla alia facta reverentia, prosequitur incensationem altaris ut supra.

Incensatione peracta thuribulum reddit Diacono dicens: *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris*

et flammam aeternae charitatis. Amen. Deinde incensatur a Diacono eodem modo et in eodem loco, sicut ad Introitum, et lavat manus integras.[43]

13. Praefatio, Oratio Dominica cum immediate praecedentibus, *Pax Domini* cum conclusione immediate praecedente, cantantur, in ceteris Sacrum peragitur more solito, praeterquam quod munus cooperiendi et detegendi calicem Celebrans remittit Diacono, a quo etiam patenam post Orationem Dominicam accipit.[44] Vide notam 40.

14. Post primam Orationem ante Communionem, depositis manibus extensis supra corporale, osculatur in medio altare et ad Diaconum conversus ei dat Pacem dicens: *Pax tecum,* sine praevia genuflexione[45] aut capitis inclinatione ac sine sequente et caveat, ne pollicibus et indicibus humeros Diaconi tangat. Data Pace, ad altare conversus Orationes prosequitur ut in Missa privata.

15. Ad ablutionem digitorum faciendam e medio altaris non discedit, sed manet in eodem loco paulum ad Subdiaconum conversus.[46] Sumpta ablutione calicem non abstergit, sed purificatorio super os calicis posito, Subdiacono operam remittit extergendi ac componendi calicem.[47] Ipse vero sese statim ad cornu Epistolae confert lecturus Antiphonam, quae dicitur Communio.

In Missis solemnibus ferialibus Quadragesimae dicto *Oremus,* Celebrans non cantat *Humiliate capita vestra Deo,* sed Diaconus, dein Celebrans ipse cantat more solito Orationem super populum.[48]

---

[43] Quia fumo thuris et contactu catenularum manus facile sordescunt, et Celebrans ad tangendas sacras species manus puras habere debet. Cf. *Schober,* Caer. art. 1. cap. 12. not. 9. — [44] In cantu Praefationis et Orationis Dominicalis organa pulsari nequeunt. *S. R. C.* 27. Jan. 1899 n. 4009. — [45] Ratio est, quia e medio altaris non discedit. — [46] Cf. *Schober* in s. Alphonsi Lib. de caer. mis. cap. X. nota 32. — [47] Cf. *Rit. cel.* miss. XI. n. 3. Si tamen munere Subdiaconi fungens in sacris sit constitutus, quia secus Celebrans ipse hoc praestabit. Recole dicta n. 70. ad 3. — [48] *Rub. miss.* spec. fer. IV. Ciner.

16. Cantato post Orationes *Dominus vobiscum*, Celebrans ipse nec cantat nec secreto dicit[49] *Ite Missa est*, sed conversus ad populum oculis demissis et manibus ante pectus junctis auscultat Diaconum verba ista canentem, nec prius se convertit ad altare, quam Diaconus cantum absolverit.[50] Dicit autem, quando dicendum est, voce submissa et conversus ad altare *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace*, quia haec verba sunt preces ad Deum.[51]

17. Dicto subinde *Placeat* benedictionem populo impertit eadem voce eodemque modo ac in Missa privata,[52] et ultimum Evangelium legit ut alias; deinde reversus ad medium altaris descendit ante infimum gradum, ubi facta profunda capitis inclinatione aut simplici genuflexione in plano ut in initio Missae, caput cooperit et in sacristiam revertitur. Ibi nudato capite profundam capitis inclinationem facit Cruci, salutationi Ministrorum inclinatione modica respondet et in loco usitato paramenta deponit.

259. Si adsit chorus, Celebrans cum assistentibus in accessu ad altare et in recessu ab eodem salutat Clerum in choro.

In accessu, simulac in presbyterium pervenerit, paulum consistens detegit caput et salutat inclinatione minima Chorales, primo in latere Evangelii deinde Epistolae. Qua salutatione peracta, adhuc capite detecto via recta procedit ad altare, ante cujus gradus facit debitam reverentiam.

In recessu ab altari, facta de more ante gradus debita reverentia et reassumpto bireto non tamen capiti imposito, minima inclinatione reveretur Chorum, primo a latere Evangelii dein Epistolae, et capite adhuc nudato e presbyterio excedit, in cujus aditu cooperit caput et ad sacristiam proficiscitur.[53] Sed hae reverentiae faciendae sunt Clero solummodo in casu, si chorus sit in anterioribus lateribus pres-

[49] *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 22. n. 2572. — [50] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 78.; *Herdt*, l. c. n. 332. — [51] *S. R. C.* Decret. cit. n. 2572. — [52] *Rit. cel.* miss. XII. n. 7. — [53] *Martinucci*, l. c. lib. 1. cap. 14. n. 104. 106. et lib. 2. cap. 4. n. 22. 226.

byterii, ita ut Celebrans ante Clerum in choro congregatum transire teneatur, non autem si chorus habeatur retro post altare, quia tunc nulla Choralibus in accessu et recessu debetur reverentia.[57]

Coram exposito Sanctissimo omittuntur dictae salutationes.

Caput IV.

De Missa cantata.

260. Missa cantata dicitur Missa, quae in nonnullis partibus cantatur a Sacerdote celebrante sine Ministris sacris.

Regulae speciales:

1. Sicut non licet Missam solemnem celebrare sine incensatione,[1] ita non licet sine speciali indulto apostolico[2] celebrare Missam cantatam cum incensatione, nec in casu, quando Missa cantatur coram exposito ss. Sacramento, quia tunc Sanctissimum incensatur tantum post expositionem et ante repositionem.[3]

2. Celebrans in hac Missa cantat omnia, quae in Missa solemni cantantur sive a Celebrante sive a Ministris sacris, excepta Epistola, quam cantat Lector, si adsit.[4] Cuncta vero, quae in Missa privata dicuntur clara voce et in Missa solemni non cantantur, submissa voce proferuntur, excepta benedictione in fine Missae, quae clara voce dicitur, sicut in Missa privata et solemni.[5]

3. Juxta Rubricas in Missa cantata Lector cantat Epistolam in loco consueto. Perinde est, sive hic sit Sacerdos, sive Diaconus aut Subdiaconus, sive Acolythus, modo sit vere Lector i. e. in ordine Lectoratus constitutus; si nec talis haberi possit, quilibet

---

[57] Cf. *Eph. lit.* 1900 pg. 369.

[1] *S. R. C.* 29. Nov. 1856 ad 6. n. 3039. — [2] *S. R. C.* 9. Jun. 1884 ad 6. n. 3611 et 7. Dec. 1888 ad 3. n. 3697. et 18. Apr. 1902 Ord. Min. Capuc. (*Eph. lit.* 1903 pg. 133.) — [3] *S. R. C.* 18. Mart. 1874 ad 1. n. 3328. — [4] *Rit. cel.* miss. VI. n. 8. Cf. *Schober*, Caer. art. 5. cap. 1. n. 2. 3. — [5] *Rit. cel.* miss. XII. n. 7.

Clericus sufficienter instructus adhiberi potest;[6] si autem nec Clericus adsit, Celebrans ipse eam cantat vel legit sine cantu, prout fert consuetudo.[7]

4. Si assistat minister Clericus in sacris constitutus vel duo Clerici, quorum alteruter est in sacris constitutus, potest minister hujusmodi calicem mundare, vinum et aquam infundere, infra actionem palla cooperire et discooperire juxta opportunitatem, quinimo post Communionem abstergere,[8] nisi Celebrans ipse haec faciat. Si autem nullus assistat in Subdiaconatu saltem constitutus, Celebrans haec omnia per se ipsum peragere tenetur.[9]

5. Ad cantum *Gloria, Credo* et Sequentiae Celebrans sedere potest, dummodo sedeat in scamno diversimode ornato seu cum remissiori apparatu ab illo, qui Canonicis exhibetur.[10]

6. Pax non datur per amplexum, sed cum instrumento, ubi est in usu. Recole n. **99.** ad 5.

261. Quae a Celebrante in functione peragenda sunt?

1. In sacristia calix vel a Celebrante,[11] vel a Clerico[12] praeparatur et ante Missam a Clerico defertur ad credentiam ibique coopertus velo et bursa[13] in medio collocatur. In hoc casu Celebrans manibus junctis ante pectus accedit ad altare. Si vero non adsit Clericus, sed minister laicus, Celebrans more solito in accessu ad altare defert calicem.

2. Infra Confessionem Celebrans ad verba *Vobis fratres, Vos fratres, Misereatur Vestri* se non con-

[6] Cf. *S. R. C.* 22. Jul. 1848 ad 4. n. 2965. et 14. Mart. 1906 ad 4. (*Eph. lit.* 1906 pg. 263.) — [7] Interrogata in hac causa *S. R. C.* 23. Apr. 1875 n. 3350. declaravit, „satius esse, quod ipsa Epistola legatur sine cantu ab ipso Celebrante". Ex quibus verbis sequitur, consuetudinem, canendi Epistolam in Missa cantata observari posse, imo, ad avertendum scandalum in populo, observari debere, licet per se sufficeret, si Epistola legeretur tantum. Cf. *S. R. C.* 5. Mart. 1904 ad 2. Ceneten. (*Eph. lit.* 1904 pg. 166.) — [8] *S. R. C.* 6. Dec. 1901 Plocen. (*Eph. lit.* 1901 pg. 700.) — [9] *S.R. C.* 14. Mart. 1906 ad 4.; *Eph. lit.* 1906 pg. 269. — [10] *S. R. C.* 12. Aug. 1854 n. 3026. — [11] *Rit. cel.* miss. I. n. 1. — [12] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 1.; *Eph. lit.* 1907 pg. 70. — [13] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 5.

vertit ad ministrum, sed se gerit sicut in Missis privatis.

3. *Kyrie eleison* dicitur in cornu Epistolae, si Clericus sub Introitu assistat ad latus Celebrantis, alioquin dicitur in medio altaris, sicut in Missis privatis. [14]

4. Juxta reg. spec. 2. Celebrans cantat: *Gloria in excelsis Deo; Dominus vobiscum,* praeterquam post Confessionem; *Oremus,* quotiescunque occurrit, excepto in initio Missae; Collectas cum conclusionibus; Epistolam (vide reg. spec. 3.) et Evangelium; *Credo in unum Deum;* Praefationem; Orationem Dominicam; *Per omnia saecula saeculorum* cum *Pax Domini etc.;* Postcommuniones cum conclusionibus; *Ite Missa est; Benedicamus Domine; Requiescant in pace.* [15] Canenda alia canere alia legere non licet, neque in Missa cantata neque solemni. [16]

5. Infra cantum Hymni *Gloria* Celebrans potest sedere (reg. spec. 5), et tunc observabit ea, quae dicta sunt n. **253.** ad 5. Si non sedeat, toto tempore junctis ante pectus manibus remanet ad altare, caput inclinans ad verba cantata inclinationem exigentia.

6. Quoad Orationes meminerit Celebrans, in Festis duplicibus secundae classis praetermittendas esse Orationes imperatas et Commemorationem Simplicis, non autem Festi ad modum Simplicis redacti. [17]

7. Pro cantanda Epistola monet Rubrica: „Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis.“ [18] Cantata igitur a Lectore Epistola Celebrans eidem manum suam osculandam non praebet nec ei benedictionem impertit, sed post lectam a seipso Epistolam sibi ipsi respondet *Deo gratias* et post dictum Graduale statim accedit ad medium altaris ut alias. Si non adsit Lector cantans Epistolam, ipse

---

[14] *Herdt,* S. Lit. Prax. I. n. 300.; *Wapelhorst,* pars 1. cap. 9. art. 1. n. 3. — [15] *S. R. C.* 17. Dec. 1695 n. 1936. et 14. Apr. 1753 ad 2. n. 2424. — [16] *S. R. C.* 14. Mart. 1861 ad 1. n. 3104. et 3. Jun. 1904 ad 2. Tergest. Justinop.; *Eph. lit.* 1906 pg. 66. sq. — [17] *Rub. gen.* miss. VII. n. 1. — [18] *Rit. cel.* miss. VI. n. 8.

Celebrans eam cantat vel legit sicut dictum est in reg. spec. 3.

8. Ad *Credo* se gerit sicut Celebrans in Missa solemni. Recole dicta **258.** ad 10.

9. Ad Offertorium calicem a Clerico de credentia allatum vel ipse vel Clericus discooperit et oblatum vel ipse vel Clericus palla tegere potest. Reliqua circa calicem usque ad ablutionem calicis post Communionem ipse peragere tenetur,[19] sicut in Missis sine cantu, nisi minister sit in sacris constitutus, quia hic ad Offertorium patenam cum hostia et calicem cum vino Celebranti tradere et reliqua explere potest, quae tradita sunt in reg. spec. 4. — Si non adsit nisi minister laicus, Celebrans se gerit sicut in Missis lectis.

10. Ablutione sumpta calicem vel Celebrans abstergit vel ministro in sacris constituto, si adsit, abstergendum relinquit,[20] abstersum vel ipse vel minister saltem tonsuratus componit, qui illum velo et bursa coopertum ad credentiam defert,[21] et tunc Celebrans finita Missa manibus junctis ante pectus recedit in sacristiam. — Si vero non adsit nisi minister laicus, Celebrans calicem a se abstersum et suis ornamentis instructum super altari relinquit et expleta Missa sicut alias secum in sacristiam defert.

Tractatus V.

De Functionibus coram exposito ss. Sacramento.

Caput I.

De Expositione et Repositione ss. Sacramenti.

§ 1. Regulae generales.

262. — 1. In altari, in quo expositum est ss. Sacramentum, continuo ardere debent candelae in ma-

---

[19] Cf. *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 4.; *Eph. lit.* 1906 pg. 263. — [20] *S. R. C.* 6. Dec. 1901 Plocen. (*Eph. lit.* 1901 pg. 700.) — [21] *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 6.

jori vel notabili parte materiae ex cera apum[1] confectae, eo plures, quo solemnior est expositio. In expositione solemni seu publica duodecim saltem candelae, etiam in ecclesiis pauperibus, accendantur,[2] licet ostensorium sit velo coopertum;[3] pro expositione non solemni seu privata autem requiruntur saltem sex candelae.[4]

2. Sanctissimo Sacramento, ubicunque deponitur, sive intra tabernaculum sive in throno tabernaculi sive in mensa altaris, semper substerni debet corporale mundum totaliter explicatum vel, propter angustiam loci, saltem complicatum aut palla.

3. Coram exposito Sanctissimo sive in pyxide sive in ostensorio velato omnes genuflexiones observari debent, quae alias fiunt coram ss. Sacramento publice exposito.[5]

4. Cavendum omnino est, ne terga vertantur Sanctissimo exposito. Ideo descendentes per gradus altaris expositionis Celebrans et Subdiaconus pauxillum se retrahant ad cornu Evangelii faciem vertendo versus cornu Epistolae, Diaconus vero paulisper

---

[1] Inter quas saltem duae candelae in Missis accendendae ex cera apum sint in maxima parte. *S. R. C.* 14. Dec. 1904 (*Eph. lit.* 1905 pg. 65.). Cf. *Eph. lit.* 1909 pg. 142. Lux electrica vetita est non solum una cum candelis ex cera super altari, sed etiam extra altare, loco candelarum et lampadum, quae coram ss. Sacramento vel sacris Reliquiis aut Imaginibus Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus illuminatio electrica ad prudens Ordinarii judicium permittitur, dummodo species non habeatur theatralis. Non licet ergo in altari expositionis collocare lampades electricas sive tabernaculum circa sive in vasis florigeris inter candelabra. Possunt tamen in lampadibus ex ecclesiae fornicibus pendentibus loco candelarum ex cera substitui fictae candelae electricae et sacrae Imagines luminibus electricis circumcingi, juxta prudens Ordinarii consilium. *S. R. C.* 4. Jun. 1895 n. 3859. et 16. Maji 1902 Natcheten. (*Eph. lit.* 1902 pg. 418.) et 22. Nov. 1907 (*Eph. lit.* 1908 pg. 15.) et 17. Jan. 1908 ad I. Angelopolit. (*Eph. lit.* 1908 pg. 137.) Dicta intelliguntur etiam circa usum lucis ex „gaz" excitatae. *S. R. C.* 8. Mart. 1879 apud *Menghini* Lit. Euchar. pg. 33. — [2] *S. R. C.* 8. Febr. 1879 n. 3480. — [3] Cf. *Menghini* l. c. pg. 28. sq. — [4] S. C. Episc. et Regul. 6. Dec. 1602 apud *Menghini* l. c. pg. 29. — [5] *S. R. C.* 22. Dec. 1753 ad 10. n. 2427. et 23. Sept. 1837 Dub. III. ad 3. n. 2769.

recedat ad cornu Epistolae vultum vertendo ad cornu Evangelii.

5. Exposito ss. Sacramento reverentia nemini[6] debetur, nec Episcopo praesenti.[7]

6. Coram exposito ss. Sacramento omittenda sunt omnia oscula reverentialia i. e. ob specialem reverentiam Celebranti debita, minime vero oscula ritualia i. e. ad ritum pertinentia.[8] Vide n. **103.** ad 4.

7. Pro incensatione ss. Sacramenti solius thus imponitur sine benedictione,[9] si vero praeter Sanctissimum incensandum sit et quid aliud, e. g. Crux, altare, impositio thuris fit cum benedictione sub usitata formula.[10]

8. Coram Sanctissimo exposito effundi possunt cantus et preces etiam in lingua vernacula, dummodo *a)* approbatae sint a legitima auctoritate;[11] *b)* non dicantur i m m e d i a t e ante benedictionem;[12] *c)* non sint preces liturgicae,[13] e. g. Oratio *Deus qui nobis* vel hymni ecclesiastici, uti *Te Deum, Tantum ergo, Genitori*[14] *etc.; d)* dummodo non agatur de functionibus stricte liturgicis.[15]

9. Post Orationem *Deus qui nobis* ante benedictionem cum Sanctissimo nullae aliae Orationes, neque in lingua latina, addi possunt duobus in casibus, nempe *a)* quando ante *Tantum ergo* aliae dicendae sunt preces; *b)* in Festo et infra Octavam Ss. Corporis Christi.[16] Ratio primi esse videtur, quia nihil prohibet, quominus Orationes hujusmodi in casu precibus ante hymnum adjungantur. Ratio secundi est, ne occasione solemnitatis tanti Mysterii mens vel parum ad alia divagetur. Duobus igitur hisce casibus exceptis, Orationi *Deus qui nobis* ante bene-

---

[6] *S. R. C.* 31. Aug. 1793 n. 2544. — [7] *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 6. n. 2928. — [8] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 18. — [9] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 18. — [10] *Caer. Ep.* ibid. n. 19. — [11] *S. R. C.* 31. Aug. 1867 ad 8. n. 3157. — [12] *S. R. C.* 23. Mart. 1881 ad 1. 2. n. 3530. — [13] *S. R. C.* 27. Febr. 1882 ad 3. n. 3537. et 31. Mart. 1909 ad 10. Buscoducen. (*Eph. lit.* 1909 pg. 498.) — [14] *S. R. C.* 5. Mart. 1904 ad 2. Utinen. (*Eph. lit.* 1904 pg. 164.) — [15] *S. R. C.* 31. Mart. 1909 ad 9. Buscoducen. (*Eph. lit.* 1909 pg. 498.) — [16] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 11. (*Eph. lit.* 1907 pg. 70. sq.)

dictionem aliae Orationes, sed in lingua liturgica tantum (vide reg. gen. 8.), addi possunt sub unica conclusione, quae debet esse brevis et concordare cum ultima Oratione.[17]

10. Dum preces dicuntur ad altare expositionis, Officiator et Ministri ejus manent genuflexi,[18] excepta Oratione *Deus qui nobis,* ad quam Officiator solus assurgit;[19] excepto etiam hymno *Te Deum,* in quo omnes stant,[20] extra stropham *Te ergo quaesumus,* ad cujus cantum omnes genuflectunt;[21] exceptis etiam aliis hymnis (jubilationis) cantatis,[22] uti *Veni Creator Spiritus*[23] vel *Veni Sancte Spiritus* et *Ave maris stella,*[24] ad quorum primam stropham tantum genuflectitur;[25] excepta demum Antiphona *Regina coeli* tempore paschali et cantico *Magnificat* per anni decursum[26] et similibus. Ad preces post Litanias omnium Sanctorum omnes genuflexi manent excepto Officiatore, qui post versiculos ad *Dominus vobiscum* surgit et deinde stat usque ad expletas Orationes.

11. Color almae Eucharistiae est albus. Quapropter tam conopeum et pallium[27] altaris expositionis quam paramenta Celebrantis et Ministrorum in functionibus coram Sanctissimo extra Missam et Horas canonicas albi coloris sint oportet.[28] Si tamen functio cum Sanctissimo (expositio, repositio, benedictio, processio etc.) immediate sequatur actionem liturgicam (Missam aut Vesperas) alium colorem requirentem ita, ut Celebrans paratus in sacristiam non recedat (quamvis ad abacum pergere debeat ad assu-

[17] *S. R. C.* 8. Apr. 1865 n. 3134. — [18] *S. R. C.* 17. Sept. 1897 ad 2. n. 3965. — [19] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 27. — [20] *S. R. C.* l. c. — [21] *S. R. C.* 31. Jul. 1665 ad 13. n. 1322.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 5. n. 9. — [22] *S. R. C.* 6. Nov. 1908 Hong-Kong (*Eph. lit.* 1998 pg. 707.) — [23] *S. R. C.* 14. Nov. 1676 ad 7. n. 1583. — [24] *S. R. C.* 16. Mart. 1591 ad 19. n. 9. — [25] Reliquis omnibus genuflexis, Officiator solus stat dum intonat, sicut regulariter in intonationibus fieri solet; post intonationem etiam Officiator in genua procumbit. Cf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 1. n. 12. — [26] *S. R. C.* 6. Nov. 1908 cit. — [27] *S. R. C.* 9. Jul. 1678 ad 7. n. 1615. et 19. Dec. 1829 n. 2673. — [28] *S. R. C.* 12. Maji 1893 ad 2. n. 3799. Color paramentorum Missae et Officii divini potest esse albus, rubeus, viridis aut violaceus secundum colorem diei.

mendum pluviale); tunc tam conopeum et pallium altaris[29] quam paramenta Celebrantis et Ministrorum quoad colorem correspondere possunt (non debent) colori functionis immediate praecedentis,[30] excepto nigro,[31] nisi sit Feria sexta in Parasceve. Quando vero duae functiones non immediate sibi invicem succedunt, quia Celebrans cum Ministris ab altari recedit; tunc functio cum Sanctissimo fieri debet in paramentis albis.[32] Velum humerale omni in casu sit albi coloris.[33]

§ 2. De Hostia et de causis Expositionis.

263. Quid notandum circa consecrationem hostiae expositionis?

Pro expositione publica hostia major vel in Missa expositionem immediate praecedenti vel in una ex praecedentibus Missis consecranda est, quo in casu duae hostiae majores consecrari debent, una pro sacrificio, pro expositione altera. Recole n. **243.** Si Celebrans hostiam in ostensorio locandam consecrare omiserit, cujus omissionis recordetur post inceptum Canonem, tunc, si expositio differri valeat, differatur, quum juxta communem sententiam auctorum incepto Canone hostiae pro Consecratione amplius apponi non possint sine causa gravissima. Vide n. **240.** ad 2.

Si autem expositio differri nequeat, duplex casus distinguendus: *a)* Si aliae hostiae minores in eodem sacrificio sint consecratae, Celebrans unam ex illis sumat pro Communione, majorem scilicet post Consecrationem elevando, minorem deinde frangendo et sumendo. Ratio est, quia in casu vere participat de suo sacrificio. *b)* Si aliae hostiae in eodem sacrificio non sint consecratae, ciborium exponere potest; si autem ciborium non habeatur, vel processio insti-

[29] *S. R. C.* 1. Dec. 1882 n. 3559. — [30] *S. R. C.* 9. Jul. 1678 ad 6. n. 1615. et 27. Jun. 1868 ad 3. n. 3175. et 12. Mart. 1897 ad 7. n. 3949.; *Eph. lit.* 1901 pg. 307. — [31] *S. R. C.* 12. Mart. 1897 ad 8. n. 3949. — [32] *S. R. C.* 20. Sept. 1806 n. 2562. Cf. *Menghini* l. c. § XVIII. n. 46. ad 3. — [33] *S. R. C.* 26. Mart. 1859 ad 5. n. 3086.

tuenda sit cum Sanctissimo, Celebrans sumat pro Communione partem Hostiae majoris, residuam autem ponat in ostensorio, meliori quo potest modo, ut a populo videatur. Nunquam autem exponere licet Hostiam majorem non consecratam, huic affigendo minorem consecratam, tum ob periculum idololatriae saltem materialis, tum ob scandalum, si cognoscatur.[1] Neque potest Celebrans hostiam minorem ex praeconsecratis frangere ac sumere et suam majorem reservare pro expositione, quia in casu non participaret de suo sacrificio; licet enim sub Hostiis praeconsecratis idem sit Christus, non tamen ut victima hujus sacrificii.

Si s. Hostia consecrata fuit in eadem Missa, expositio facienda est statim post sumptionem pretiosissimi Sanguinis collocando ostensorium super altari (non in throno) et nullo apposito velo,[2] nisi post Missam instituenda sit processio in Festo ss. Corporis Christi, quo in casu ostensorium velo operiatur.[3] Si autem consecrata fuit in Missa praecedenti, non exponitur nisi Missa expleta, videlicet postquam Celebrans, casula et manipulo depositis, indutus fuerit pluviali.

264. Ex quibus causis expositio Sanctissimi fieri potest?

Tam expositio privata (in pyxide) quam publica (in ostensorio) fieri potest ex causa publica vel privata. Distinctio haec inter causas magni momenti est tum quoad Commemorationem Sanctissimi in Missis faciendam (vide n. **214.** reg. gen. 1 et **217.** ad 1. *c.*) tum quoad Missas de Requie celebrandas tempore expositionis. Durante enim expositione ex causa privata Missae de Requie celebrari possunt in omnibus altaribus respectivae ecclesiae, excepto altari expositionis;[4] durante vero expositione ex causa publica Missae de Requie in omnibus altaribus ecclesiae ve-

1851

[1] *Cavalieri*, tom. 4. Decr. 153. n. 11. — [2] *S. R. C.* 29. Mart. ad 2. n. 2990. — [3] *Ritual. Rom.* tit. IX. cap. 5. n. 3. — [4] *S. R. C.* 7. Maj. 1746 ad 4. n. 2390.

tantur.[5] Quaenam sint causae publicae relate ad expositionem, a lege quidem non est omnimode definitum, sed ex analogia dicere possumus, eas omnes censeri causas publicas etiam respectu expositionis Sanctissimi, quae a S. Rituum Congregatione qua tales declaratae sunt pro celebranda Missa votiva solemni. Quae causae enumerantur n. **303.** Praeterea ex publica causa fieri censentur expositiones pro Oratione Quadraginta Hororum, tempore Adorationis perpetuae, bacchanalium, vel infra Octavam Corporis Christi[6] eaeque omnes, quae instituuntur ad fideles a rebus profanis avertendos, ad pietatem excitandos, ad Christum trahendos. Ceterum solius Episcopi partes sunt, declarare, quaenam causa sit publica vel privata. Et generatim dicendum videtur, omnem expositionem extraordinariam ab Episcopo praescriptam fieri ex causa publica.

Expositiones ex causa privata eae censentur, quae fiunt *a)* statis diebus in implementum piarum fundationum, vel *b)* pro aliquo infirmo (e. g. ecclesiae benefactore etc.) aut pro privatae personae vel familiae necessitate, item quae instituuntur *c)* juxta statuta vel ad intentionem confraternitatum. Hae aliaeque similes expositiones fiunt ex causis privatis, sive exponatur ciborium in aperto tabernaculo sive ostensorium.

§ 3. De Expositione et Repositione privata.

265. Quid est expositio privata?

Expositio privata, quae etiam non solemnis seu minus solemnis dicitur, est illa expositio, quae fit cum pyxide suo velo cooperta intra tabernaculum, ostiolo patefacto, remanente.[1] Fieri potest ex causa publica vel privata.[2] Sed causa privata non est ita intelligenda, ac si liceret Sacerdoti pro sua privata devotione tabernaculum aperire, ss. Sa-

---

[5] *S. R. C.* 28 Apr. 1902 ad 14. Labacen. (*Eph. lit.* 1902 pg. 356.) — [6] *Gardellini*, Comment. § 36 n. 2.

[1] Cf. *S. R. C.* 28. Apr. 1902 ad 14. Labacen. (*Eph. lit.* 1902 pg. 356.) — [2] *S. R. C.* ibid.; *Eph. lit.* 1903 pg. 204.

cramentum adorare, preces ad libitum fundere ac deinde illud claudere. Haec enim praxis rejecta est a sacro Rituum Tribunali.[3] Recole dicta in numero praecedenti. Pro expositione privata instituenda non requiritur licentia Episcopi.

266. Quomodo fit expositio privata?

1. Sacerdos superpelliceo et stola albi coloris indutus,[4] capite cooperto, praecedentibus duobus Ceroferariis (et Thuriferario cum thuribulo et navicula) more solito accedit ad altare, in quo saltem sex accensi sint cerei (reg. gen. 1.). Facta ibi genuflexione simplici in plano, ascendit in suppedaneum, (corporale super mensam explicat, si statim benedictio danda et repositio facienda sit), tabernaculum aperit, simpliciter genuflectit, pyxidem in anteriorem ejus partem attrahit, ut a fidelibus videri possit, quin eam extrahat, et ostiolum apertum relinqit. Facta genuflexione descendit, in infimo gradu utrumque flectit genu et, facta mediocri inclinatione,[5] stans incensum sine benedictione (reg. gen. 7.) imponere et Sanctissimum incensare potest, sed non debet, quia omissio hujus incensationis conformior est Ecclesiae praxi in casu.[6] Subinde preces congruentes juxta reg. gen. 8. 9. 10. recitare potest.

2. Si in fine expositionis benedictio impertienda sit, quod sine dubio licet,[7] Sacerdos incenso de more imposito (vide supra) genuflexus in infimo gradu potest juxta modo dicta Sanctissimum incensare, dein recitat strophas *Tantum ergo* et *Genitori* cum versiculo *Panem de coelo,* in prima stropha ad verba *Veneremur cernui* mediocriter sese inclinans.[8] Deinde surgit sine praevia reverentia[9] et omisso

[3] *Eph. lit.* 1895 pg. 709. — [4] Pluviale non requiritur, etiamsi in fine benedictio danda sit. *S. R. C.* 7. Dec. 1888 ad 12. n. 3697. et 20. Jul. 1894 ad 3. n. 3833. — [5] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 Dub. III. ad 2. Societ. Sales.; *Eph. lit.* 1906 pg. 208. sq. — [6] *S. R. C.* 11. Sept. 1847 n. 2957. et 5. Jul. 1907 ad 1. Derthonen. (*Eph. lit.* 1907 pg. 705.) — [7] *S. R. C.* 20. Jul. 1894 ad 3. n. 3833. et 30. Nov. 1895 ad 3. n. 3875. — [8] Si adsint cantores cantantes has strophas, incensatio locum habere debet infra doxologiam *Genitori* ut alias. — [9] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 Dub. III. ad 1. Soc. Sales.; *Eph. lit.* 1906 pg. 208.

Dominus vobiscum, dicto autem *Oremus*, recitat Orationem de ss. Sacramento, post quam iterum in genua procumbit. Accepto velo humerali ascendit absque praemissa inclinatione[10] ad altare, simpliciter genuflectit, pyxidem e tabernaculo extractam et super corporale explicatum positam manu sinistrâ velata ad nodum accipit et dexterâ veli humeralis extremitate a dexteris pendente totaliter cooperit[11] et populo benedictionem impertit ritu usitato. Vide infra n. **272.** Pyxide subinde in corporali deposita, simpliciter genuflectit, in gradum suppedaneo proximum descendit, genuflexus in ora suppedanei humerale in manus ministri dimittit, iterum suppedaneum conscendit, genuflectit et pyxidem in tabernaculum ingerit, genuflectit et clauso tabernaculo descendit factaque ante altare in plano genuflexione simplici discedit

§ 4. De Expositione et Repositione publica.

267. Quid est expositio publica?

Hoc nomine venit illa expositio Sanctissimi, quae fit cum ostensorio, sive detecto sive velato, in throno tabernaculi palam collocato.[1] Fieri potest ex causa publica vel privata.[2] Dicitur etiam expositio solemnis, quae si fiat cum apparatu valde solemni, ut in Oratione Quadraginta Horarum, occasione Adorationis perpetuae, tempore bacchanalium vel in aliis extraordinariis occasionibus, solemnissima nuncupatur; si vero fiat minori cum pompa, ut quibusdam diebus festivis Sanctorum, in novemdialibus vel triduanis precibus vel in sic dictis Laudibus vespertinis tempore pomeridiano vel vespertino usitatis, simpliciter solemnis audit.[3] Fieri nequit, nec a Regularibus in propriis ecclesiis,[4] sine licentia Episcopi ordinarii. Expositio pyxidis in throno taber-

[10] *S. R. C.* ibid. Dub. III. ad 3. — [11] *S. R. C.* 23. Febr. 1839 ad 1. n. 2786. et 21. Febr. 1896 ad 3. n. 3888.

[1] *Gardellini*, Comment. § 4. n. 5. et § 36. n. 3. — [2] *Eph. lit.* 1903 pg. 204. — [3] *S. R. C.* 28. Apr. 1902 ad 13. Labacen. (*Eph. lit.* 1902 pg. 356.); *Eph. lit.* 1903 pg. 203. — [4] *S. R. C.* 3. Apr. 1821 ad 4. n. 2613. et 14. Mart. 1861 ad 14. n. 3104.

naculi est contra usum Romanum et contra plurima S. R. Congregationis Decreta.[5] Nihilominus, si alicubi obtinuerit usus ab Ordinariis locorum expresse permissus vel saltem tacite toleratus, quem abolere sine scandalo et offensione difficile sit, servari potest, et expositio hujusmodi tamquam publica censenda est ideoque duodecim saltem candelae accendendae.[6]

268. Quo ritu fit expositio publica?

Expositio publica seu solemnis fieri potest: *a)* vel a Sacerdote solo, *b)* vel a Sacerdote cum uno Assistente, *c)* vel a Sacerdote cum Diacono et Subdiacono aliisque ministris inferioribus.

1. Si expositio facienda sit a solo Sacerdote, Celebrans observet omnia, quae infra (n. **277.** ad 2.) dicentur de expositione et repositione occasione Missae privatae. Si expositio hujusmodi sine benedictione et seclusa Missa facienda sit, sufficit, ut Sacerdos superpelliceo et stola alba sit indutus, nunquam alba, cingulo et stola tantum;[7] si vero danda sit benedictio vel instituenda processio cum ostensorio, Celebrans omnino induere debet pluviale et velum humerale.[8]

2. Si expositio vel repositio facienda sit a Sacerdote cum uno Assistente, Presbytero vel Diacono[9] aliisque ministris inferioribus, Officiator induitur, ut infra ad 3. dicetur, Assistens vero superpelliceo et stola[10] albi coloris super brachio sinistro plicata. Antequam ascendat ad aperiendum ostiolum tabernaculi stolam collo sibi imponit eamque ita impositam infra functionem defert dum ostensorium extrahit, in throno collocat, a throno deponit, Celebrantem in eo accipiendo et deponendo adjuvat, et in fine ostensorium in tabernaculo recondit. Extra has functiones

---

[5] *S. R. C.* 16. Mart. 1876 ad 1. n. 3394. et 28. Apr. 1902 ad 13. Labacen. (*Eph. lit.* 1903 pg. 356.) et 16. Febr. 1906 ad 2. Vilnen. (*Eph. lit.* 1906 pg. 203.) — [6] *Gardellini*, Comment. § 6. n. 10. — [7] *S. R. C.* 7. Dec. 1888 ad 12. n. 3697. — [8] *S. R. C.* ibid. — [9] Diaconus ratione ministerii sui, etiam praesentibus Sacerdotibus et extra casum necessitatis, potest Sanctissimum de uno altari ad alterum deferre ideoque etiam publice exponere. *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 3. (*Eph. lit.* 1907 pg. 67. sq.) — [10] *S. R. C.* 17. Sept. 1785 ad 1. n. 2528.

stolam alicui ministro custodiendam tradit vel super brachio suo sinistro plicatam defert. In ceteris se gerit, ut infra ad 3. de Diacono indicabitur.

3. Pro expositione Sanctissimi, quae fit cum Ministris sacris aliisque ministris inferioribus, Celebrans indutus amictu, alba, cingulo, stola ante pectus in modum crucis aptata et pluviali albi coloris, Diaconus et Subdiaconus vero parati sicut in Missa solemni [11] sine manipulis, praeeuntibus Thuriferario cum thuribulo non fumigante et navicula, ac Caeremoniario, si haberi possit, necnon duobus saltem Ceroferariis, more solito procedunt ad altare, Sacerdos in medio Ministrorum sacrorum hinc inde a lateribus ejus pluvialis fimbrias sublevantium. Ad altare quum pervenerint, depositis biretis, simpliciter genuflectunt in plano, assurgunt et in genua provoluti super infimum gradum aliquantulum orant. Diaconus interim ascendit ad altare, totaliter explicat corporale, aperit tabernaculum et paulisper se retrahens versus cornu Epistolae, ne Celebranti tergum vertat, simpliciter genuflectit, quin Celebrans ceterique assistentes genuflexi caput inclinent. [12] Extractum a tabernaculo ostensorium [13] Diaconus super corporale explicatum deponit parte anteriore ad populum versa et absque genuflexione praemissa tabernaculum claudit. Facta subinde genuflexione simplici in suppedaneo, sinistrorsum se vertens descendit, in infimo gradu a dexteris Celebrantis in genua procumbit et in impositione thuris assistit. Praemissa scilicet me-

[11] *S. R. C.* ibid. et 12. Maj. 1893 ad 1. n. 3799. Stolam semper gerere debet Diaconus exponens et reponens Sanctissimum, praeterquam Diaconus assistens in Coena Domini et in solemni processione Festi Corporis Christi. *S. R. C.* 9. Jun. 1899 n. 4030. — [12] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 2. Soc. Sales. (*Eph. lit.* 1906 pg. 208.) — [13] Si Sanctissimum in capsula (custodia) asservetur, Diaconus extractam e tabernaculo capsulam super corporale deponit et tabernaculum occludit. Deinde aperit capsulam, simpliciter genuflectit et lunulam cum sacra Hostia inde desumptam in ostensorium praevie in altari praeparatum ingerit iterumque ut antea genuflectit, relicta capsula vacua ad latus super corporale. Cf. *S. R. C.* 29. Jul. 1904 ad 9. Ord. Fratr. Minor.; *Eph. lit.* 1904 pg. 585.

diocri inclinatione[14] surgunt Celebrans, Ministri sacri et Thuriferarius, et Celebrans tantillum se retrahens versus cornu Evangelii absque genuflexione, facie versa ad cornu Epistolae, sine benedictione (reg. gen. 7.) et nihil dicens ter thus ingerit in thuribulum a Thuriferario oblatum, Diacono ministrante naviculam, Subdiacono elevante dexteram pluvialis fimbriam.[15] Denuo in infimo gradu in genua provoluti mediocrem inclinationem faciunt et Celebrans genuflexus tribus ductibus duplicibus more solito Sanctissimum thurificat, Ministris sacris interim fimbrias pluvialis sustinentibus. Incensatione absoluta, si in expositione danda sit benedictio cum Sanctissimo, ut in aliquibus ecclesiis ex longaeva consuetudine fieri solet, accepto velo humerali[16] Celebrans simul cum Diacono et Subdiacono[17] sine praevia inclinatione[18] ascendit in suppedaneum, ubi cum Diacono simpliciter[19] genuflectit, Subdiacono in ora suppedanei genuflexo remanente. Celebrans subinde benedictionem cum Sanctissimo impertit ritu infra sub n. **272.** tradito. Qua impertita et ostensorio super altari deposito factaque cum Diacono simplici genuflectione, simul cum Subdiacono descendit in planum et ambo in infimo gradu genua submittunt absque ulla addita inclinatione;[20] Diaconus vero remanens in suppedaneo conscendit scabellum a ministro appositum et ostensorium dextera tenens in throno tabernaculi

---

[14] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 Dub. III. ad 2. et Dub. VI. (*Eph. lit.* 1906 pg. 208.) — [15] Hic est ritus Romanus in impositione thuris a Gardellinio in suo Commentario in Instr. Clem. § 24. n. 17. traditus et Romae usitatus (*Eph. lit.* 1906 pg. 210.). Permultis in ecclesiis vero Celebrans incensum imponens non convertitur ad cornu Epistolae sed ad altare, Ministris sacris hinc inde stantibus facie itidem versa ad altare. Quae consuetudo servari potest. — [16] Caeremoniarius, antequam surgat iturus ad abacum ad velum humerale afferendum, nullam facit reverentiam; at si transeat ante altare, in medio simpliciter genuflectit. *S. R. C.* 16. Febr. 1906 Soc. Sales. Dub. III. ad 5. — [17] *Martinucci*, lib. 2. cap. 11. n. 89.; *Carpo*, pars 3. n. 192. — [18] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 Dub. III. ad 3. (*Eph. lit.* 1906 pg. 207.) — [19] *S. R. C.* 29. Jul. 1904 ad 9. Ord. Fratr. Minor. (*Eph. lit.* 1904 pg. 585.) — [20] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 Dub. IV. Soc. Sales.

super corporale collocat. Exposito Sanctissimo descendit de scabello, quo remoto simpliciter genuflectit, descendit per gradus sinistrorsum se vertens et a dexteris Sacerdotis in genua procumbit. Subinde Sanctissimum incensatur[21] inclinatione mediocri ab omnibus facta ante et post. Si non sequatur alia actio e. g. Missa, statim dicuntur Litaniae vel aliae preces juxta Ordinarii dispositionem et juxta regulas generales 8. 9. 10. sub n. **262.** traditas, vel, si Sanctissimum per aliquod temporis spatium expositum maneat, omnes surgunt, utrumque genu cum mediocri[22] inclinatione in plano flectunt et revertuntur in sacristiam eodem quo venerant ordine, capite tamen detecto, donec sint in conspectu ss. Sacramenti.

4. Quodsi in expositione *danda non sit benedictio*, quod utique magis congruit menti Ecclesiae,[23] quae vult, ut benedictio detur tantum in repositione, Sanctissimum e tabernaculo extractum non incensatur in mensa altaris, sed in throno tabernaculi[24] immediate post expositionem.[25] Quapropter Diaconus extractum e tabernaculo ostensorium illico, absque praevia genuflexione, exponit in throno. Reliqua peraguntur, ut supra dictum est.

5. Si Sanctissimum *alio in altari*[26] exponendum sit, Sacerdos, eo incensato et velo humerali accepto, ostensorium sine mora, quin impertiat benedictionem, transfert ad altare expositionis, ambabus manibus velo humerali tectis ante faciem illud tenens, concomitantibus Ministris sacris fimbrias pluvialis ejus sublevantibus ac Thuriferario cum thuribulo fumigante, Caeremoniario cum navicula et Cerofe-

---

[21] *S. R. C.* 5. Jul. 1907 ad 1. Derthonen. (*Eph. lit.* 1907 pg. 705.) — [22] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 1. Soc. Sales. — [23] *S. R. C.* 11. Jul. 1857 ad 1. n. 3058. — [24] Cf. *Eph. lit.* 1908 pg. 333. ad 6. — [25] *S. R. C.* 18. Mart. 1874 ad 1. n. 3328. et 5. Jul. 1907 ad 1. Derthonen. (*Eph. lit.* 1907 pg. 705.) — [26] Ss. Eucharistia in hoc casu transferenda est cum stipatione luminum, sed, juxta *S. R. C.* 2. Jun. 1883 ad 12. n. 3576. non in ostensorio sed in capsula (custodia) aut sin minus in sphaera velo humerali cooperta, quae tamen non est ubique in usu. Cf. *Schober*, Caerem. art. 8. cap. 3. nota 1.

rariis cum luminaribus praeeuntibus. Quum ad altare pervenerint, si danda sit benedictio (vide supra ad 3.), Sacerdos stans in suppedaneo statim se vertit ad populum eique impertit benedictionem, qua data Sanctissimum exponitur et incensatur, ut supra ad 3. Si autem non sit danda benedictio, Sacerdos, statim deposito in altari super corporale ostensorio factaque simplici genuflexione, descendit, Diaconus vero illud de more exponit. Reliqua fiunt, ut supra docuimus.

269. — 1. In Repositione solemni Sanctissimi Sacerdos et Ministri ejus juxta praxim Romanam ita se gerent: Simulac pervenerint in conspectum Sanctissimi, caput detegunt. Facta ad altare duplici genuflexione in plano, thus non imponitur nec Sanctissimum incensatur,[27] antequam aliquid cantetur vel preces (Litaniae etc.) usitatae ab Ordinario praescriptae dicantur; sed omnibus in infimo gradu geniculatis, (nisi aliae preces sint praemittendae), a choro continenter[28] cantantur strophae *Tantum ergo* et *Genitori*. Ad verba *Veneremur cernui*, ut verificetur quod significant, omnes mediocriter[29] sese inclinant. Finita prima stropha, ad *Genitori*[30] imponitur incensum et statim incensatur[31] ss. Sacramentum, ut supra (ad 3.) dictum est. Incensatione peracta Caeremoniarius Diacono tradit librum Orationum, quem infra Orationem Ministri sacri ante Celebrantem ex eo cantantem genuflexi[32] sustinent, nisi hic ipse eum prae manibus tenere maluerit. Cantato[33] versiculo *Panem de coelo etc.*,

---

[27] *S. R. C.* 5. Jul. 1907 ad 2. Derthonen. (*Eph. lit.* 1907 pg. 705. — [28] *S. R. C.* 11. Jul. 1857 ad 3. n. 3058 et 16. Apr. 1880 n. 3513. — [29] Cf. *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 1. Soc. Sales.; *Eph. lit.* 1906 pg. 210. et 1907 pg. 706. — [30] *Instr. Clem.* §§ 24. et 31. Potest thus imponi etiam statim post *veneremur cernui* (*Eph. lit.* 1907 pg. 706.) vel dum cantantur duo ultimi versus primae strophae (*Eph. lit.* 1906 pg. 210.). — [31] *S. R. C.* 5. Jul. 1907 ad 1. Derthonen. (*Eph. lit.* 1907 pg. 705.) — [32] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 Dub. VII. Soc. Sales.; *Eph. lit.* 1906 pg. 211.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 27. — [33] Cantari potest a Cantoribus (Instr. Clem. § 31.; *Caer. Ep.* l. c.) vel a duobus Clericis (*Ritual. Rom.* tit. 9. cap. 6. n. 5.) vel a Diacono aut Subdiacono, vel ab ipso Celebrante juxta consuetudinem. Sed quicunque versum cantet, genuflexus esse debet (*Meratus* tom. 1. pars 4. tit. 12. n. 18.)

cui, sicut et responsorio, tempore paschali et infra Octavam ss. Corporis Christi additur *Alleluja*, solus Sacerdos absque ulla praemissa reverentia[34] surgit et omisso *Dominus vobiscum*,[35] praemisso vero *Oremus*, cantat in tono feriali Orationem *Deus qui nobis* cum conclusione breviori *Qui vivis et regnas in saecula saeculorum*.[36] Quibus finitis Diaconus librum reddit Caeremoniario et sine praevia inclinatione[37] ascendit in suppedaneum, ubi simpliciter genuflectit et ostensorium e throno tabernaculi deponit in mensa super corporale sine genuflexione, quam faciet postea, simul cum Officiatore, qui imposita interim sibi adhuc genuflexo in infimo gradu velo humerali,[38] simul cum Subdiacono absque praevia inclinatione[39] ascendit suppedaneum et ad altare simpliciter genuflectit,[40] Subdiacono adgeniculato remanente in ora suppedanei. Fit benedictio cum Sanctissimo ritu infra n. **272.** descripto. Benedictione data et ostensorio in altari deposito factaque cum Diacono simplici genuflexione, Celebrans et Ministri sacri in planum descendunt (reg. gen. 4.) et in infimo gradu in genua procumbunt, nulla addita inclinatione.[41] Dimisso in manus Caeremoniarii velo humerali, Celebrans Sanctissimum more solito thurificat tribus ductibus duplicibus. Diaconus subinde sine praevia inclinatione ascendit ad altare, ibi simpliciter genuflectit, tabernaculum aperit, Sanctissimum reponit,[42] iterum simpliciter genuflectit, reliquis nullam reverentiam facientibus,[43] ostiolum claudit, corporale plicat, in bursam

[34] *S. R. C.* 2. Aug. 1698 n. 2008. et 16. Febr. 1906 Dub. III. ad 1. Soc. Sales. — [35] *S. R. C.* 28. Sept. 1675 n. 1548. Cf. *S. R. C.* 20. Nov. 1891 n. 3751. — [36] *S. R. C.* 29. Mart. 1851 ad 6. n. 2986. et 11. Jun. 1880 ad 2. n. 3515. — [37] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 Dub. III. ad 4. Soc. Sales. — [38] Vide not. 16. — [39] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 Dub. III. ad 3. Soc. Sales. — [40] *S. R. C.* 29. Jul. 1904 ad 9. Ord. Fratr. Min. (*Eph. lit.* 1904 pg. 585.) — [41] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 4. Soc. Sales. — [42] Si ex vigente consuetudine Sanctissimum in capsula (custodia) recondendum sit, Diaconus lunulam cum ss. Hostia ex ostensorio extractam in capsulam (custodiam) includit, tabernaculum reserat, genuflectit, capsulam in tabernaculo reponit, iterum genuflectit et tabernaculum claudit. — [43] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 2. Soc. Sales.

immittit et descendit, cum reliquis, genuflexione simplici in plano facta, abiturus de more in sacristiam. — Ita in permultis regionibus ex longaeva consuetudine reconditur Sanctissimum; sed potest etiam post datam benedictionem immediate in tabernaculo a Diacono reponi, omissa ultima incensatione,[44] sicut Romae fieri solet.

De repositione a solo Celebrante facienda vide infra n. **278.**

2. Si in alio altari reponendum sit ss. Sacramentum, Sacerdos impertita benedictione ad altare expositionis, illico transfert Venerabile ad altare tabernaculi eodem plane modo, ut de translatione ante expositionem (supra ad 5.) docuimus. Collocato super altare tabernaculi Sanctissimo fiant omnia, sicut alias in repositione Sanctissimi. Vide ad 1.

270. Quotiescunque exposito Sanctissimo canitur hymnus *Te Deum* in omnibus functionibus expresse per Rubricas et Decreta non directis ac quotiescunque in fine cum eodem Sanctissimo datur benedictio, hymni *Te Deum* et *Tantum ergo* non uniantur, neque sequentes Orationes de Sanctissimo et pro gratiarum actione sub unica conclusione dicantur, sed hymnus Ambrosianus cum suis versiculis et Oratione sua decantetur ante *Tantum ergo.*[45] Versiculi hymni Ambrosiani ex dispositione S. R. Congregationis[46] sunt: *Benedicamus Patrem et Filium cum S. Spiritu; Benedictus es Domine in firmamento coeli; Domine, exaudi orationem meam* cum unica Oratione *Deus cujus misericordiae;* nisi fiat processio pro gratiarum actione, quia in hac dicuntur versiculi et Orationes assignatae in Rituali Romano tit. IX. cap. 13.

§ 5. De Benedictione cum Sanctissimo.

271. Regulae speciales:

1. Benedictio cum Sanctissimo dari nequit, quin prius aut postea aliquid dicatur vel cantetur. Ideo

[44] Cf. *S. R. C.* 5. Jul. 1907 ad 2. Derthonen. (*Eph. lit.* 1907 pg. 705.) — [45] *S. R. C.* 1. Febr. 1907 ad 10. Emer. Camald.; *Eph. lit.* 1907 pg. 263. sq. — [46] *S. R. C.* 11. Sept. 1847 ad 3. n. 2956.

non licet e. g. post Missam ss. Sacramentum e tabernaculo extrahere, cum eodem immediate benedicere populo illudque statim recondere, nullis precibus dictis aut cantatis, praemissis aut subsequentibus.[1]

2. In expositione, sive privata sive publica, benedictio cum Sanctissimo dari non potest;[2] ante repositionem ss. Sacramenti palam expositi autem benedictio cum eodem dari debet,[3] in repositione privata dari potest.[4]

3. In impertienda benedictione cum Sanctissimo tam in pyxide quam in ostensorio asservato, super reliquas sacras vestes praescriptas (vide suo loco) semper imponendum est velum humerale oblongum.[5] Pro benedictione impertienda cum ostensorio praeter velum humerale requiritur etiam pluviale,[6] idque etiam in casu, si immediate post Missam solemnem danda sit benedictio.[7] Cum pyxide vero benedictio post Missam (privatam) dari potest etiam adhibito velo humerali super planeta.[8]

4. In benedicendo populum cum ss. Sacramento Celebrans oculos continuo in Sanctissimum figere et nihil omnino dicere, cantores et musici nihil quoque canere interim debent.[9]

272. Quomodo fit benedictio solemnis cum ostensorio?

Incensatione Sanctissimi de more peracta factaque post assumptum velum humerale, uti supra n. **268.** ad 3. dictum est, in suppedaneo a Celebrante et Diacono simplici genuflexione, Subdiacono genuflexo remanente in ora suppedanei, Diaconus Celebrantem adjuvat in apprehendendo ostensorio, quod vel hic ipse[10] devotissime accipit ambabus manibus sub velo humerali latentibus dexterâ ad nodum, sinistra ad

[1] *S. R. C.* 7. Jul. 1876 ad 1. n. 3402. — [2] *S. R. C.* 11. Jul. 1857 ad 1. n. 3058. — [3] *S. R. C.* 12. Jul. 1889 n. 3713. — [4] *S. R. C.* 30. Nov. 1895 n. 3875. — [5] *S. R. C.* 13. Jul. 1883 ad 1. n. 3582. et 20. Jul. 1894 ad 3. n. 3833. — [6] *S. R. C.* 7. Dec. 1888 ad 12. n. 3697. — [7] *S. R. C.* 6. Febr. 1892 ad 8. n. 3764. — [8] *S. R. C.* 20. Jul. 1894 ad 3. n. 3833. — [9] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 27.; *S. R. C.* 9. Febr. 1762 n. 2464. et 11. Jul. 1857 ad 2. n. 3058. — [10] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 27.

274. Si benedictio cum Sanctissimo fiat immediate post Vesperas solemnes, in quibus assistunt Clerici pluvialibus induti, et Celebrans cum Pluvialistis ab altari non recedat, non solum idem color (i. e. Vesperarum) adhiberi potest (reg. gen. 11.), sed duo Clerici Pluvialistae loco Diaconi et Subdiaconi assistere possunt Celebranti benedictionem impertienti, dummodo alius Sacerdos vel Diaconus superpelliceo stolaque indutus exponat et reponat Sanctissimum[23] adjuvetque Officiatorem in ostensorio accipiendo et deponendo.[24] Si vero benedictio non immediate sequatur Vesperas et Celebrans cum Pluvialistis post Vesperas redeat in sacristiam, ad benedictionem impertiendam, quae tunc habetur tamquam functio omnino distincta et separata, sacri Ministri induantur Dalmatica et Tunicella albi coloris.

275. Quomodo tradendum est Sanctissimum ante vel post processionem theophoricam solemnem?

Ante processionem Celebrans genuflexus cum Ministris in infimo gradu altaris, imposito de more incenso, thurificat ss. Sacramentum. Velo humerali accepto, ascendit per gradus cum Subdiacono et cum eodem in genua procumbit in ora suppedanei. Eodem tempore Diaconus conscendit ipsum suppedaneum et, praemissa ad altare genuflexione simplici, acceptum Sacramentum stans Celebranti genuflexo[25] tradit ac statim adorato Sanctissimo simplici genuflexione accedit ad dexteram Celebrantis, qui cum Ministris in suppedaneum ascendit, tum vertunt se ad populum et processio incipit.

Post processionem ss. Sacramenti, quum Celebrans et Ministri ad altare pervenerint, in plano consistunt. Celebrans aliquantulum dextrorsum conversus stans Diacono tradit Sanctissimum, quod hic genuflexus in plano, inclinatione mediocri praemissa, e manibus Celebrantis accipit. Interim Sub-

[23] *S. R. C.* 17. Sept. 1785 ad 1. n. 2528. — [24] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 8. Soc. Sales., *Eph. lit.* 1906 pg. 208. 210. — [25] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 20.

diaconus genuflexus in plano adorat Sanctissimum. Ascendente Diacono ad altare cum Sanctissimo in corporali deponendo, Celebrans, genuflexione simplici in plano facta, simul cum Subdiacono in genua procumbit in infimo gradu et velum humerale dimittit in manus Caeremoniarii. Sanctissimo deposito, Diaconus, praemissa genuflexione simplici in suppedaneo, descendit in planum et fit impositio thuris et thurificatio Sanctissimi de more.[26] Dicta observanda sunt etiam in translatione Calicis continentis Sanctissimum Feria quinta et sexta hebdomadae majoris.[27]

Caput II.

De Missis coram ss. Sacramento exposito.

§ 1. Regulae speciales pro Celebrante Missas coram ss. Sacramento exposito.

276. — 1. Praeter Missam expositionis et repositionis[1] regulariter non licet cum vel sine cantu celebrare Missam in altari, in quo Sanctissimum est expositum,[2] nisi adsit necessitas vel gravis causa vel speciale indultum.[3] Attenta tamen consuetudine exstante, quandoque id tolerari potest, praesertim si magnus adsit populi concursus;[4] sed id passim ne fiat et cum venia tantum Ordinarii in singulis casibus obtenta.[5] De Communione distribuenda ad altare expositionis recole dicta n. **231.** ad 10.

2. Exposito ss. Sacramento in altari, in quo Missa celebranda est, Celebrans bis flectit utrumque genu in plano cum mediocri[6] corporis inclinatione: in

---

[26] *Caer. Ep.* l. c. n. 24.; *S. R. C.* 1. Febr. 1907 ad 13. 14. Erem. Camald. *Eph. lit.* 1907 pg. 263. et 267. — [27] *S. R. C.* ibid.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 23. n. 12. 13. et cap. 25. n. 31. 32.

[1] Instr. Clement. § 12.; *S. R. C.* 13. Jun. 1671 ad 5. n. 1421. — [2] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 12. n. 9. — [3] *S. R. C.* 11. Maj. 1878 ad 1. n. 3448. et 13. Sept. 1879 ad 1. n. 3505. et 18. Jul. 1902 ad 1. Queretaro (*Eph. lit.* 1902 pg. 499.). — [4] *S. R. C.* 27. Sept. 1864 ad 2. 3. n. 3124. et 10. Maj. 1890 ad 2. n. 3728. — [5] *S. R. C.* 11. Jun. 1904 ad 1. Ord. Frat. Min. (*Eph. lit.* 1904 pg. 580 sq.) — [6] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 1. Soc. Sales. (*Eph. lit.* 1906 pg. 206.)

pedem posita, vel, juxta praxim Romanam, Diaconus illud ipsi tradit et post benedictionem ab eo recipit, utroque stante.[11] Curet Diaconus omni in casu, ut pes ostensorii extremitatibus veli decenter tegatur; dein genuflectit a dexteris Subdiaconi in ora suppedanei. Celebrans vero dextrorsum se vertit ad populum et ostensorium ante faciem tenens summa cum reverentia elevat, ex parte ss. Hostiae non supra caput, et eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterum recta linea illud attollit usque ad pectus (fere usque ad faciem), deinde linea recta ad sinistrum humerum ducit et linea recta reducit ad dexterum. Tunc vel statim[12] dextrorsum, quin locum mutet, ad altare se convertit circulum perficiens sicut ad *Orate fratres* in Missis ordinariis et ostensorium in corporali deponit; vel ostensorium rursus ante pectus reducit ibique aliquantulum sistit, quasi peracta ad omnes mundi partes cruce Sanctissimum etiam venerandum omnibus praebens; tunc gyrum perficiens vertit se ad altare,[13] uti modo diximus. Benedictione peracta Diaconus assurgit a genuflexione et a dexteris Celebrantis stans e manibus ejus accipit ostensorium deponitque super corporale, nisi Celebrans per semetipsum hoc peragere velit, juxta modo dicta. Omni in casu autem fimbrias veli oblongi pedem ostensorii tegentes paulum sublevet, ut ostensorium commode in altari deponi queat. Haec benedictio non est danda ad verba *Sit et benedictio,* sed in fine hymni post Orationem,[14] ne haec verba, quae referuntur ad *Genitori Genitoque,* ad populum referri videantur. Infra benedictionem Sanctissimum a Thuriferario (Caeremoniario) incensari potest, sed non debet, quia nil praescribitur,[15] et servanda est consuetudo locorum.[16] — De benedictione cum pyxide, relege numerum **266.**

---

[11] *S. R. C.* 14. Jan. 1898 ad 4. n. 3975. — [12] *Caer. Ep.* l. c. — [13] *Bauldry,* pars 4. cap. 16. art. 3. n. 34. Uterque modus admittitur a *S. R. C.* 21. Mart. 1876 ad 2. n. 1563. — [14] *S. R. C.* 5. Febr. 1639 n. 665. — [15] *S. R. C.* 11. Sept. 1847 ad 9. n. 2956. — [16] *S. R. C.* 7. Sept. 1861 ad 6. n. 3108.

273. Dum Episcopus interest benedictioni cum Sanctissimo, in genua procumbit vel in primo stallo chori vel in genuflexorio praeparato ante medium altaris vel potius, ne terga ei vertantur, e regione in cornu Epistolae vel Evangelii.[17] Si nondum expositum sit Sanctissimum, Celebrans et Ministri in accessu ad altare et in recessu ab eodem debitam Episcopo faciunt reverentiam. Recole reg. gen. 7. sub n. **104.** Si autem jam expositum sit ss. Sacramentum, cessant omnes reverentiae Episcopo debitae (reg. gen. 5. n. **262.**), et Celebrans ac Ministri in medio ante altare genuflectunt, etiamsi terga vertant Episcopo.[18] Si Episcopus in habitu camerali[19] vel in rochetto et mozzetta[20] assistat, sive in genuflexorio sive in primo stallo chori, non imponit incensum, nec Sanctissimum incensat, sed Officiator utrumque peragit. Si vero Episcopus cappa[21] sit indutus, impositio thuris et incensatio Sanctissimi ad ipsum Episcopum spectat. Ad quam impositionem primus Officiatori assistens vel dignior Canonicus[22] (non Dignitas), si adsit, facta ad altare genuflexione simplici, ad Episcopum sine reverentia (reg. gen. 5.) accedit eique stanti offert cochlear cum navicula sine osculis (reg. gen. 6.), ministrante Thuriferario thuribulum. Incenso imposito, Episcopus (cum digniore Canonico, si adsit) accedit ad altare et in genua procumbit in medio infimo gradu, retrahentibus se Celebrante et Subdiacono versus cornu Evangelii, Diacono autem versus cornu Epistolae. Episcopus Sanctissimum more solito incensat, post incensationem (comitatus a Canonico digniore, si adsit) revertitur ad genuflexorium, Canonicus vero, si adfuerit, ad locum suum in choro. Officiator cantat versiculum cum Oratione de ss. Sacramento more solito et cum eodem dat benedictionem conjunctim tum Episcopo tum populo.

---

[17] Cf. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 30. n. 1. — [18] *S. R. C.* 26. Aug. 1702 ad 5. n. 2102. — [19] *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 21. n. 3110. — [20] *S. R. C.* 31. Mart. 1703 ad 1. n. 2106. — [21] *S. R. C.* ibid. et 11. Dec. 1896 ad 4. n. 3935. — [22] *S. R. C.* 31. Mart. 1703 ad 2. n. 2106.

retum vel ministro tradit vel manu dextera bursae calicis innixa tenet cum apertura versus pectus, dein progreditur ad altare. Idipsum faciet, si quacunque ex causa sine calice accesserit ad altare hujusmodi. Quo quum pervenerit, se gerit prout dictum est in regula speciali 2.

2. Si Sanctissimum nondum sit expositum, sed nunc exponendum, Celebrans more solito accedit ad altare. Bireto deposito et genuflexione simplici in plano facta, ascendit per gradus, calicem circumcirca velo suo coopertum collocat versus cornu Evangelii, totaliter explicat corporale, aperit tabernaculum, genuflectit, extrahit ostensorium cum Sanctissimo ponitque in corporali, tabernaculum claudit et Sanctissimum, ascenso, si opus sit, scabello, sine nova genuflexione exponit super corporale in throno tabernaculi. Quo facto descendit de scabello, si eo usus fuerit, genuflectit, descendit (reg. spec. 7.) in planum et super infimum gradum in genua procumbit cum mediocri corporis[2] inclinatione. Sine mora surgens[3] imponit incensum absque benedictione et nihil dicens (n. **262.** reg. gen. 7.). Deinde genuflexus in infimo gradu Sanctissimum tribus ductibus duplicibus incensat cum profunda capitis[4] i. e. capitis et modica humerorum[5] inclinatione ante et post incensationem, morula interposita inter singulos ductus. Tunc assurgit, ascendit sine reverentia praemissa, genuflectit ad altare (reg. spec. 3.), calicem in corporali more solito collocat, iterum genuflectit, accedit ad missale in cornu Epistolae, Missam diei perquirit, redux in medio altari denuo genuflectit, descendit in planum et praemissa simplici genuflexione in infimo gradu, incipit Missam.

Si benedictio cum ss. Sacramento danda sit ante Missam, quod tamen fieri non deberet juxta regulam specialem 2. sub n. **271.** traditam, sed pluri-

[2] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 6. Soc. Sales.; *Eph. lit.* 1906 pg. 208. — [3] *S. R. C.* 26. Mart. 1859 ad 3. n. 3086. — [4] *S. R. C.* ibid. — [5] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 1. Soc. Sales.; *Eph. lit.* 1906 pg. 210.

mis in locis ex longaeva consuetudine fieri solet, detur post incensationem ante expositionem. Qua data Sanctissimum exponitur et iterum incensatur.

Si expositio et Missa in alio altari facienda sit, Celebrans manibus junctis ante pectus egreditur e sacristia ad altare ss. Sacramenti sine calice, quem vel ipse vel alius (Sacerdos vel Clericus) antea ad altare attulit. Facta de more ante altare ss. Sacramenti reverentia, Celebrans more solito Sanctissimum e tabernaculo extractum in altari super corporale explicatum, ut supra, deponit, genuflectit, descendit, thus imponit, incensat ut supra. Post incensationem accipit a ministro velum super humeros, ascendit ad altare, genuflectit, ostensorium accipit manibus sub velo humerali positis, se vertit ad populum et Sanctissimum tenens ante faciem, praetermissa benedictione, transfert ad altare expositionis, ubi illud statim deponit in loco parato eminentiori. Deinde genuflectit, descendit in planum, deposito velo humerali Sanctissimum incensat, in omnibus se gerens uti supra.

Si in hoc casu benedictio danda sit ante Missam (vide tamen n. **271.** reg. spec. 2.), Sacerdos simulac pervenit ad altare expositionis, quin ostensorium deponat in mensa super corporali, vertit se ad populum et dat benedictionem modo consueto. Post benedictionem conversus ad altare ostensorium deponit, genuflectit et statim exponit in throno, ut supra ad 2. dictum est.

3. In exordio Missae, postquam descendit in planum ad faciendam Confessionem, genuflectit unico genu in primo gradu.[6]

4. Facta Confessione, antequam ascendat ad altare, non genuflectit, sed postquam pervenit ad medium altaris (reg. spec. 3.) ante orationem *Oramus te Domine etc.* Facta genuflexione osculatur altare de more et post orationem iterum genuflectit, antequam discedat ad cornu Epistolae ad legendum Introitum (reg. spec. 3.).

[6] Auctores communiter. Cf. *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 47. et 49. n. 2682.

primo accessu ad altare expositionis ante Missam et in recessu ab eodem post Missam. Reliquae genuflexiones intra Missam fiunt unico genu.[7]

3. Unum genu flectit Celebrans in medio altaris propter expositum Sanctissimum: *a)* quotiescunque ad medium altaris accedit, sive per gradus, e. g. in principio Missae facta in plano Confessione, sive ex alterutro cornu altaris, e. g. post Orationes; *b)* quotiescunque e medio altaris recedit, sive per gradus in planum sive ad alterutrum cornu; *c)* quotiescunque ante medium altaris transit, etiamsi modo sit inclinatus aut mox sese inclinaturus, e. g. ad *Munda cor meum*.[8]

4. Si inter accessum ad medium altaris et recessum ab eodem habeatur mora, dummodo non sit brevissima, bis genuflectitur, nempe statim post accessum et immediate ante recessum, ita ut prima actio post accessum et ultima actio ante recessum sit genuflexio, e. g. ante et post *Munda cor etc.* Si autem mora sit brevissima, semel tantum genuflectitur, e. g. in accessu ad medium altaris ad dicendum *Dominus vobiscum* ante osculum altaris, non autem post osculum, quia intercedit brevissima tantum mora, applicandi scilicet osculi; item in fine Missae peractis precibus Celebrans semel tantum genuflectit, nimirum antequam accipiat calicem, non autem postquam eum accepit, licet intercesserit calicis aptatio.

5. Quotiescunque Celebrans vertere se debet ad populum, genuflectit antequam se ad eum vertat et postquam iterum ad altare se convertit, et tunc si jam est in medio altaris, prius osculatur altare et dein genuflectit, e. g. post recitatum *Gloria* et *Credo*, ante *Orate fratres etc.*; quando autem modo accedit ad medium altaris, prius genuflectit et postea osculatur altare.

6. Quando in accessu ad medium altaris elevandi sunt oculi, uti ante *Munda cor meum* vel *Suscipe*

---

[7] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 47. et 49. n. 2682. — [8] *Rub. spec.* miss. Fer. V. in Coena Dni.

s. Trinitas, Celebrans prius[9] oculos elevat ad ss. Sacramentum statimque demittit, postea genuflectit et dicit Orationem convenientem.

7. Caveat Celebrans, ne unquam tergum vertat Sanctissimo, ideoque se vertens ad populum vel descendens per gradus, aliquantulum se retrahat e medio altaris versus cornu Evangelii facie versa ad cornu Epistolae, in descensu per gradus insuper faciendo semicirculum versus cornu Evangelii.

8. Omnes capitis inclinationes ob cultum latriae fieri solitae, e. g. ad Nomen *Jesu* et ss. Trinitatis, ad *Gloria Patri* et *Oremus*, omnes oculorum elevationes, omnes pariter genuflexiones tam intra quam extra Evangelium faciendae sunt versus Sanctissimum expositum,[10] si excipias genuflexionem ad *Flectamus genua* in Missis ferialibus, quae facienda est versus librum.[11]

9. Quoad Orationem pro commemoratione ss. Sacramenti vide n. **215.** sq.

10. Eaedem regulae observandae sunt etiam, dum ss. Sacramentum velatum vel in pyxide ad adorationem exponitur.[12]

§ 2. Ritus Missae privatae coram exposito ss. Sacramento.

277. Ritus hujus Missae idem est ac in aliis Missis privatis ordinariis. Quae ob venerabile Sacramentum peculiares ejus sint caeremoniae, facile eruitur partim e regulis specialibus praemissis, partim ex adnotationibus sequentibus.

1. Si ss. Sacramentum in altari, in quo celebrandum est, jam sit expositum, Sacerdos veniens in conspectum Sanctissimi, aliquantulum consistens caput detegit,[1] sicut n. **153.** ad 2. dictum est, et bi-

[9] *Gardellini*, Comment. in Instr. Clement. § 30. n. 27. — [10] Cf. *S. R. C.* 30. Nov. 1895 ad 4. n. 3875. — [11] *S. R. C.* 18. Febr. 1843 n. 2859. — [12] *S. R. C.* 22. Dec. 1753 ad 10. n. 2427.

[1] *Gardellini*, Comment. in Instr. Clement. § 30. n. 25.; *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 15. n. 1.; *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 33. ad 1.

5. Post *Gloria* vel, si non sit dicendum, post *Kyrie* osculatur altare, genuflectit et convertens se ad populum aliquantulum recedit versus cornu Evangelii faciemque vertit ad medium circiter inter cornu Epistolae et populum dicens *Dominus vobiscum:* quod semper faciet in similibus casibus. Reversus ad medium altaris iterum genuflectit et adit cornu Epistolae ad recitandas Orationes. Si dicendum sit *Flectamus genua* observet reg. spec. 8.

6. Si ante Evangelium ipse Celebrans quacunque ex causa librum transferat, per medium transiens non genuflectit, sed caput tantum profunde inclinat, dein in medium reversus genuflectit ante et post *Munda cor meum.*[7] Quoad reverentias intra Evangelium faciendas observet reg. spec. 8.

7. Ad *Lavabo* stat vel in supremo gradu[8] cornus Epistolae vel descendit in planum,[9] ubi per suam sinistram se volvens, facie ad populum conversa lavat digitos, acceptoque manutergio statim ascendit in suppedaneum ad illos abstergendos et ad absolvendum psalmum in loco solito. Manutergium reddit ministro.

8. Ad *Orate fratres,* osculato altari et facta genuflexione, se paululum retrahit ad cornu Evangelii (reg. spec. 7.), non tamen perficit circulum, sed per eandem viam revertitur ad medium altaris, ubi genuflectit. In ulteriori decursu usque ad Communionem Missam prosequitur de more.

9. Postquam purificationem hauserit, posito calice super corporale, genuflectit; dein calice more solito apprehenso, adit cornu Epistolae,[10] et facta ibi digitorum ablutione, digitisque extersis, ad medium altaris reversus, iterum genuflectit.

10. Ad benedictionem populi, dicto *Placeat* osculatur altare, deinde pronuntiatis verbis *Benedicat vos omnipotens* ad vocem *Deus* caput non inclinat, sed

---

[7] *S. R. C.* 1. Febr. 1907 ad 12. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 259.) — [8] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 48. n. 2682. — [9] *S. R. C.* ibid. — [10] *Memor. Rit.* tit. 4. cap. 2. § 1. n. 19.; *Gardellini,* Comment. § 30. n. 29.

genuflectit; mox conversus ad populum in cornu Evangelii, ut supra ad *Orate fratres*, benedictionen impertit ritu consueto. Qua data circulum non perficiens eadem via i. e. per suam sinistram revertitur, non quidem ad medium altaris neque iterum genuflectens, sed immediate transit ad legendum ultimum Evangelium.

11. Ante ultimum Evangelium, sive Sanctissimum expositum sit in mensa altaris, uti Feria quinta in Coena Domini, sive in throno tabernaculi, uti communiter fieri solet, non signat altare, sed tabellam aut librum et seipsum; si neque tabella neque liber adsit, vel sola tabella longius distans, seipsum solum signat.[11] Ratio hujusce signi omissionis est, quia, praesente realitate i. e. exposito Sacramento, haud convenit, signare altare, quod est symbolum et repraesentatio Christi. Ad *Et Verbum caro factum est* genuflectit versus ss. Sacramentum, juxta reg. spec. 8.

12. Finita Missa et dictis precibus post Missam praescriptis (vide n. **229.** ad 1.), si Sanctissimum maneat expositum, Celebrans, antequam discedat ab altari, utrumque genu flectit in plano cum mediocri i. e. capitis et modica humerorum inclinatione (reg. spec. 2.) et revertitur in sacristiam, caput cooperiens extra conspectum ss. Sacramenti.

278. Si Sanctissimum statim sit reponendum, tunc ante repositionem omnino danda est benedictio cum Sanctissimo, juxta reg. spec. 2. n. **271.** Celebrans, finito ultimo Evangelio et genuflexione in medio altaris facta, calicem velo suo undequaque coopertum removet versus cornu Evangelii, corporale explicat, genuflectit et descendit per gradus ad recitandas preces post Missas privatas praescriptas. Quibus absolutis Celebrans surgit et, facta in plano genuflexione utroque genu cum mediocri corporis incli-

[11] *Rub. miss.* in Coena Domini; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 23. n. 9. Decretum *S. R. C.* 30. Dec. 1881 ad 14. n. 5830. antiquae Collectionis praxi contrariae, signandi scil. altare, fortasse favens e nova Collectione authentica exulavit.

natione,[12] vadit ad abacum, ubi deposita casula et manipulo induit pluviale; quo facto redit ante medium altaris ibique in plano eamdem ac ante facit genuflexionem. Subinde stans[13] incensum imponit nihil dicens et absque benedictione et genuflexus ter incensat Sanctissimum, profunda capitis[14] i. e. capitis et modica humerorum inclinatione ante et post incensationem facta. Deinde peragit omnia, quae dicta sunt supra n. **266.** ad 2., mutatis mutandis. Benedictione impertita se convertit ad altare, ostensorium super corporale deponit et genuflexione facta descendit in planum, velum humerale dimittit, in infimo gradu genuflexus incensat Sanctissimum ut supra, surgit sine nova reverentia, ascendit ad altare, genuflectit, tabernaculum aperit, Sanctissimum in eo reponit, genuflectit, ostiolum tabernaculi claudit, corporale complicat, in bursam immittit, descendit et more solito in sacristiam revertitur, calicem in altari relictum postea vel ipse vel alius (Sacerdos vel Clericus) in sacristiam reportaturus.

Si Sanctissimum in alio altari recondendum sit, Celebrans benedictione impertita, quin se iterum ad altare convertat, eodem prorsus modo ostensorium ante pectus tenens, statim per gradus descendit et ad altare tabernaculi procedit. Ibi ostensorio in altari super corporale collocato et genuflexione facta descendit in planum et in infimo gradu genuflexus ss. Sacramentum incensat, de cetero se gerens ut supra.

§ 3. Ritus Missae solemnis coram exposito ss. Sacramento.

279. Generaliter loquendo, in Missa solemni coram exposito Sanctissimo a Celebrante et a Ministris sacris observandae sunt regulae traditae pro cele-

[12] *S. R. C.* 24. Nov. 1899 ad 5. n. 4048. et 16. Febr. 1906 ad 1. Soc. Sales. (*Eph. lit.* 1906 pg. 208.) — [13] *S. R. C.* 26. Mart. 1859 ad 3. n. 3086. — [14] *S. R. C.* ibid. et 16. Febr. 1906 ad 1. Soc. Sales. *Eph. lit.* 1906 pg. 210.

bratione Missae tum solemnis ordinariae tum privatae coram exposito ss. Sacramento. Insuper attendant ad regulas generales 3. 4. 7. sub n. **262.**

Regulae speciales:

1. Utrumque genu flectunt Celebrans et Ministri sacri in accessu ad altare, in quo jam expositum est Sanctissimum et in recessu ab eodem, si in eo remaneat expositum ss. Sacramentum; in utroque casu ante gradus altaris in plano.[1] Accedendo ad altare hujusmodi caput detegunt statim ac pervenerint in conspectum Sanctissimi, recedendo ab eodem autem caput cooperiunt, postquam ab ejusdem conspectu se subtraxerint.[2]

2. Intra Missam genuflexiones exsequuntur unico genu,[3] etiam eae, quae faciendae sunt accedendo ad altare vel recedendo ab eodem, et eae, quae fiunt specialiter ratione ss. Sacramenti expositi, excepta genuflexione intra incensationem Sanctissimi in supremo gradu altaris, quae fit utroque genu; quod valet tam pro Celebrante, quam pro Ministris sacris. Dixi: etiam genuflexiones, quae fiunt specialiter ratione ss. Sacramenti expositi: nam genuflexio Subdiaconi ad accipiendam post cantatam Epistolam benedictionem et Diaconi ad petendam ante Evangelium cantandum benedictionem Celebrantis, nec non genuflexiones utriusque tam intra Consecrationem et Elevationem quam ad ultimam benedictionem, quae omnes utroque exsequuntur genu, non cadunt sub hac regula, quia non sunt faciendae propter Sanctissimum expositum, sed propter ritum Missae solemnis.

3. Diaconus et Subdiaconus genuflectunt: *a)* Quotiescunque ab uno latere in aliud transeunt, semper et tantum in utroque latere;[4] *b)* quotiescunque ab uno latere accedunt ad medium vel vice versa[5] semper

---

[1] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 47. et 49. n. 2682. — [2] *Cavalieri*, tom. 4. cap. 8. § 30. et cap. 10. decr. 2. n. 4.; *Gardellini*, Comment. in Instr. Clem. § 30. n. 7. — [3] *S. R. C.* ibid.; *Cavalieri*, tom. 4. cap. 10. decr. 2. n. 2. — [4] *S. R. C.* 9. Jun. 1899 ad 1. n. 4027. — [5] *Rub. spec.* in Coena Domini. Quid sit „medium" invenies n. 80. not. 3.

et tantum in loco, a quo recedunt,[6] nisi accessus ad medium altaris locum habeat simul cum Celebrante, e. g. post *Kyrie*, quia tunc genuflectunt in medio;[7] *c)* quotiescunque e medio ascendunt ad altare aut vice versa, semper et tantum in loco, e quo recedunt;[8] *d)* quotiescunque genuflectit Celebrans, a cujus lateribus stant;[9] *e)* quotiescunque ab altari recedunt vel ad eum accedunt, semper in medio.

4. Exposito ss. Sacramento reverentia nemini debetur, nec Episcopo praesenti. Reg. gen. 5. n **262.** Omittendae ergo sunt omnes salutationes chori et Celebrantis necnon inclinationes et genuflexiones ante Episcopum in accessu, recessu et transitu. Non omittuntur inclinationes ante et post incensationem (recole n. **91.**), neque ante et post dandam Pacem (relege n. **98.** ad 3.).

5. Omittenda sunt oscula mere reverentialia i. e. ob meram reverentiam Celebranti praestanda in traditione et receptione rerum, uti dictum est sub n. **103.** Praestanda autem sunt oscula ritualia seu ad ritum pertinentia; qualia sunt: *a)* ex parte Celebrantis osculum libri Evangelii a Subdiacono ipsi delati; *b)* ex parte Diaconi osculum manus Celebrantis ante Evangelium cantandum, oscula patenae, calicis et manus Celebrantis ad Offertorium et iterum patenae et manus Celebrantis in fine Orationis Dominicae; *c)* ex parte Subdiaconi osculum manus Celebrantis post Epistolam cantatam.

280. Quae in functione peragenda sunt?

1. In accessu ad altare expositionis Celebrans et Ministri sacri se gerunt, ut supra in numeri praecedentis regula speciali prima dictum est. Facta post accessum genuflexione duplici in plano illico omnes assurgunt et sine ulla alia reverentia addenda Missam incipiunt. Si nunc demum Sanctissimum exponendum sit, observent dicta n. **268.** ad 3.

---

[6] *S. R. C.* ibid. ad 2. — [7] *Rub. spec.* in Coena Domini. — [8] *S. R. C.* ibid. ad 3. — [9] *Rub. gen.* miss. XVII. n. 4. Recole reg. gen. 4. n. 80.

2. Si facienda sit Aspersio aquae lustralis, fiat ante expositionem; si autem fiat exposito jam Sanctissimo, omnia peraguntur de more, omissa aspersione altaris tantum.[10] In aspergendo populo Celebrans non stat in medio ante ostium presbyterii, sed paulisper versus cornu Evangelii vel Epistolae, ne tergum vertat Sanctissimo. Post aspersionem cum Ministris sacris, facta in infimo[11] gradu simplici[12] genuflexione, accedit ad scamnum. Deposito ibi pluviali assumptisque a Celebrante manipulo cum casula et a Ministris manipulis, omnes revertuntur ad altare, factaque ibi simplici genuflexione in infimo gradu, incipitur Missa.

3. Confessione expleta, Celebrans, Diaconus et Subdiaconus, nulla praemissa genuflexione,[13] ascendunt ad altare ibique genuflectunt. Ad quam genuflexionem tenentur Ministri sacri propter conformitatem cum Celebrante, penes quem stant (reg. spec. 3. ad *d*), quique genuflectere debet ex regula speciali 3. n. **276.**

4. Prima altaris incensatio peragitur sicut in Missa solemni sine expositione. Attamen: *a)* Celebrans incensum imponit stans non in medio altaris, sed paulisper versus cornu Evangelii facie conversa ad cornu Epistolae, nulla facta genuflexione,[14] quia non totaliter recedit e medio altaris, sed tantillum se retrahit. *b)* Benedictio thuris petitur et datur de more, non obstante expositione, quia non solum Sanctissimum, sed et altare et Celebrans incensantur, secundum regulam generalem 7. n. **262.** *c)* Crux altaris, si apponatur, quod est ad libitum,[15] non incensatur, sed ss. Sacramentum dumtaxat. Celebrans igitur, thure imposito, absque genuflexione (quia proprie e medio non disceditur) directe cum Ministris sacris ad supremum gradum altaris descendit ibique ac-

---

[10] *S. R. C.* 18. Jul. 1885 ad 2. n. 3639. — [11] *S. R. C.* 1. Febr. 1907 ad 3. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 262.). — [12] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 49. n. 2682. — [13] Ita auctores communiter. — [14] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 5. (*Eph. lit.* 1907 pg. 68.) — [15] *S. R. C.* 2. Sept. 1741 ad 1. n. 2365.

cepto a Diacono thuribulo in ora suppedanei genuflexus ter duplici ductu[16] Sanctissimum incensat, morula interposita inter singulos ductus factaque ante et post incensationem profunda capitis[17] i. e. capitis et mediocri humerorum[18] inclinatione simul cum Ministris sacris toto incensationis tempore posteriorem planetae partem aliquantulum elevantibus, ceteris omnibus interim ad altare genuflexis. Absoluta Sanctissimi incensatione Celebrans cum Ministris sacris et inferioribus surgit et, facta cum Diacono et Subdiacono ad altare simplici genuflexione, statim procedit ad incensationem altaris, in transitu ante medium simul cum Ministris eum comitantibus simpliciter genuflectens. *d)* Reliquiae et statuae Sanctorum[19] tempore expositionis non sunt collocandae super altare; si autem non facile amoveantur, in thurificatione penitus ignorantur. *e)* Incensatione peracta et thuribulo reddito, Celebrans in cornu Epistolae secundum consuetudinem consistit vel in supremo gradu vel descendit in planum,[20] ubi per suam sinistram se volvens facie ad populum conversa tribus ductibus incensatur a Diacono ex adverso in plano stante, tergo ad populum converso, Subdiacono interim stante a sinistris Diaconi.

5. In Missis coram exposito Sanctissimo convenienter non sedetur, sed si fiat sessio, quod ceterum licet,[21] sedendum est capite detecto et manus non junguntur, sed more solito tenentur.

6. Absoluto *Kyrie* omnes ad medium altaris accedunt, ubi simpliciter genuflectunt, unusquisque in loco suo. Intonato a Celebrante *Gloria*, Ministri sacri ad vocem *Deo* genuflectunt, antequam accedant ad altare, ubi non genuflectunt (reg. spec. 3. ad *c*). Si post recitatum Hymnum non sit sedendum, Diaconus et Subdiaconus, genuflexione in suppeda-

[15] *S. R. R.* 24. Nov. 1899 ad 9. n. 4048. — [17] *S. R. C.* 26. Mart. 1859 ad 3. n. 3086. — [18] *S. R. C.* 16. Febr. 1906 ad 1. Soc. Sales.; *Eph. lit.* 1906 pg. 210. — [19] *S. R. C.* 2. Sept. 1741 ad 1. n. 2365. — [20] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 48. n. 2682. — [21] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 33. n. 33.

neo facta, redeunt ad loca sua, ubi non genuflectunt (reg. spec. 3. ad *c*).

7. Si recitato Hymno sit sedendum, Celebrans observabit dicta n. **253.** ad 5. Ministri sacri vero dicta n. **80.** ad 11. Accedentes ad sedes per viam breviorem omnes simpliciter genuflectunt in suppedaneo (reg. spec. 3. ad *e*), accedentes per viam longiorem (ob situationem sedis) insuper genuflectunt in infimo gradu (reg. spec. 3. ad *e*). Intra sessionem se gerunt sicut supra ad 5. dictum est. Reversi a sede omnes simpliciter genuflectunt in infimo gradu, Celebrans insuper in suppedaneo, non autem Ministri in locis suis, quia non adstant Celebranti a lateribus.

8. Cantato post Hymnum *Dominus vobiscum*, omnes genuflectunt in locis suis (reg. spec. 3 ad *b*), antequam accedant ad cornu Epistolae ad cantandas Orationes.

9. Cantata Epistola et osculata manu Celebrantis ut alias, Subdiaconus missale transfert ad cornu Evangelii, genuflexione facta ante et post translationem in utroque latere (reg. spec. 3. ad *a*); Diaconus autem simpliciter genuflectit in loco, ubi stat (ad cornu Epistolae), descendit ante altare in planum, ubi in infimo gradu genuflectit (reg. spec. 3. ad *c*), non autem, deposito libro, ad altare, ibique consistit, donec Celebrans lectionem Evangelii absolverit.

10. Lecto Evangelio Celebrans non movetur e loco suo, sed stans in eodem loco conversus ad medium altaris imponit thus more solito. Quo imposito cum Ministris sacris accedit ad medium altaris et simul cum eis genuflectit (reg. gen. 3. ad *a* n. **276.** et reg. spec. 3. ad *d*). Diaconus simul cum Subdiacono descendit et in loco consueto genuflexus dicit *Munda cor meum*. Subdiaconus eodem tempore descendit in planum. Celebrans in medio altaris junctis ante pectus manibus exspectat Diaconum cantaturum Evangelium, cui antequam benedictionem impertiat, paululum se retrahit versus cornu Evangelii absque praevia genuflexione (quia non totaliter recedit e medio), benedictionem daturus Diacono. Qua data ad me-

dium altaris se convertit ibique simul cum Diacono genuflectit, quia transiturus est ad cornu Epistolae, ubi stabit facie ad altare conversa, donec Diaconus inceperit cantum Evangelii, quo incepto se convertit ad Diaconum.

11. Ad incensationem libri Evangeliorum Diaconus se gerit sicut in aliis Missis solemnibus sine expositione. Nulla ergo facienda est genuflexio versus Sanctissimum expositum ante et post dictam incensationem, quia nulla adest ratio eam faciendi; sed sufficit capitis inclinatio versus librum, ut alias ante et post incensationem. De reverentiis intra Evangelium cantandum a Celebrante, Diacono, Thuriferario et Caeremoniario faciendis recole n. **276.** reg. spec. 8. In delatione libri osculandi ad Celebrantem post cantatum Evangelium Subdiaconus se gerit ut alias, omissa inclinatione ante Celebrantem.

12. Post *Et incarnatus est* Diaconus bursam deferens genuflectit in infimo gradu (reg. spec. 3. ad *c* et *e*), non autem in suppedaneo; corporali in altari explicato genuflectit in suppedaneo tantum, si revertatur ad sedes via breviori, et insuper in infimo gradu, si revertatur via longiori, quia ab altari recedit.

13. Accepta post Offertorium patena, Subdiaconus genuflectit a dexteris Diaconi in suppedaneo (reg. spec. 3. ad *b*), antequam descendat in planum ante gradus, ubi non[22] genuflectit et toto tempore stat immobilis, etiamsi Celebrans et Diaconus genuflectant intra incensationen.

14. Impositio thuris pro incensatione Oblatorum et altaris fit uti ante Introitum, sed cum formula *Per intercessionem.* Incensatio Oblatorum et altaris peragitur ut alias, sed incensatis Oblatis Diaconus calicem e medio non amovet, quia incensatio Sanctissimi fit in ora suppedanei uti ante Introitum. Sanctissimo incensato, Celebrans et Diaconus ad altare reversi genuflectunt et reliqua peragunt ut alias. Celebrans incensatur in loco et modo sicut ante In-

[22] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 ad 6. (*Eph. lit.* 1907 pg. 68)

troitum; Subdiaconus in loco suo ante medium altaris conversus ad Diaconum incensantem ad cornu Epistolae, nulla facta genuflexione ante et post incensationem, quia non recedit e medio altaris; Diaconus autem in secundo gradu in loco suo, genuflexione ibi praemissa, quia ad altare revertitur ex incensatione chori. Incensatione accepta non genuflectit, quia non recessit e medio.

15. Manus lavat Celebrans in eodem loco, in quo accepit incensationem, dummodo terga non vertat Sanctissimo.[23]

16. Post *Suscipiat* Diaconus, si non adest Caeremoniarius, genuflectit (reg. spec. 3 ad *c*) et ascendit ad Celebrantem, cui assistit ad librum. Ad initium Praefationis genuflectit (reg. spec. 3. ad *c*) et descendit ad locum suum post Celebrantem; ad finem Praefationis genuflectit et simul cum Subdiacono, qui etiam genuflectit in loco suo, ascendit ad Celebrantem ad recitandum Trisagium, quo recitato ambo genuflectunt (reg. spec. 3. ad *c*); Subdiaconus descendit in locum suum in plano, ubi stat, Diaconus vero transit sine genuflexione in medio ad sinistram Celebrantis, ubi genuflectit (reg. spec. 3. ad *a*).

17. Ante Consecrationem Diaconus transiens a sinistra ad dexteram Celebrantis genuflectit utrimque, non in medio post Celebrantem (reg. spec. 3. ad *a*).

18. Post Communionem Ministri observabunt omnes genuflexiones pro aliis Missis praescriptas; sed insuper ratione ss. Sacramenti expositi genuflexionem praestabunt, quoties ad altaris medium accedunt vel ab eo recedunt. Quapropter Subdiaconus deferens calicem ad credentiam debet genuflectere in suppedaneo (reg. spec. 3. ad *c*), antequam accipiat calicem, et iterum transeundo in medio infimo gradu ut in aliis Missis, quia ab altari recedit ad credentiam.

19. Diaconus cantaturus *Ite Missa est* in loco suo genuflectit et dextrorsum se vertens aliquantulum se retrahit e medio, facie conversa ad medium cir-

[23] *S. R. C.* 12. Nov. 1831 ad 48. n. 2682.

citer inter cornu Epistolae et populum. Post cantum conversus ad altare cum Subdiacono a sinistris suis in genua procumbit in ora suppedanei benedictionem accepturus.

20. In recessu ab altari finita Missa Celebrans et Ministri observabunt reg. spec. 1.

21. Si post Missam danda sit benedictio cum Sanctissimo, Celebrans omnino assumere debet pluviale.[24] Celebrans igitur et Ministri sacri, facta in medio ante gradus in plano duplici[25] genuflexione, ad scamnum se conferunt, ubi facie ad altare versa, deposita casula et manipulo, Celebrans assumit pluviale coloris Missae, Ministri vero deponunt manipulos. Reduces ad altare genuflexionem duplicem in plano iterant et datur benedictio ritu praescripto. Recole n. **272.**

Tractatus VI.

De Missis et Functionibus pro Defunctis.

Caput I.

Praenotationes generales.

281. Missae de Requie sunt Missae, quae pro defunctis in colore nigro extra ordinem Officii juxta proprium formulare et peculiarem ritum celebrantur.

1. Paramenta Missarum de Requie, uti ex definitione patet, debent esse nigri coloris, adeo ut color violaceus adhiberi nequeat, nisi in iis Missis de Requie, quae die 2. Novembris celebrantur in ecclesiis, in quibus ss. Eucharistiae Sacramentum publicae fidelium adorationi expositum est pro solemni Oratione Quadraginta Horarum.[1] Alius color omnino excluditur in Missis de Requie.

---

[24] *S. R. C.* 6. Febr. 1892 ad 8. n. 3764. — [25] *S. R. C.* 24. Nov. 1899 ad 5. n. 4048.

[1] *S. R. C.* 27. Jun. (23. Jul.) 1868 n. 3177.

2. Permittitur usus pallae a superiori parte panno serico coopertae, dummodo pannus superior non sit nigri coloris, nec referat aliqua mortis signa.[2]

3. In Missis de Requie nulla habetur ratio Festi aut Officii currentis, vel anni temporis, quo celebrantur. Hinc nulla unquam fit Commemoratio Festi aut Officii diei, Hymnus angelicus et Symbolum nunquam dicuntur, Praefatio semper dicitur communis, in Oratione Canonis *Communicantes* nihil mutatur et in fine semper dicitur Evangelium s. Joannis.

4. Adprecatio *Requiescant in Pace* in fine Missarum de Requie semper dicenda est in numero plurali, etiamsi pro una tantum defuncta persona celebrarentur; in Absolutione vero in singulari, si fiat pro uno defuncto, in plurali, si fiat pro pluribus defunctis.[3]

Reliqua de hac materia: De obligatione celebrandi Missas de Requie, de impedimentis Missarum de Requie, de Missis privilegiatis et non privilegiatis de Requie in genere et in specie etc. vide in alio opusculo meo.[4]

Caput II.

De Orationibus et Sequentia in Missis de Requie.

282. Unica Oratio dicitur in Missis privilegiatis[1] de Requie quibuscunque, sive fiant cum sive sine cantu. Ita generatim loquendo; in specie vero dicitur unica Oratio:

1. In omnibus Missis de Requie cum vel sine cantu sine exceptione in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum.

2. In Missis, quae celebrantur die et pro die obitus seu depositionis[2] defuncti; hoc est, *a)* tam in

[2] *S. R. C.* 17. Jul. 1894 ad 4. n. 3832. — [3] *S. R. C.* 22. Jan. 1678 n. 1611. — [4] Cui titulus: Missae de Requie juxta Rubricas a Leone Papa XIII reformatas et Decreta S. Rituum Congregationis novissima. Venumdatur in libraria catholica Labaci (Laibach).

[1] *S. R. C.* 30. Jun. 1896 ad 1. n. 3920.; *Rub. gen.* miss. reform. V. n. 3. — [2] Nomine „obitus seu depositionis“ intellige non tantum diem mortis et sepulturae, sed etiam dies inter-

Missa exsequiali solemni et in Missis exsequialibus privatis, quae occasione solemnis celebrantur die depositionis defuncti vel, hac die liturgice impedita, infra biduum a depositione ob gravem causam jam facta; *b)* quam in Missis de Requie cum vel sine cantu, pro respectivo defuncto celebratis in Semiduplicibus vel Simplicibus occurrentibus ab obitu usque ad depositionem vel infra dictum biduum.[3]

3. In omnibus Missis de Requie cum cantu diebus tertio, septimo et trigesimo, die post acceptum de alicujus obitu nuntium et in Anniversariis stricte[4] sive late[5] sumptis; in Missis vero sine cantu praefatis diebus nonnisi permittente ritu i. e. in Semiduplicibus et Simplicibus.

283. Plures, hoc est ad minimum tres Orationes, numero tamen semper dispari, dicuntur in Missis non privilegiatis seu quotidianis cum vel sine cantu.[6]

1. In Missis quotidianis cum cantu tres Orationes sumi debent, nec plures nec pauciores. Si *a)* Missa celebratur pro defuncto vel defuncta vel defunctis certo designatis, primo loco ponitur Oratio conveniens huic defuncto vel defunctae vel defunctis certo designatis, pro quibus Missa offertur, eligenda ex „Orationibus diversis", quae in missali post Missam quartam de Requie habentur. Secundo loco sumitur Oratio ad libitum, ad beneplacitum Celebrantis eligenda ex iisdem Orationibus diversis. Tertio loco dicitur Oratio pro omnibus defunctis *Fidelium Deus.* Si vero *b)* celebretur pro defunctis in genere, tunc

---

medios seu totum spatium mortem inter et sepulturam alicujus defuncti. — [3] Cf. *S. R. C.* 28. Apr. 1902 ad 11. Labacen. (*Eph. lit.* 1902 pg. 355.) — [4] Anniversaria stricte sumpta sunt ea, quae die anniversaria ab obitu vel depositione vel alia in perpetuum statuta in cantu celebrantur. — [5] Anniversaria late sumpta sunt ea, quae extra diem anniversariam obitus seu depositionis et absque praefixione diei in cantu celebrantur vel a religiosis communitatibus, confraternitatibus, Capitulis pro confratribus semel in anno vel pro quibuscunque defunctis fidelibus infra Octavam Omnium Fidelium defunctorum. — [6] *S. R. C.* 30. Jun. 1896 ad 2. 3. 4. n. 3920.; *Rub. gen.* miss. reform. V. n. 4.

dici debent tres Orationes, quae pro Missis quotidianis in missali prostant, eodemque ordine, quo sunt inscriptae, ergo primo loco *Deus qui inter apostolicos*, secundo *Deus veniae largitor*, tertio loco *Fidelium Deus*.

2. In Missis quotidianis sine cantu tres saltem Orationes dici debent, sed plures, si placuerit, dici possunt. Si Celebrans tres tantum dicat, observet omnia, quae modo dicta sunt de Orationibus in Missis quotidianis cum cantu. Si vero plures quam tres dicere voluerit, servetur numerus impar cum aliis praescriptis Orationibus et ultimo loco semper Oratio pro omnibus defunctis *Fidelium Deus* assignetur.

284. Sequentia *Dies irae* est de praecepto in Missis de Requie cantatis et privilegiatis quibuscunque, in reliquis est ad libitum.[7] Sequentia ergo dici debet:

1. In omnibus Missis de Requie cum cantu, sive sint solemnes sive simpliciter cantatae, sive celebrentur diebus privilegiatis sive non privilegiatis, sive dicatur una Oratio sive tres.

2. In omnibus Missis de Requie privilegiatis idque non solum in cantatis, uti supra ad 1., sed etiam in lectis; ergo in omnibus Missis cum unica Oratione.

In reliquis Missis dici potest. Ergo non datur casus, in quo *Sequentia* necessario omitti debeat.

Caput III.

De Missa privata de Requie.[1]

285. Notamus hic ea tantum, in quibus differt Missa privata ordinaria a Missa privata de Requie.

1. Post antiphonam *Introibo ad altare Dei*, praetermisso psalmo *Judica* cum *Gloria Patri etc.*, Celebrans illico subjungit *Adjutorium nostrum* et Confessionem cum reliquis.

---

[7] *S. R. C.* l. c. ad 4.; *Rub. gen.* miss. reform. V. n. 5.
[1] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 1.

2. Ad Introitum non se signat nec dicit *Gloria Patri etc.*, sed sinistra posita, non in missali, sed in mensa,[2] dextera extensa signum crucis facit super missale per aërem.

3. Omittitur Hymnus angelicus et Symbolum.

4. Ante Evangelium dicitur tantum *Munda cor meum etc.*, minime vero *Jube Domine benedicere* nec *Dominus sit etc.* Lecto Evangelio Celebrans nec librum osculatur nec dicit *Per Evangelica dicta.*[3] Dicitur tamen a ministro *Laus tibi Christe.*

5. Aqua ad Offertorium non benedicitur, Oratio tamen conveniens *Deus qui humanae* recitatur. In fine psalmi *Lavabo* nec *Gloria Patri etc.* dicitur nec *Requiem aeternam etc.*

6. Praefatio semper dicitur communis, item *Communicantes,* licet Missa celebretur infra Octavam habentem haec propria.

7. Ad *Agnus Dei* pectus non percutitur, sed manus junctae ante pectus tenentur, non autem altari imponuntur. Loco *Miserere nobis* dicitur *Dona eis requiem,* tertia autem vice loco *Dona nobis pacem* dicitur *Dona eis requiem sempiternam.*

8. Prima Oratio ante Communionem *Domine Jesu Christe qui dixisti etc.* omittitur.

9. Sub finem Missae Celebrans non pronuntiat *Ite Missa est* nec *Benedicamus Domine,* sed *Requiescant in pace* semper in numero plurali, etiamsi pro uno tantum Missam celebret, stans erectus, facie ad altare conversa et manibus junctis ante pectus.

10. Dicto *Placeat* non impertitur benedictio, sed altari osculato dicitur de more ultimum Evangelium s. Joannis.

In gratiarum actione post Missam, sicut in praeparatione ad Missam de Requie pro opportunitate Sacerdoti celebraturo proposita et commendata nihil mutari vel omitti oportet, ideoque in fine Psalmorum dicitur *Gloria Patri* et tempore paschali ad Antiphonam additur *Alleluja.*

1847 [2] *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 25. n. 2572. — [3] *S. R. C.* 11. Sept. ad 10. n. 2956.

Caput IV.

De Missa solemni de Requie.

§ 1. Regulae generales.

286. — 1. Omittuntur omnia omnino oscula tam reverentialia quam ritualia manuum, missalis et instrumentorum tum in Missis[1] tum in ceteris functionibus pro defunctis.

2. Omittitur benedictio Ministrorum sacrorum, nempe Subdiaconi post Epistolam et Diaconi ante Evangelium; item benedictio aquae ad Offertorium et populi in fine Missae.[2]

3. Omittitur omnis incensatio praeter incensationem Oblatorum, Crucis, Altaris et Celebrantis post Offertorium necnon ss. Sacramenti ad utramque elevationem.[3]

4. Quae mutantur aut omittuntur in Missa privata de Requie, ea variantur vel praetermittuntur etiam in solemni.

§ 2. Ritus Missae solemnis de Requie.

287. Subjungimus praecipue ea, quae huic Missae sunt peculiaria, remittentes Lectorem quoad ceteras caeremonias ad capita, in quibus sermo est de Missa solemni. Ministri inferiores recolant, quae pro iis generatim dicta sunt n. **43.** praesertim ad 5., Ceroferarii attendant dicta n. **48.**, Thuriferarius dicta n. **60.**

1. Confessione facta precibusque adnexis persolutis, **Diaconus** et **Subdiaconus** simul cum **Celebrante** ascendunt ad altare,[1] quo a Celebrante osculato, sine praevia genuflexione, continuo, quum altare nequaquam sit thurificandum (reg. gen. 3.), cum Celebrante adeunt cornu Epistolae, ubi ad Introitum stant ut alias, et cum eodem recitant *Kyrie eleison.*

---

[1] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 2.; *Caer. Eph.* lib. 1. cap. 18. n. 16. et lib. 2. cap. 11. n. 5.; *S. R. C.* 16. Nov. 1906 ad 3. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 65.) — [2] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 2. — [3] Ibid.

[1] Cf. *Schober*, Caer. art. 6. cap. 2. not. 2.

2. **Subdiaconus** cantata Epistola non pergit ad osculandam manum Celebrantis, neque ab eo benedicitur (reg. gen. 1. 2.), sed repetita in medio infimo gradu genuflexione, Diacono (vel, si talis adsit consuetudo, Caeremoniario) in cornu Epistolae tradit librum, translaturus ipse de more missale ad cornu Evangelii.[2]

3. Dum Celebrans legit Evangelium, **Diaconus** librum Evangeliorum uti alias defert ad medium altaris; illo autem expleto, simul cum Subdiacono illico descendit, hic in planum, Diaconus ipse autem in supremum gradum, ubi in ora suppedanei genuflexus mediocriter inclinatus profert *Munda cor meum etc.* tantum. Tum libro de altari sumpto, quin petat benedictionem (reg. gen. 2.), statim descendit in planum ad dexteram Subdiaconi, ubi, chori cantu finito, facta cum Subdiacono simplici genuflexione in primo gradu, pergit ad cantandum Evangelium in loco consueto. Liber non incensatur (reg. gen. 3.), Evangelio cantato **Subdiaconus** librum non praebet Celebranti osculandum (reg. gen. 1.), sed statim tradit Caeremoniario, neque **Diaconus** Celebrantem incensat (reg. gen. 3.). Uterque accedit ad locum suum et genuflectit.

4. **Subdiaconus,** cantato a Celebrante *Oremus* ad Offertorium, genuflectit in loco suo super infimum gradum et per planum accedit ad credentiam, unde calicem velo suo coopertum cum bursa corporalis superposita sine velo humerali oblongo defert ad altare. Dum Diaconus corporale explicat, **Subdiaconus** detrahit calici velum et tradit Acolytho, qui illud referat ad credentiam.[3] Ante infusionem aquae, quae non benedicitur a Celebrante, non profert verba: *Benedicite Pater reverende* nec deinde patenam sustinendam accipit, sed dum calicis fit oblatio sine reverentia sinistrorsum se vertens per gradus anteriores descendit in planum, factaque in medio infimo gradu

[2] Si distribuendae sint candelae, distribuantur post Epistolam et accendantur ad Evangelium, ad Elevationem et post Missam, dum fit Absolutio. *Rit. cel.* miss. XIII. n. 3. — [3] *Martinucci,* lib. 2. cap. 10. n. 52.

simplici genuflexione ascendit ad sinistram Celebrantis, ut ei assistat in thurificatione. **Celebrans** omittit benedictionem aquae, dicit tamen Orationem convenientem *Deus qui humanae etc.* manibus junctis ante pectus.

5. **Diaconus,** cantato a Celebrante *Oremus* ad Offertorium, sine praevia genuflexione ad ejus dexteram ascendit, ubi calicem a Subdiacono delatum accipit, bursam, corporali inde extracto, dextera ad cornu Evangelii ponit, applicans eam candelabris vel gradui, in quo candelabra insistunt, sinistra interim pectori admota, deinde corporale in medio altari explicat et reliqua peragit uti alias, omissis tamen osculis consuetis in traditione patenae et calicis (reg. gen. 1.). Patenam Subdiacono minime[4] tradit, sed in loco consueto deponit.

6. Thurificatio post Offertorium fit de more, incensum imponitur eodem prorsus modo et cum iisdem formulis ac in ceteris Missis solemnibus, sed manum, cochlear et thuribulum **Diaconus** non osculatur (reg. gen. 1.) et in fine Celebrantem tantum, exclusis ceteris, incensat tribus ductibus duplicibus. Intra thurificationem **Subdiaconus,** quum patenam non sustineat, concomitando a sinistris Celebrantem cum Diacono a dexteris ejus, posteriorem partem casulae paulisper elevat sicut Diaconus, non omittens debitas genuflexiones in transitu ante medium altaris.

7. Si Missae assistat Episcopus dioecesanus sive in cappa magna sive pontificaliter paratus, ipse ad Offertorium thus imponit et post Celebrantem incensatur. Si Episcopus habeat suum Presbyterum assistentem, hic ei ministrat naviculam a Thuriferario allatam, secus Diaconus comite Thuriferario debitis cum reverentiis accedit ad Episcopum ante incensationem et ministrat ad impositionem thuris more solito. Post incensationem altaris, incensato a Diacono duobus ductibus duplicibus Celebrante, Diaconus vel Presbyter assistens Episcopi, si adsit, ipsum Episco-

[4] *Rit. cel.* miss. VII. n. 9.

pum incensat tribus ductibus duplicibus.[5] Alius nemo incensatur.

8. Ad *Lavabo* **Subdiaconus** et **Diaconus** ad Celebrantem accedunt, ut ipsi ministrent alter ampullam aquae cum pelvicula, alter manutergium explicatum in patella.[6] Postmodum ad sua loca se recipiunt post Celebrantem.

9. Post *Sanctus* accedunt quatuor Clerici funalia afferentes e sacristia et se gerunt ut dictum est n. **50.** not. 25. Hisce deficientibus, Ceroferarii Missae munere suo funguntur. Recole n. **48.** ad 6.

10. Sub finem Praefationis **Diaconus** et **Subdiaconus** sine genuflexione ascendunt ad altare ad dexteram et sinistram Celebrantis dicturi cum ipso Trisagium. Quo dicto **Subdiaconus** sine genuflexione descendit ad locum suum in plano, **Diaconus** vero cum debita genuflexione in medio supremo gradu se transfert ad sinistram Celebrantis, ubi assistit usque ad verba *Quam oblationem,* quibus prolatis a Celebrante revertitur ad hujus dexteram, in transitu genuflectens in medio supremo gradu.

11. Paulo ante Consecrationem eodem tempore, quo Diaconus in transitu super supremum gradum genuflectit, ut diximus, genuflectit et **Subdiaconus** in loco suo super infimum gradum et per planum accedit ad cornu Epistolae, ubi thuribulum, in quod a Caeremoniario[7] immissum jam fuit thus, a Thuriferario accipit et genuflexus in infimo gradu ss. Sacramentum ad unamquamque elevationem ter adolet, videlicet *a)* dum Celebrans genuflectit, *b)* dum Ho-

---

[5] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 12. n. 3. — [6] Hunc modum tradunt auctores Romani: *Martinucci,* lib. 1. cap. 12. § 6. n. 114. et cap. 13. § 6. n. 149. et lib. 2. cap. 10. n. 72. *Baldeschi,* Ausführl. Darstell. II. pars I. cap. 8. n. 16. Ratio est, quia Diaconus et Subdiaconus sunt ministri proximi Celebrantis, ergo quae proxime Celebrantis servitium spectant, ad ipsos eosdem pertinet. Atqui talia sunt aquae et lintei ministratio. Vide *Eph. lit.* 1890 pg. 388. Quibus proxime accedunt; *Cavalieri,* tom. 5. cap. 27. n. 17.; *Merati,* pars 2. tit. 13. n. 14.; *Bauldry,* pars 3. cap. 13. n. 14.; *Carpo,* pars 2. n. 227. — [7] Non est Subdiaconi incensum pro elevatione imponere. Cf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 8.

stiam et Calicem elevat, *c)* dum sacras Species deponit, mediocriter[8] sese inclinans ante et post trinam incensationem uniuscujusque s. Speciei. Deinde surgit, reddit thuribulum, ad locum suum in medio altaris in plano reversus, super infimum gradum simpliciter genuflectit[9] et assurgens ibi stat usque ad *Pax Domini.* Quae verba dum Celebrans cantat, **Subdiaconus** genuflectit in loco suo et ascendit ad sinistram Celebrantis. **Diaconus** omnia peragit, ut in Missa solemni ordinaria, sed patenam Celebranti offert sine osculis (reg. gen. 1.).

12. Absoluto *Agnus Dei,* quum danda non sit Pax,[10] **Diaconus** et **Subdiaconus** mutant loca, genuflexione simplici ab unoquoque eodem tempore facta utrimque i. e. in utroque latere Celebrantis.[11] **Diaconus** scilicet genuflexione facta descendit in secundum gradum et absque genuflexione transit ad sinistram, ubi simpliciter genuflectit. **Subdiaconus** genuflexione facta descendit in planum et absque genuflexione ascendit ad dexteram Celebrantis, ubi iterum simpliciter genuflectit. Translatio missalis per Diaconum et calicis per Subdiaconum fit suo tempore more solito.

13. Post ultimam Orationem **Celebrans** more solito cantat *Dominus vobiscum,* deinde conversus ad altare submissa voce dicit *Requiescant in pace.*[12] Eadem verba cantat (semper in numero plurali, etiamsi pro uno tantum defuncto Missa celebretur) **Diaconus,** facie pariter ad altare conversa. Benedictio non datur, sed, dicto *Placeat,* statim dicitur ultimum Evangelium more consueto.

14. Si habendus sit sermo funebris in laudem defuncti, habeatur finita Missa ante Absolutionem.[13] Orator sit in veste talari nigra sine superpelliceo et stola.[14] Ante sermonem non recitatur *Ave Maria,* sed signo crucis facto incipitur sermo.[15]

---

[8] Cf. *Eph. lit.* 1906 pg. 210. — [9] *S. R. C.* 9. Jun. 1899 ad 2. n. 4027. — [10] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 1. — [11] *S. R. C.* 9. Jun. 1899 ad 1. n. 4027. — [12] *S. R. C.* 7. Sept. 1816 ad 22. n. 2572. — [13] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 3. — [14] *S. R. C.* 14. Jun. 1845 ad 1. 2. n. 2888. — [15] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 10. et cap. 12. n. 6.

288. Si Episcopus pontificaliter paratus Missae adfuerit, eodem modo paratus absolutionem faciet, si voluerit; si autem cum cappa adstiterit, non assumet albam ad faciendam Absolutionem, sed, deposita cappa, amictum supra rochettum, crucem pectoralem, stolam, pluviale et mitram simplicem,[16] neque Presbyter et Diaconi assistentes assument in casu paramenta coloris nigri.[17]

Caput V.

De Absolutione post Missam de Requie.

289. — 1. Post Missam, ita refert Cavalieri, orabatur olim circa defuncti corpus et Sacerdos accedens ipsi mortuo sancte precabatur. Ejusmodi preces, quae antiquitus Solemnes Orationes nuncupabantur, hodie Exsequiae seu Absolutio dicuntur ab Oratione *Absolve*, qua semper vel fere semper concluduntur, vel quia per easdem absolvitur functio funebris, aut quia in iisdem exoratur Deus pro absolutione defunctorum a poenis purgatorii.[1] Haec Absolutio fit vel praesente corpore defuncti, et tunc ex mandato Ritualis Romani (tit. VI. cap. 3. n. 7.) fieri debet; vel eo absente, et tunc fieri potest,[2] nisi ex consuetudine vel mandato illius, qui eleemosynam obtulit, etiam in hoc casu peragi debeat.[3]

2. Absolutio peragenda est ab eodem Sacerdote, qui Missam celebravit, nisi adsit Episcopus ordinarius, qui hoc jure gaudet, licet Missam praecedentem non litaverit,[4] exclusis omnibus aliis, etiam Episcopo titulari,[5] Abbatibus,[6] Superioribus provincialibus Regularium,[7] Vicario generali jurisdictione ordinaria pollente.[8]

---

[16] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 12. n. 6. — [17] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 36. n. 3.

[1] *Cavalieri*, tom. 3. cap. 18. n. 1.; cf. *Eph. lit.* 1895 pg. 16. — [2] *Rit. Rom.* tit. VI. cap. 5. n. 1.; *S. R. C.* 31. Jul. 1665 ad 6. n. 1322. — [3] *S. R. C.* 4. Sept. 1875 ad 2. n. 3369. — [4] *S. R. C.* 12. Aug. 1854 ad 10. n. 3029. — [5] *S. R. C.* 9. Maj. 1893 ad 2. n. 3798. — [6] *Eph. lit.* 1900 pg. 415. — [7] *Eph. lit.* 1903 pg. 550. — [8] *Eph. lit.* 1908 pg. 267.

§ 1. Absolutio absente corpore.

290. Exceptis Duplicibus primae classis, Absolutio ad tumbam fieri potest quotidie, idque post Missam de Requie, sive cantatam sive, permittente ritu, lectam; relate vero ad Missam diei lectam vel cantatam aut votivam nonnisi independenter ab ea[1] id est non immediate post eam[2] et remoto, si fieri potest, tumulo, vel saltem extinctis candelis circa illum accensis tempore Missae diei post eam celebrandae.[3] Si in casu dicatur Officium defunctorum, facienda est Absolutio immediate post ipsum Officium, deinde legi vel cantari potest Missa de die.[4] Unde regula: Absolutio pro defunctis fit post Missam de Requie lectam vel cantatam, sed non fit immediate post Missam de die, licet respectivis defunctis applicatam.

Fieri potest: *a)* vel ad tumbam extra presbyterium erectam, quae vocatur etiam castrum doloris,[5] lectus mortuorum,[6] tumulus,[7] coenotaphium;[8] *b)* vel super pannum nigrum extensum in presbyterio ante gradus altaris[9] vel ante gradus presbyterii,[10] aut super lecticam mortuorum[11] ibidem positam, quo nomine venit parvus tumulus coopertus panno nigro.[12]

291. Si fiat ad tumbam erectam extra presbyterium, Celebrans cum Ministris sacris lecto ultimo Evangelio descendit in planum, factaque ibi debita reverentia ante altare[13] se recipit ad cornu Epistolae,[14]

---

[1] *S. R. C.* 12. Jul. 1892 ad 8. n. 3780. et 20. Aug. 1901 ad 2. Vicentin. (*Eph. lit.* 1901 pg. 469.) et 28. Mart. 1908 (*Eph. lit.* 1908 pg. 449.) — [2] *S. R. C.* 4. Aug. 1708 n. 2186. et 21. Febr. 1890 ad 1. n. 3722. et 18. Dec. 1896 n. 3942. — [3] *S. R. C.* 10. Jan. 1852 ad 1. n. 2994. et 13. Jul. 1883 ad 4. n. 3582. — [4] *S. R. C.* 17. Mart. 1906 Samogitien. (*Eph. lit.* 1906 pg. 325.) — [5] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 10. 13. — [6] Ibid. — [7] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4. — [8] *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 266.; *Eph. lit.* 1900 pg. 411. — [9] *Caer. Ep.* l. c. n. 10. 11. — [10] Ibid. n. 10. — [11] Ibid. n. 10. 11. 12. In missali *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4. vocabulum hoc sumitur etiam ad significandam tumbam. — [12] *Martinucci*, lib. 4. cap. 10. n. 4. — [13] i. e. simplici genuflexione in infimo gradu (non in plano) a Celebrante et Ministris sacris, si Sanctissimum reconditum sit in tabernaculo, sin minus a Ministris tantum. Cf. *S. R. C.* 1. Febr. 1907 ad 3. Erem. Camald. (*Eph. lit.* 1907 pg. 257.) — [14] *Rit. cel.* miss. l. c.; *S. R. C.* 7. Sept. 1861 ad 5. n. 3108.

ubi adjuvante Caeremoniario exuitur casula ac manipulo et induitur pluviali nigro.[15] Ministri sacri vero manipulum dumtaxat deponunt. Si desit pluviale, Celebrans manet in alba et stola ante pectus crucis instar aptata, quo casu Ministri sacri ultra manipulos dimittunt etiam dalmaticam et tunicellam.[16]

Subdiaconus accipit crucem ad altare jam praeparatam, ita ut Crucifixi imago ipsi tergum vertat, atque detecto capite, medius inter duos Ceroferarios tenentes candelabra cum candelis accensis, se sistit in medio presbyterii exspectans ibi, usquedum ceteri i. e. Celebrans et assistentes altari eandem fecerint reverentiam ac in accessu ante Missam. Qua facta ipse sine reverentia facienda medius inter praedictos Ceroferarios post Thuriferarium ex parte Evangelii ad tumbam procedit, ubi se sistit semper, etiam in Absolutione Sacerdotis, ad pedes loci i. e. inter tumbam et januam ecclesiae,[17] facie ad altare conversa ac relicto congruo spatio inter se et tumbam Celebranti et Diacono postea transituris. Sic persistit usque ad finem Absolutionis.

Diaconus facta ad altare genuflexione in plano, a sinistris[18] Celebrantis, cujus pluviale non elevat,[19] capite cooperto[20] pergit ad tumbam, ubi stat capite detecto a sinistris Celebrantis. Sub finem cantus *Libera* Celebranti ministrat incensum sine osculis dicens *Benedicite Pater reverende,* Thuriferario sustinente thuribulum. Dicto a Celebrante *Pater noster* aspersorium madefactum sine osculis porrigit Celebranti, quem subinde a dexteris[21] comitatur in aspersione tumbae, pluviale elevando et genuflectendo, quotiescunque Celebrans aut Cruci altaris majoris aut Cruci Subdiaconi sese inclinat. Si transit ante

---

[15] *S. R. C.* 5. Mart. 1904 ad 1. Ceneten. (*Eph. lit.* 1904 pg. 165.) — [16] *Carpo*, pars 2. n. 259. not. 1.; *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 250. — [17] *Rit. cel.* miss. l. c.; *Martinucci*, lib. 1. cap. 12. n. 313.; *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 266. ad 1. — [18] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4. Si Celebrans pluviali non utatur, Diaconus Celebrantem antecedit. *Herdt*, l. c. n. 250. — [19] *Herdt*, ibid. — [20] Cf. *Schober*, Caer. art. 6. cap. 4. not. 2. — [21] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4.

altare ss. Sacramenti, genuflectit cum Celebrante. Recepto aspergillo, Celebranti thuribulum ministrat sine osculis eumdemque comitatur eodem plane modo. Si Celebrans pluviali non sit indutus, opus non est, ut Diaconus aut aliquis de Clero circumeundo eum comitetur.[22] Dicto a Celebrante post Orationem versiculo *Requiem aeternam dona eis Domine,* secundum consuetudinem in plerisque dioecesibus vigentem, Diaconus alta voce cantat *Requiescat* vel *Requiescant in pace* (n. **281.** ad 4.) et Cantores respondent *Amen.* Finita Absolutione a sinistris Celebrantis revertitur in sacristiam.

Celebrans assumpto ad cornu Epistolae in plano pluviali nigro et facta altari debita reverentia, ut in accessu ad altare, procedit ad tumbam capite cooperto et sistit se altare inter et tumbam, aliquantulum versus cornu Epistolae,[23] ita ut altari nequaquam tergum directe obvertat et ut Crucem Subdiaconi respiciat, caputque detegit. Deinde peragit omnia, quae praescribuntur in Missali Romano Rit. cel. miss. XIII. n. 4. vel in Appendice Missalis minoris continentis Missas pro defunctis vel in Rituali Romano tit. VI. cap. 5. Versus finem cantus *Libera*[24] thus imponit dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis Amen;* postea illud benedicit nihil dicens. Absoluto *Libera* et *Kyrie eleison* intonat *Pater noster,* quod secreto prosequitur, dum a loco suo discedit. Ante discessum ex mandato Ritualis (tit. VI. cap. 3. n. 10.) profundam capitis inclinationem facit Cruci Subdiaconi, e cujus conspectu recedit, deinde ex mandato Rubricae missalis[25] debitam reverentiam[26] altari majori, ante quod transit,[27] aspergillum a Dia-

[22] *Herdt,* l. c. n. 263. — [23] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4. — [24] Quod Responsorium *Libera* nunquam omittendum est, neque in Commemoratione Omnium Fidelium. *S. R. C.* 23. Maj. 1846 ad 12. n. 2915. Ceterum nullibi praescribitur, ut Celebrans *Libera* intonet et postea cantet *Kyrie,* sed tam *Libera* quam *Kyrie* a cantoribus semper canendum est. — [25] *Rit. cel.* miss. XIII. n. 4. — [26] i. e. vel simplicem genuflexionem, vel capitis inclinationem, prout in tabernaculo altaris adest Sanctissimum vel non. — [27] Cf. *Bouvry,* pars 4. sect. 1. § IV. Appendix de Exeq. pg. 509.

cono accipit et tumbam circumiens dextrorsum, eam aspergit in latere dextero tribus vicibus, nempe in parte, quae est versus altare, deinde in media, postremo in parte prope Subdiaconum. Transiens ante Crucem Subdiaconi caput profunde inclinat et procedens ulterius alterum tumbae latus aspergit, primo in parte, quae est versus Subdiaconum, tum in media, demum in parte prope altare. Redux in locum suum Diacono restituit aspergillum et ab eo accipit thuribulum. Tum Celebrans cum Diacono eodem modo comitante, facta debita reverentia altari, ante quod transit, non autem Cruci ex adverso stanti,[28] circuit tumbam, eodem prorsus modo eam ter ab utraque parte thurificando ac eam prius asperserat. Si inter aspergendum et incensandum transeat ante tabernaculum Ss. Sacramenti, genuflectit. Tam in aspergenda quam in thurificanda tumba Celebrans non debet subsistere ad singulas aspersiones et thurificationes, sed eas ambulando peragere sine ulla mora.[29] Post thurificationem redux in locum pristinum et restituto Diacono thuribulo, stans facie ad Crucem Subdiaconi conversa peragit omnia, quae notantur in Missali vel Rituali. Versus et Oratio, si Absolutio fiat pro uno defuncto, dicuntur in numero singulari; si pro masculo, in masculino genere; si pro femina, in feminino; si pro pluribus, in plurali et in genere masculino, si omnes sint masculi vel inter mulieres aliqui sint masculi, sed in feminino, si omnes sint mulieres. Si Absolutio fiat pro defuncto Sacerdote vel Episcopo, in Oratione exprimitur nomen dignitatis sacerdotalis vel pontificalis; alii autem tituli exprimi nequeunt praeter nomen defuncti ad literam N. Loco Orationis *Absolve* dici potest Oratio Missae vel alia conveniens;[30] quaecunque autem dicitur, semper brevi terminanda est conclusione, etiam in die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum.[31]

[28] *Herdt*, S. Lit. Prax. III. n. 253. — [29] *Martinucci*, lib. 1. cap. 14. n. 481. et lib. 4. cap. 10. n. 24. — [30] *S. R. C.* 6. Febr. 1892 ad 3. n. 3764.; *Ritual.* Rom. tit. VI. cap. 5. n. 2. — [31] *S. R. C.* 5. Jul. 1698 ad 4. n. 2002.

Expleta Absolutione in reditu ad sacristiam semper, excepta dumtaxat die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum, Officiator submissa voce dicere debet versum *Anima ejus* (vel *animae eorum*) *et animae omnium fidelium defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace*[32] et Antiphonam *Si iniquitates observaveris etc.* cum psalmo *De profundis* et Oratione *Fidelium Deus etc.*[33]

292. Si Absolutio fiat super pannum nigrum, omnia peraguntur modo supra descripto, hisce exceptis: *a)* Crux non adhibetur, quapropter Subdiaconus Celebranti assistit modo consueto;[34] *b)* Celebrans non circumit pannum, sed vel in suppedaneo vel in anteriori presbyterii parte vel, ut supra, stans aspergit et thurificat pannum in modum crucis i. e. in medio, a suis sinistris et a suis dexteris, Diacono et Subdiacono ceterisque sibi assistentibus.

§ 2. Absolutio physice vel moraliter praesente corpore.

293. Ritus hujus Absolutionis, quae dicitur etiam Absolutio ad feretrum, describitur in Rituali Romano sub titulo „De Exsequiis".

Feretrum in ecclesia ita collocatur, ut defuncti pedes, si fuerit laicus vel Clericus, sint versus altare majus; si vero fuerit Sacerdos, pedes sint versus januam. Celebrans semper se sistit ad pedes defuncti physice vel moraliter praesentis,[1] adeo ut, si defunctus sit Sacerdos, se constituat in medio inter feretrum et portam ecclesiae; si autem non sit Sacerdos, stet inter feretrum et altare, sicut de Abso-

[32] *S. R. C.* 2. Dec. 1684 ad 7. n. 1743. et 28. Jul. 1832 n. 2694. et 31. Aug. 1872 n. 3267. — [33] *S. R. C.* 28. Jul. 1832 n. 2696. et 11. Mart. 1899 n. 4014. et 20. Aug. 1901 ad 3. Vicentin. (*Eph. lit.* 1901 pg. 469.) — [34] *Martinucci*, lib. 4. cap. 10. n. 6. sq.

[1] Physica praesentia habetur, quando corpus defuncti realiter in ecclesia adest tempore Exsequiarum; moralis vero, si corpus ob quamcunque causam gravem non est realiter praesens, sed absens, sive insepultum sive non ultra biduum terrae mandatum. Videsis *Erker*, Miss. de Requie, artic. 2. cap. 4. n. 18. ad 2.

lutione absente corpore dictum est. E converso Subdiaconus Crucem deferens cum Ceroferariis semper se collocat ad caput defuncti i. e. in medio[2] inter feretrum et altare facie ad feretrum versa, si defunctus presbyterali sit charactere insignitus; feretrum inter et ecclesiae januam autem, si minime fuerit Sacerdos.[3]

Aspersionem et incensationem feretri Celebrans incipit semper ad sui dexteram. Ergo si Celebrans sit inter altare et feretrum aspergit et incensat corpus primo a parte Evangelii; si vero stet feretrum inter et portam ecclesiae, aspergit et thurificat corpus ordine inverso, incipiendo nimirum ad latus Epistolae, non praetermissis in transitu faciendis Cruci vel altari debitis reverentiis.

Caput VI.

De Missa pontificali de Requie.

294. Ritus hujus Missae concordat cum ritu Missae pontificalis solemnis, mutatis et omissis iis, quae in Missis de Requie mutantur et omittuntur.

1. **Pontificans** non utitur sandaliis, chirothecis nec baculo pastorali.[1] — Manipulum accipit non post dictam Confessionem, sed ante Missam simul cum reliquis paramentis, ante crucem pectoralem, non autem post tunicellam et dalmaticam,[2] ita ut ordo sumendi paramenta sit: amictum, albam, cingulum, manipulum, crucem pectoralem, stolam, tunicellam, dalmaticam, casulam, mitram. — Dicta Confessione, quum ad altare accesserit, librum non osculatur, sed altare tantum et, omissa thurificatione altaris statim assumpta mitra, redit ad sedem, ubi deposita mitra legit Introitum.[3] — Habet Presbyterum assistentem.[4]

2. **Ministri sacri,** Confessione facta, simul cum Pontificante ad altare ascendunt more solito, sed

[2] Cf. *Eph. lit.* 1899 pg. 28. — [3] *Rit. Rom.* de Exsequiis; *S. R. C.* 3. Sept. 1746 ad 2. n. 2392. et 20. Jun. 1899 ad 3. n. 4034.

[1] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 2. — [2] *Herdt,* Prax. Pont. II. n. 200. sub 2. c. — [3] *Caer. Ep.* l. c. n. 4. — [4] Ibid. n. 3.

Subdiaconus sine libro. Quamprimum Pontificans altare est osculatus, Diaconus ei mitram imponit et omnes descendunt et revertuntur ad sedes. — Subdiaconus cantat Epistolam more solito, sed post eam non osculatur manum Pontificantis. Dum cantatur ultimus versus Sequentiae, Ministri sacri surgunt, Subdiaconus ad sedem permanet, Diaconus autem librum a Caeremoniario acceptum de more ad altare defert. Facta statim altari reverentia in suppedaneo, non osculata manu Pontificantis, in supremo[5] gradu genuflexus et mediocriter inclinatus dicit *Munda cor meum etc.*, deinde libro accepto descendit ante infimum gradum, quo eodem tempore accedit Subdiaconus. Facta altari debita reverentia procedunt ad cantandum Evangelium ordine praescripto, videlicet: primo Caeremoniarius, tum ipse Diaconus, quem sequitur Subdiaconus, ultimo loco duo Acolythi sine candelabris.[6] — Subdiaconus librum post Evangelium non offert Pontifici osculandum; ad Offertorium sine velo humerali calicem cum velo et bursa affert; ad incensationem altaris Celebranti assistit a sinistris; ad elevationem ss. Hostiam et Calicem genuflexus in cornu Epistolae incensat, unde sine genuflexione praemissa revertitur ad medium altaris, ubi, genuflexione simplici in primo gradu facta, stat;[7] ad *Sanctus* et *Agnus Dei*, ut alias in Missis pontificalibus, ad Celebrantem non ascendit, sed persistit in plano retro post Celebrantem, usque ad ablutionem digitorum, qua absoluta ascendit ad altare in cornu Evangelii, ad calicem abstergendum, cooperiendum et deferendum ad credentiam. Diaconus autem more solito ad Celebrantem accedit ad dicendum *Sanctus* et *Agnus Dei*, et deinde a dexteris ejus manet eique inservit, sicut dictum est n. **106.** ad 15.

3. **Ministri inferiores** omnes genuflectunt utroque genu: *a)* ad Orationes tam ante Epistolam quam post Communionem,[8] praeter Caeremoniarium;[9] *b)* a

[5] Ibid. n. 6. — [6] Ibid. n. 6. — [7] *S. R. C.* 9. Jun. 1899 ad 2. et 3. n. 4027. — [8] *Caer. Ep.* l. c. n. 5. — [9] Cf. *Herdt*, l. c. n. 201. sub 5, *a*.

Sanctus usque ad *Pax Domini* exclusive;[10] *c)* dum Episcopus manus lavat omnes genuflectunt exceptis Canonicis et Praelatis.[11] Recole n. **104.** reg. gen. 3.

Thuriferarius ad Offertorium tantum ministrat thuribulum et naviculam more solito. Facta altaris thurificatione et Celebrante incensato, thuribulum a Diacono recipit, sed nullum incensat. Ante Consecrationem naviculam tradit Caeremoniario eique ministrat thuribulum ad ingerendum thus, quo facto thuribulum tradit Subdiacono ss. Sacramentum incensaturo intra elevationem, qua absoluta thuribulum recipit et discedit.

Ceroferarii ad Evangelium candelabra non deferunt, Subdiacono tamen librum Evangeliorum tenenti assistunt more solito manibus ante pectus junctis (vide supra ad 2.) debitas ante altare et Episcopum facientes genuflexiones in transitu. Ad lotionem manuum Pontificanti ministrant aquam et manutergium[12] explicatum. Ad *Sanctus* accedunt ad altare cum candelabris accensis ibique in plano genuflectunt genuflexique permanent usque ad Communionem inclusive, nisi adsint quatuor[13] funalia ferentes.

Minister de gremiali *a)* dicto ultimo *Kyrie eleison* gremiale ministrat et dum ultimum *Kyrie* cantatur recipit; *b)* cantata Oratione illud tradit et ante cantum Evangelii recipit; *c)* Offertorio lecto illud porrigit et lotis a Pontificante manibus illud recipit et plicatum super credentiam deponit.[14]

Minister de bugia et reliqui ministri inferiores se gerunt sicut in aliis Missis pontificalibus.

295. Si sermo habendus sit in laudem defuncti, tunc Missa finita ante Absolutionem accedat sermocinaturus vestibus nigris indutus i. e. veste talari nigra sine cotta et sine stola[15] et facta oratione ante medium altaris, nulla petita benedictione ab Episcopo, sed facta ei profunda reverentia vel genuflexione pro

[10] *Caer. Ep.* l. c. n. 7. — [11] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 8. n. 10. — [12] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 3. — [13] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 7. — [14] *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 220. — [15] *S. R. C.* 14. Jun. 1845 ad 1. et 2. n. 2888. Cf. *Eph. lit.* 1900 pg. 284. et 295. sq.

qualitate personae concionatoris, ascendat ambonem panno nigro coopertum, ubi facta iterum Episcopo reverentia signans se signo crucis facit sermonem.[16] Quo finito vel, si sermo non sit habendus, statim finita Missa peragitur Absolutio.

296. Si fiat Absolutio ad tumbam, Subdiaconus finita Missa accipit Crucem et medius inter duos Ceroferarios cum candelabris accensis facie versa ad altare sistit se in medio presbyterii ante gradus altaris. Post Ceroferarios stant Thuriferarius cum thuribulo et navicula et minister de aqua benedicta, qui si desit, Caeremoniarius secum ferat aspergillum saltem. Episcopo parato pluviali et mitra, facta altari reverentia, omnes accedunt ad tumbam. Praecedit Thuriferarius cum ministro de aqua, sequitur Subdiaconus Crucem deferens inter duos Ceroferarios, post hos Caeremoniarius, deinde Diaconus Missae a sinistris Presbyteri assistentis, postremo Episcopus medius inter Diaconos assistentes fimbrias pluvialis ejus elevantes. Minister de libro incedit post Episcopum cum ministro de mitra aliisque ministris. Ad tumbam ita se sistunt: Thuriferarius cum ministro de aqua ante tumbam versus cornu Evangelii, Subdiaconus crucifer cum Ceroferariis ut dictum est n. **291.**, Episcopus ante tumbam accedit ad locum, ubi alias stat Celebrans, ast non sedet versus cornu Epistolae, ut in Absolutionibus non pontificalibus pro Celebrante praescribitur, sed in capite loci in medio.[17] Diaconi assistentes hinc inde a lateribus ejus sedere possunt, similiter Presbyter assistens a dexteris et Diaconus a sinistris Episcopi. Post Episcopum stant ministri de libro, de mitra et de bugia etc. Caeremoniarius se sistere poterit a sinistris Diaconi Missae.

Sub finem cantus *Libera* Episcopus adhuc sedens more solito thus imponit, ministrante Presbytero assistente naviculam et Thuriferario thuribulum.

[16] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 10. et cap. 12. n. 6. — [17] *S. R. C.* 23. Sept. 1837 ad IX. n. 2769. et 5. Mart. 1870 ad 4. n. 3213.; *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 24.

Antequam cantetur primum *Kyrie eleison* Diaconus assistens secundus mitram Episcopi deponit, qui statim surgit et cantato *Pater noster* tumbam more solito circuit, aspergit et thurificat, qua in functione eum comitantur Diaconi assistentes[18] fimbrias pluvialis ejus elevantes. Cantata Oratione et *Requiescant in pace*, Diaconus assistens primus mitram Episcopo imponit et omnes eo ordine, quo venerant, redeunt ad altare, ubi Episcopus paramentis exuitur.

De Absolutione facienda ab Episcopo assistente Missae per alium celebratae vide n. **288.**

Tractatus VII.

De Missis votivis.

Caput I.

De Missis votivis in genere.

297. Quid et quotuplices sunt Missae votivae?

Missa votiva, generatim loquendo, est ea, quae celebratur extra ordinem Officii diei,[1] sive a Rubricis praescribatur sive non. Dicitur votiva, quia fit ex voto i. e. ex desiderio aut voluntate sive Ecclesiae sive Celebrantis sive petentis.

Distinguitur Missa votiva late dicta, quae a Rubricis praescribitur celebranda ex voto seu voluntate ipsius Ecclesiae, uti Missa principalis (conventualis) de sancta Maria in Sabbatis Adventus ex dispositione Rub. gen. miss. tit. IV. n. 2., licet Officium non fiat de s. Maria in Sabbato. Missa votiva stricte dicta est ea, quae a Rubricis non praescribitur, sed celebratur ex voto (voluntate, devotione) Celebrantis vel eleemosynam offerentis.

[18] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 11. n. 14.

[1] Unde a quibusdam etiam Missae de Requie adnumerantur votivis.

Ratione ritus distinguitur Missa votiva solemnis et privata ac mixta. De singulis sermo erit in sequentibus capitibus.

298. Quando Missae votivae celebrantur?

Monet Rubrica: „Id passim non fiat, nisi rationabili de causa, et quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat.“[2] Ut Missa non conformis Officio seu votiva celebrari possit, generatim tria haec requiruntur: *a)* Ut ista Missa pro votiva legi permittatur, quia non quaelibet Missa tamquam votiva celebrari potest; *b)* ut dies eam admittat, quia non qualibet die Missam votivam celebrare licet; *c)* ut habeatur causa rationabilis, quia sine tali causa non licet recedere a Missa conformi Officio.

Pro praxi monemus Celebrantem, ut bene distinguat, utrum a petente desideretur Missa vere votiva an sola Missae applicatio; nam Rubricae non respiciunt applicationem, sed dumtaxat speciem Missae. Si fideles norint, quid sit Missa votiva, atque eam communiter intendant, si in honorem certi Sancti Missam postulant, aut Missa votiva dicenda est, aut, qui dat stipendium, monendus est de impedimento, si quod forte exsistit; si vero fideles Missarum discrimen non norunt, sed Sacerdotis arbitrio sese committunt, dici potest Missa diei eaque in honorem Sancti solummodo applicari.[3] Quaesitum fuit: Sacerdos, cui erogatur eleemosyna ad celebrandam Missam pro uno vel pluribus defunctis aut votivam in honorem alicujus Mysterii, Beatae Mariae Virginis vel Sancti, satisfacitne obligationi suae Missam faciendo Officio conformem, quum aliunde petitam Missam ritus diei non permittat, dummodo applicet juxta intentionem dantis eleemosynam? S. R. C. respondit: „Affirmative, sed consultius est, ut, quantum fieri possit, intentioni eleemosynam erogantis satisfiat per Missam vel de Requie vel votivam.“[4]

---

[2] *Rub. gen.* miss. IV. n. 3. — [3] *Lehmkuhl*, Theol. mor. vol. II. n. 201. — [4] *S. R. C.* 13. Jun. 1899 ad 4. n. 4031.

299. Quaenam Missae tamquam votivae celebrari possunt?

1. Certum est, eas omnes tamquam votivas celebrari posse, quae in fine missalis qua tales i. e. tamquam votivae assignantur, videlicet: *a)* Octo Missae sequentes,[5] scilicet de ss. Trinitate, pro Gratiarum actione, de Angelis, de ss. Apostolis Petro et Paulo, de Spiritu Sancto, de Eucharistiae Sacramento, de Cruce, de Passione Domini et quinque de B. M. V. *b)* Missae quatuordecim pro diversis rebus et necessitatibus, nimirum pro eligendo summo Pontifice, in die et in anniversario creationes et coronationis Papae, in anniversaris electionis seu consecrationis Episcopi, ad tollendum schisma etc. *c)* Missae votivae sic dictae per annum seu ad libitum, quae per decretum S. R. C. die 5. Julii 1883 concessae sunt. Vide infra n. **309.**

2. Illae Missae, quae quidem tamquam votivae in missali non assignantur, de quibus tamen in missali indicatur, quomodo more votivo celebrandae sint. Hujusmodi sunt: *a)* Sequentes Missae de Mysteriis Domini, videlicet ss. Nominis Jesu, ss. Cordis Jesu, pretiosissimi Sanguinis, et, ubi concessae sunt, Missae Instrumentorum Passionis Domini, videlicet Columnae Flagellationis, Spineae Coronae ac Lanceae et Clavorum. *b)* Sequentes Missae de B. M. V., videlicet Immaculatae Conceptionis, Septem Dolorum, Apparitionis B. M. V. de Lourdes,[6] Purissimi Cordis Mariae, ubi hoc Festum concessum est.

3. Missae Sanctorum quorumcunque canonizatorum et in martyrologio relatorum vel saltem eorum, quorum Officia specialiter ab apostolica Sede concessa sunt, in dioecesibus scilicet respectivis, licet in martyrologio non assignentur.[7]

---

[5] A Rubrica hae Missae singulis hebdomadae diebus assignantur, quod valet tantum pro Missa conventuali; pro non conventuali autem Missae dictae quacunque die, qua Festum duplex non occurrit, dici possunt. — [6] *S. R. C.* 25. Jun. 1909 ad 1. Atrebaten. (*Eph. lit.* 1909 pg. 431.) — [7] *S. R. C.* 30. Jun. 1896 § III. ad 1. n. 3922.

300. Quaenam Missae tamquam votivae celebrari nequeunt?

1. Missae in honorem illorum Mysteriorum Domini, quae quoad tenorem diebus festivitatis suae ita sunt adnexae, ut veritas verborum extra proprios dies servari nequeat, ideoque dictae Missae alii tempori plane non conveniant. Hujusmodi sunt Missae Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis Domini, quae proinde tamquam votivae celebrari nequeunt. Si ergo petatur Missa votiva hujus generis, sumenda est Missa de die currente cum intentione colendi hoc vel illud Mysterium.

2. Missae propriae de festivitatibus et variis titulis Mariae, exceptis in n. **299.** ad 2. sub *b* recensitis, non possunt celebrari uti votivae, neque infra neque extra eorum Octavas, quas habent. Si enim Missa hujusmodi petatur in ipso Festo aut in die aliqua infra Octavam, celebranda est Missa Festivitatis aut de die infra Octavam more (non votivo,sed) festivo cum *Gloria* et *Credo*.[8] Si vero petatur Missa votiva de aliqua festivitate vel titulo B. M. V. extra ejusdem Octavam, e. g. de Purificatione, Annuntiatione, Visitatione, Assumptione, Praesentatione, Maternitate, Puritate, Monte Carmelo, Rosario etc., substituenda est una ex quinque votivis B. M. V. in fine missalis juxta distributionem temporis cum intentione honorandi B. M. V. Purificationem, Annuntiationem etc.[9]

3. Missae de Beatis non possunt celebrari more votivo sine indulto apostolico, licet concessa sint eorum Officia et Missae.[10]

Caput II.

De Ritu celebrandi Missas votivas.

301. Quoad Missarum formularia:

1. Si petatur Missa votiva in honorem alicujus Sancti, sumatur ejus Missa propria, si habeatur; si

[8] *S. R. C.* 30. Jun. 1896 § V. ad 1. et 3. n. 3922. — [9] *S. R. C.* 22. Dec. 1753 ad 2. n. 2427. et 23. Febr. 1884 Dub. V. ad 2. n. 3605. — [10] Cf. *S. R. C.* 3. Jun. 1676 ad 1. n. 1568.

proprias habeat nonnullas tantum partes, e. g. Orationem, Evangelium etc., hae eligantur;[1] si nihil habeat proprii, sumatur Missa de Communi Sanctorum, servata qualitate Sancti et ratione temporis, omissisque verbis *annua, hodie* ac similibus, quia non conveniunt, et mutatis verbis *natalitia, solemnitas, festivitas* in verba *commemoratio, memoria.*[2]

2. Si celebranda sit Missa votiva plurium Sanctorum simul, tunc si sint ejusdem ordinis, sumatur Missa de eorum Communi, nihil immutando, praeter ea quae modo innuimus, si adsit formulare pro Communi plurimorum eorum, e. g. plurimorum Martyrum, plurimarum Virginum, secus dicendo Orationes in numero plurali in formulari de Communi conveniente. De sanctis 14 Auxiliatoribus, qui omnes (uno forte excepto) sunt Martyres, dicitur Missa *Sapientiam* de Communi plurimorum Martyrum, nullo expresso nomine. Si vero Sancti non sint ejusdem ordinis, puta alii Martyres alii Confessores aut Virgines etc., tunc sumitur Missa de digniori vel, in casu posito, de Communi plurimorum Martyrum, omittendo in Orationibus qualitates Martyris, Confessoris, Virginis etc., sicut habetur in Missa ss. Nazarii et Victoris Martyrum ac Innocentii Papae Confessoris die 28. Julii.

3. Si tempore paschali celebranda sit Missa votiva alicujus Martyris, cujus Festum extra tempus paschale occurrit, Missa sumitur ex Communi pro tempore paschali; et vice versa, si extra tempus paschale celebranda sit Missa votiva alicujus Martyris, cujus Festum recolitur tempore paschali, sumenda est Missa ex Communi respectivo extra tempus paschale juxta qualitatem Martyris; omni in casu tamen retentis iis, quae sunt propria ejusdem Missae, e. g. si habeat proprium Evangelium, ut dictum est supra ad 1.

4. Si petatur Missa votiva de B. M. V. *a)* in aliquo Festo ejus, sumitur Missa Festi, prout jacet,

[1] *S. R. C.* 29. Nov. 1738 ad 1. et 2. n. 2340. — [2] *S. R. C.* 30. Jun. 1896 § III. ad 1. n. 3922.

ergo ritu festivo; *b)* si infra aliquam Octavam Beatae Mariae Virginis, sive Officium fiat de Octava sive non, Missa non dicenda est votiva, sed festiva de infra Octavam[3] secundum ritum illius diei cum *Gloria* et *Credo; c)* si in Vigilia Assumptionis vel Immaculatae Conceptionis B. M. V., celebretur Missa de Vigilia;[4] *d)* in reliquis casibus dici debet una ex quinque Missis votivis de Beata in fine missalis aliave ut votiva approbata,[5] ut dictum est n. **299.** ad 2. *b.*

5. Si Sacerdos dicere velit Missam votivam in honorem s. Joannis Baptistae, sumere potest Missam ejusdem Nativitatis, mutatis in Orationibus mutandis,[6] juxta supra dicta ad 1. Post Septuagesimam Tractus sumitur ex Missa *In virtute tua;* tempore paschali *Alleluja* cum versibus ex Missa *Justus ut palma.*

6. Dicere volens Missam votivam in honorem s. Joseph, sumat Missam votivam per decretum 5. Julii 1883 pro Feriis quartis per annum concessam, minime vero Missam Festi 19. Martii.[7]

7. Si de omnibus Apostolis simul petatur Misse votiva, eligenda est Missa de ss. Apostolis concessa per citatum decretum.

Si vero petatur Missa de s. Petro tantum vel de s. Paulo solo, dicitur Missa votiva communis utrique Apostolo in fine missalis cum intentione venerandi Apostolum, cujus Missa votiva petitur; nunquam enim separandi sunt ii, quos Ecclesia conjunxit.[8]

Si de horum alterutro dicatur Missa, facienda est Commemoratio alterius, ex eadem ratione. Si ergo quis petat Missam votivam in honorem Conversionis s. Pauli, vel dicatur Missa votiva communis utrique Apostolo, ut modo diximus, vel si dicitur Missa Conversionis s. Pauli, fiat Commemoratio s. Petri,[9] tertia Oratio erit diei currentis.

---

[3] *S. R. C.* 30. Jun. 1896 § V. ad 1. n. 3922. — [4] *S. R. C.* l. c. — [5] *S. R. C.* l. c. — [6] *S. R. C.* 11. Mart. 1882 ad 1. n. 3539. — [7] *S. R. C.* 6. Febr. 1892 ad 9. n. 3764. — [8] *Merati,* pars 1. tit. 4. n. 26. — [9] Ibid.

Missa votiva s. Joannis Apostoli et Evangelistae tempore paschali est ut in ejus Festo Ante Portam Latinam die 6. Maji; extra tempus paschale vero Missa Festi 27. Decembris, cujus Tractus post Septuagesimam sumitur e Missa votiva ss. Apostolorum.

Si legenda sit Missa votiva de quopiam alio Apostolo, sumatur Missa Festi, mutatis mutandis, sicut supra ad 1. diximus. Tempore autem paschali sumitur Missa ex Festo s. Marci 25. Aprilis cum Orationibus, Epistola et Evangelio ex Missa propria.[10]

8. Pro gratiarum actione sumitur Missa votiva de ss. Trinitate vel de Spiritu Sancto vel de B. M. V. cum Oratione *Deus cujus misericordiae* addita Orationi Missae, sicut n. **211.** ad 7. dictum est.

9. Si occurrente aliqua gravi et urgente necessitate dicenda sit Missa votiva, sumatur Missa conveniens ex iis, quae in fine missalis inscribuntur „Aliae Missae votivae pro diversis rebus". Si conveniens non habeatur, dicatur Missa „Pro quacunque necessitate", quae est inter dictas Missas quarta; et hujus Orationi sub unica conclusione superaddatur Collecta, si quae sit, necessitati relativae propria. Recole n. **211.** ad 3.

10. De Missa votiva in honorem sacratissimi Cordis Jesu vide numerum sequentem ad 2.

302. Quoad Missarum particularia:

Praetermissis iis, quae Missis votivis solemnibus vel privatis sunt peculiaria et in locis suis exponenda, subjungimus ea tantum, quae omnibus Missis votivis sunt communia.

1. Psalmus *Judica* dicitur in omnibus Missis votivis, tam solemnibus quam privatis, etiam tempore Passionis.

2. Si Missa habeat Introitum *Gaudeamus*, extra Octavam Festi mutatur in alium convenientem de Communi. Doxologia *Gloria Patri etc.* ad Introitum semper dicitur, etiam Passionis tempore. In

[10] *Rub. spec.* post Miss. vot. ss. App. Petri et Pauli.

Missa votiva ss. Cordis Jesu *Miserebitur* extra tempus paschale debent omitti *Alleluja* ad Introitum, Offertorium et Communionem.[11]

3. Graduale, Versiculi et Tractus, si deficiant in propria Missa, sumuntur de Communi et pro temporis varietate mutantur.

4. Sequentia in omnibus Missis votivis omittitur, etiam tunc, si Missa Festi habeat Sequentiam, e. g. Missa Septem Dolorum[12] vel de ss. Eucharistia[13] vel de Spiritu Sancto.

5. Psalmus *Lavabo* semper terminatur cum doxologia *Gloria Patri,* etiam tempore Passionis.

6. Praefatio dicitur propria Missae votivae, si propriam habeat, etiamsi celebretur infra Octavam propriam Praefationem habentem; si propriam non habeat, dicitur de Octava propriam habente, et si plures ejusmodi Octavae simul occurrant e. g. ss. Trinitatis et Corporis Christi, dignior vel de Octava pro universa Ecclesia praeferatur; si nulla Octava propriam habens Praefationem occurrat, dicitur de Tempore propriam habente, secus dicatur communis. Videsis n. **305.** ad 4. Nunquam vero dicitur Praefatio Festi occurrentis, in quo celebratur votiva, etiamsi de eo in Missa votiva fiat commemoratio.[14]

7. *Communicantes* et *Hanc igitur* propria Octavae recitanda sunt in omni Missa votiva, quae infra eamdem Octavam celebratur, etiamsi Missa votiva Praefationem propriam habeat.[15]

8. *Ite Missa est* dicitur, quotiescunque in Missa votiva recitatur *Gloria;* secus dicitur *Benedicamus Domino,* in quocunque colore votiva celebretur.

9. Ultimum Evangelium s. Joannis semper dicitur, quamvis celebretur in Dominica, Vigilia, vel Feria proprium Evangelium habente, earumque facta

---

[11] *S. R. C.* 16. Sept. 1865 ad 5. n. 3137. et 6. Febr. 1892 ad 10. n. 3764. Cf. *Eph. lit.* 1900 pg. 567. et 1902 pg. 303. et 1904. pg. 307. — [12] *S. R. C.* 16. Sept. 1673 ad 2. n. 1490. — [13] *S. R. C.* 21. Mart. 1795 n. 2. n. 2550. et 30. Jun. 1896 § I. n. 3922. — [14] *S. R. C.* 2. Dec. 1684 ad 6. n. 1743. — [15] *S. R. C.* 16. Jun. 1663 ad 3. n. 1265.

sit commemoratio.[16] Excipiuntur tamen Missae votivae sic dictae per annum (vide n. **309.**) pro singulis hebdomadae diebus indultae, in quibus de Feria majori occurrente legitur ultimum Evangelium.

Caput III.

De Missa votiva solemni.

303. Quid requiritur ad hanc Missam? Missa votiva solemnis est ea, quae extra ordinem Officii diei pro re gravi vel publica Ecclesiae causa ex praecepto vel saltem licentia Ordinarii solemniter celebratur. Tria ergo requiruntur ad hanc Missam:

1. Res gravis seu talis, quae per se vel per accidens saltem majorem communitatis aut reipublicae sive ecclesiasticae sive civilis partem tangit. Causae ergo sufficientes ad cantandam Missam votivam solemnem sunt: obtinendum beneficium cummune, uti pacis, pluviae, serenitatis; avertenda calamitas cummunis, uti belli, morbi contagiosi, terraemotus; sanitas recuperanda Summi Pontificis, Episcopi, Principis; gratiae agendae pro impetrato magno beneficio communi, e. g. post messem peractam, post depulsam calamitatem communem;[1] item electio Superioris Generalis vel Provincialis in comitiis generalibus et provincialibus apud Religiosos,[2] quia ad bonum communitatis religiosae maxime conducit.

Econtra causae, etsi per se gravissimae, tamen ad celebrandam Missam votivam solemnem sufficientes non sunt: electio Abbatissae,[3] vestitio vel professio religiosa,[4] primitae Neosacerdotis vel jubilaeum 50 annorum, solemnitas alicujus Sancti vel Mysterii

[16] *S. R. C.* 5. Maji 1736 Reliq. Dub. 28. n. 2319. et 30. Jun. 1896 § III. ad 3. n. 3922.

[1] *S. R. C.* 19. Maji 1607 ad 12. n. 235. et 30. Jun. 1896 § II. ad 1. n. 3922. — [2] *S. R. C.* 16. Apr. 1853 ad 6. n. 3009. — [3] *S. R. C.* 28. Apr. 1708 ad 5. n. 2184. — [4] *S. R. C.* 24. Jul. 1683 ad 5. n. 1714.

extra propriam diem peragenda, quamvis infra ejusdem Octavam,[5] initium anni scholastici.[6]

2. Praeceptum vel saltem licentia Ordinarii pro qualibet vice obtinenda[7] ad Missam hujusmodi celebrandam. Ordinarii enim est discernere, quaenam sit res gravis et causa sufficiens ad celebrandam Missam votivam solemnem.

3. Solemnitas extrinseca, qua nimirum Missae solemnes juxta Rubricas celebrari solent, assistentibus scilicet Ministris sacris, cum cantu, thure aliisque caeremoniis. Si Ministri sacri desint, saltem cum aliqua solemnitate, qua a Missis privatis distinguantur, in cantu celebrentur.

304. Quibus diebus permittitur?

Missa solemnis votiva pro re gravi permittitur omnibus diebus per annum, exceptis: *a)* Festis duplicibus primae classis; *b)* Dominicis primae classis, nempe Dominica prima Adventus, Dominica prima Quadragesimae, Dominica Passionis, Palmarum, in Albis et Trinitatis; *c)* Feriis privilegiatis Cinerum et hebdomadae majoris; *d)* Vigiliis privilegiatis Nativitatis Domini et Pentecostes.[8] Si hisce diebus exceptis Missa votiva solemnis praescriberetur, adamussim observentur ea, quae n. **211.** ad 2. tradita sunt.

305. Quo ritu celebratur?

Missa votiva solemnis semper est ritus duplicis. Ante omnia recole ea, quae quoad ritum omnibus Missis votivis communem dicta sunt n. **302.** Quoad ritum huic Missae peculiarem haec observa:

1. Hymnus *Gloria* semper dicitur, nisi celebretur in colore violaceo, quo in casu omittitur.[9]

2. Oratio semper dicitur unica[10] sine ulla Commemoratione Dominicae, Feriae majoris, Festi duplicis vel semiduplicis, etiam in ecclesiis, in quibus una tantum cantatur Missa. Excipe tamen, si cele-

---

[5] *S. R. C.* 24. Jul. 1660 n. 1174. — [6] Cf. *Eph. lit.* 1901 pg. 510. et 649. — [7] *S. R. C.* 30. Jun. 1896 § II. ad 1. n. 3922. — [8] *S. R. C.* l. c. ad 2. — [9] *Rub. gen.* miss. VIII. n. 4.; *S. R. C.* 13. Febr. 1666 ad 4. n. 1333. — [10] *Rub. gen.* miss. IX. n. 14.; *S. R. C.* 23. Apr. 1875 ad 6. n. 3352. et 30. Jun. 1896 § II. ad 3. n. 3922.

bretur: *a)* pro gratiarum actione, quia tunc Oratio *Deus cujus misericordiae* adjungitur sub unâ conclusione, sicut n. **211.** ad 7. dictum est; *b)* coram ss. Sacramento exposito, quia tunc Commemoratio Sanctissimi additur sub unâ conclusione. Vide n. **211.** ad 1.

3. Symbolum *Credo* semper dicitur in Dominicis, sive celebretur in colore violaceo sive in alio colore, et sive Sanctus, de quo Missa votiva solemnis celebratur, in suo Festo Symbolum habeat sive non.[11] Sed etiam extra Dominicam semper dicitur *Credo,* quotiescunque Missa votiva solemnis non celebratur in colore violaceo.[12]

4. Praefatio sumitur secundum dicta n. **302.** ad 6., sed in Dominicis non dicitur de Festo neque communis, sed de ss. Trinitate, si ipsa Missa votiva vel Octava vel tempus propriam non habeat.[13]

5. Missae votivae solemnes tonum solemnem seu festivum habent in Orationibus, Praefatione et Oratione Dominica.[14] Tonus *Ite Missa est* sequitur tonum *Gloriae* et Praefationis; *Benedicamus Domino* cantatur ut in Vigilia Nativitatis Domini.[15]

6. Color paramentorum sequitur qualitatem Missae, quae celebratur.[16]

Caput IV.

De Missa votiva privata.

306. Quid est Missa votiva privata?

Missa privata inter votivas dicitur ea, quae ex privata, sed semper rationabili causa celebratur solemniter vel privatim. Talis causa rationabilis et sufficiens est petitio facta a dante eleemosynam, specialis devotio Celebrantis vel petentis vel populi erga aliquod Mysterium vel Sanctum. Nota distinctiva hujus Missae non est ritus privatus, quia celebrari potest

[11] *Rub. gen.* miss. XI. in fine; *S. R. C.* 13. Aug. 1667 ad 3. n. 1357. — [12] *S. R. C.* 13. Febr. 1666 ad 4. n. 1333. et 30. Jun. 1896 § II. ad 3. n. 3922. Cf. *Eph. lit.* 1903 pg. 179. — [13] *S. R. C.* l. c. n. 3922. — [14] Rub. gen. miss. XII. n. 4. — [15] Rub. ordin. miss. in fine. — [16] *S. R. C.* l. c. n. 3922.

etiam solemniter, neque defectus praecepti vel licentiae Episcopi, quia celebrari potest etiam ex praecepto et licentia Ordinarii, sed est causa minus gravis et privata.

307. Quibus diebus permittitur?

1. In omnibus Festis semiduplicibus, exceptis diebus infra Octavas privilegiatas Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi et Nativitatis Domini,[1] excepta etiam die Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum.

2. In omnibus Festis simplicibus.

3. In omnibus Feriis non privilegiatis, quales sunt omnes Feriae per annum, excepta Feria quarta Cinerum et Feriis omnibus hebdomadae majoris.

4. In omnibus Vigiliis non privilegiatis, quales sunt omnes Vigiliae praeter eas Epiphaniae, Pentecostes et Nativitatis Domini.

Prohibentur ergo Missae votivae privatae: *a)* in omnibus Festis duplicibus, *b)* in omnibus Dominicis per annum, *c)* infra Octavas privilegiatas, *d)* in Feriis privilegiatis, *e)* in Vigiliis privilegiatis. Si Missa votiva petatur tali die prohibita, sumatur Missa de die, cui tamen non licet addere Orationem Missae votivae,[2] nisi tertia Oratio sit ad libitum.

308. Quo ritu celebratur?

Celebratur semper ritu simplici. Praeter ea, quae omnibus Missis votivis sunt communia (vide n. **302.**), in Missis hujusmodi privatis observanda sunt etiam sequentia, quae iis sunt peculiaria:

1. Hymnus *Gloria* in votivis privatis nunquam dicitur, quantumvis solemniter celebrentur, praeterquam: *a)* in Missis votivis B. M. V. in Sabbato, etiamsi non fiat Officium de Beata;[3] *b)* in Missis ejusdem B. M. V., quae celebrantur infra ejus Octavam[4] sive Officium fiat de infra Octavam sive non; *c)* in Missis votivis Angelorum, sive singulorum sive simul sumptorum; *d)* in Missis Sanctorum et Mysteriorum,

[1] *S. R. C.* 30. Jun. 1896 § III. ad 2. n. 3922. — [2] *S. R. C.* 7. Sept. 1850 ad 3. n. 2981. — [3] *S. R. C.* 30. Jun. 1896 § V. ad 2. n. 3922. — [4] *S. R. C.* ibid.; *Eph. lit.* 1900 pg. 606.

quae celebrantur infra eorum Octavas; *e)* in Missis votivis cujuscunque Sancti in ejus die obitus celebratis. Vide infra ad 3.

2. Orationes dicuntur saltem tres,[5] etiam tempore Passionis, quamvis solemniter celebrentur, aliquando plures, scilicet: *a)* quando duae vel plures Commemorationes speciales faciendae sunt, *b)* quando Orationes votivae ex mandato Rubricarum vel Superioris addendae sunt, e. g. Commemoratio Sanctissimi, Oratio imperata, quo in casu non requiritur numerus impar. Recole n. **205.** ad 5. et 6. Potest autem, sed non debet Celebrans post Commemorationes de praecepto pro arbitrio suo addere plures Orationes votivas,[6] dummodo numerus omnium Orationum simul sumptarum impar sit et septenarium numerum non excedat.

Ordinem Orationum quod attinet, prima Oratio dicitur de Missa votiva ipsa, secunda de Officio diei, tertia, quae secundo loco in Missa diei recitanda esset. Si ergo Missa diei sit de Octava, tertia Oratio erit, quae secundo loco infra ipsam Octavam ponitur; si de Vigilia, tertia Oratio dicenda erit, quae secundo loco in Vigilia assignatur; si de Semiduplici, Simplici aut Feria, tertia Oratio recitanda erit, quae secundo loco de tempore dicenda praescribitur in Rub. gen. miss. IX. n. 2. sq.

Notandae sunt tamen quaedam exceptiones: *a)* In Missis votivis B. M. V. tertia Oratio dicitur de Spiritu Sancto[7] si nulla in Officio facta fuerit Commemoratio. *b)* Eadem Oratio de Spiritu Sancto dicitur etiam in Missa votiva Omnium Sanctorum loco Orationis *A cunctis,* si haec pro temporis ratione juxta Rub. gen. miss. IX. n. 2. et 4. dicenda esset. *c)* In Missa votiva ss. Apostolorum Petri et Pauli juxta dicta n. **219.** ad 4. non dicitur tertia Oratio *A cunctis,* sed *Concede* de B. M. V., quae Oratio tertio loco etiam dicenda est, si praefata Missa votiva celebraretur in Vigilia Omnium Sanctorum, licet in Missa Vigiliae secundo

---

[5] *S. R. C.* 3. Mart. 1818 n. 2582. — [6] Rub. gen. miss. IX. n. 12. 14. — [7] Ibid. n. 15.

loco assignata sit Oratio de Spiritu Sancto *Deus qui corda.*[8] *d)* In Missa votiva de solo s. Petro Ap. dicitur secunda Oratio de s. Paulo, in Missa votiva de solo s. Paulo dicitur secunda Oratio de s. Petro (vide n. **301.** ad 7.), qua dicta tertio loco dicitur Oratio Officii diei. *e)* In Missa votiva de ss. Trinitate (pro gratiarum actione) infra aliquam Octavam B. M. V. tertia Oratio dicenda est de Spiritu Sancto.[9]

3. Symbolum *Credo* in Missis votivis privatis nunquam dicitur, quamvis solemniter celebrentur[10] et Mysterium vel Sanctus, de quo dicitur Missa votiva, in suo Festo habeat *Credo,* nisi celebrentur de die infra eorum Octavam, de qua saltem Commemoratio in Officio facta est, quo in casu celebrandae sunt ut in Festo, id est cum *Gloria* et *Credo.*[11]

4. Missae votivae privatae, etiamsi solemniter celebrentur, tonum simplicem seu ferialem habent in Orationibus, Praefatione, Oratione Dominica et *Benedicamus Domino. Ite Missa est* sequitur tonum Hymni *Gloria.*

Videsis tabellam in appendice libri.

Caput V.

De Missis votivis ad libitum seu per annum.

309. Quaenam est qualitas Missarum harum?

Genus speciale Missarum votivarum constituunt Missae votivae sic dictae ad libitum[1] seu per annum, quae scilicet per decretum S. R. C. die 5. Julii 1883 pro singulis hebdomadae diebus per annum assi-

[8] *S. R. C.* 16. Febr. 1910 ad 1. Romana (*Eph. lit.* 1910 pg. 267.). — [9] *S. R. C.* 6. Febr. 1892 ad 12. n. 3764. — [10] *S. R. C.* 2. Sept. 1690 ad 1. n. 1843. — [11] *S. R. C.* 30. Juni 1896 § III. ad 3. n. 3922. et 24. Apr. 1899 n. 4020. et 15. Maj. 1903 ad III. Ord. Fratr. Min. Capuc. (*Eph. lit.* 1903 pg. 389.) Idem dicendum est, si pro Missa votiva sumatur Missa Duplicis eo die ad instar Simplicis redacti, si idem Festum Deiparae vel Sanctorum *Credo* reposcat. *S. R. C.* 12. Maji 1905 ad 7. Ord. Fratr. Minor. (*Eph. lit.* 1906 pg. 195.)

[1] *Eph. lit.* 1888 pg. 215. ad 9.

gnatae sunt, videlicet pro Feria secunda de ss. Angelis, pro Feria tertia de ss. Apostolis, pro Feria quarta de s. Joseph, pro Feria quinta de ss. Eucharistiae Sacramento, pro Feria sexta de Passione Domini, pro Sabbato de Immaculata. Romae loco Missae de ss. Apostolis pro Feria tertia assignata est Missa de ss. Apostolis Petro et Paulo. Quae dispositio afficit non tantum eos, quae Romae materialiter degunt, etiamsi Kalendario Urbis non utantur,[2] sed etiam eos, qui Kalendario Cleri Romani utentes extra Urbem degunt.[3]

Quum hae Missae, sicut Officia iis convenientia, prorsus sint ad libitum, patet, loco Missae votivae hujusmodi, alterius Missae celebrandae singulis Sacerdotibus libertatem dari. A qua libertate tamen eximuntur: *a)* Canonicorum collegia et communitates, quae ad chori legem adiguntur, et haec votiva Officia, approbante semel pro semper Ordinario, acceptarunt,[4] ita ut ab hac acceptatione non amplius liceat recedere, neque legitime a choro absentibus. Quod tamen intelligendum est tantum quoad Missam conventualem, quum singuli de collegio, qui Missam privatam faciunt, quoad Missas singulis de Clero aequiparentur.[5] Eximuntur a dicta libertate *b)* etiam ii, quibus jam antea per indultum apostolicum concessum fuerat privilegium, Officium votivum recitandi, quibus proinde non datur optio inter Officium feriale et votivum nisi diebus in priori indulto exceptis.[6] Ubi ergo per antiqua indulta apostolica (ante annum 1883) pro singulis Feriis quintis et Sabbatis Festo novem lectionum non impeditis extra Adventum, Quadragesimam, Vigilias et Sabbata Quatuor Temporum, concessa fuerunt Officia votiva de ss. Sacramento et de Immaculata Conceptione Beatae Mariae

---

[2] *S. R. C.* 9. Maji 1884 ad 3. n. 3607. — [3] *S. R. C.* 18. Maji 1889 n. 3708. — [4] *S. R. C.* 10. Nov. 1883 ad 1. 2. 3. n. 3596 et 5. Jul. 1883 n. 3581. Quae acceptatio, ubicunque nondum est facta, adhuc fieri potest. *S. R. C.* 24. Nov. 1899 ad 2. n. 4048. — [5] *Eph. lit.* 1888 pg. 365. n. 23. — [6] *S. R. C.* 24. Nov. 1983 ad 1. n. 3597.

Virginis; ibi ab universo Clero respectivo dictis diebus Officia votiva recitari et Missae celebrari debent juxta antiqua indulta, nisi expresse renuntiatum fuerit antiquis indultis.[7] Occurrentibus vero praefatis diebus tempore vetito (in Adventu, Quadragesima etc.), in quibus juxta indulta antiqua Officia votiva recitari Missaeque iis respondentes celebrari nequeunt, sine dubio Officia et Missae votivae peragi possunt juxta indultum recentius Leonis XIII.

Missae, de quibus sermo, medium quodammodo locum tenent inter Missas votivas et festivas. Sunt scilicet vere votivae sensu latiori: votivae, quia non concordant cum Officio diei, sensu tamen latiori, quia ex voto Ecclesiae dicuntur; ast non celebrantur ritu votivo sed festivo, sicut Festa semiduplicia, ideoque semper habent *Gloria* et cantantur in tono festivo. Quapropter a quibusdam mixtae appellantur.[8]

310. Quando hae Missae celebrantur?

1. Permittuntur: *a)* Diebus singulis assignatis loco Missarum ferialium occurrentium quocunque anni tempore, exceptis Feriis infra recensitis.[9] *b)* In Festis simplicibus.[10] *c)* In Vigiliis non privilegiatis.[11]

2. Prohibentur: *a)* Feria quarta Cinerum, Feriis totius temporis Passionis et sacri Adventus a die 17. ad 24. Decembris inclusive.[12] *b)* Feriis infra Octavam alicujus Festi.[13] *c)* Die, qua Officium Dominicae anticipandum praescribitur.[14] *d)* Feria sexta post Octavam Ascensionis Missam votivam de Passione non licet celebrare.[15]

---

[7] *S. R. C.* 22. Dec. 1883 n. 3600. et 5. Jun. 1908 Osnaburgen. (*Eph. lit.* 1908 pg. 386.) — [8] *Eph. lit.* 1888 pg. 364. sq. Rubrica his Missis praefixa habet: „Secunda et tertia Orati erunt ut in Semiduplicibus, pro diversitate temporis. Fiunt quoque Commemorationes de Simplici ac de Feria cum ejus Evangelio in fine Missae, prout de iis actum est de respondente Officio votivo per annum, juxta Rubricas missalis. Dicitur *Gloria*, omittitur *Credo*.“ — [9] Rub. his Miss. praefixa. — [10] Ibid. et *S. R. C.* 24. Nov. 1883 ad 3. n. 3597.; *Eph. lit.* 1888 pg. 230. ad I. et pg. 362. ad 20. — [11] *S. R. C.* 16. Jan. 1885 ad 1. 2. n. 3627. — [12] Rub. his miss. praefixa. — [13] *S. R. C.* 13. Aug. 1883 ad 1. n. 3586. — [14] *S. R. C.* 5. Febr. 1895 ad 1. n. 3844. Cf. *Eph. lit.* 1888 pg. 307. sq. — [15] *S. R. C.* 29. Apr. 1887 ad 1. n. 3675.

Quae prohibitiones ita tamen intelligendae sunt, ut, quia Officia votiva recitari iis diebus nequeunt, etiam Missas votivas ritu festivo i. e. cum *Gloria* agere non liceat. Si quis autem hoc tempore vetito, dummodo Rubricae id alias permittant, unam ex Missis supra dictis, e. g. de sancto Joseph celebrare velit, eam tantum ritu stricte votivo i. e. sine *Gloria* (exceptis Missis ss. Angelorum et B. M. V. in Sabbato, quae semper *Gloriam* habent) et in cantu feriali celebrare debet; ideoque in Missa stricte votiva de Passione diebus ut supra ad 2. exceptis celebranda[16] colore violaceo utatur, pro qua Missa extra tempus vetitum secundum Officium votivum ad libitum seu per annum (a Leone XIII. concessum) celebranda color rubeus praescribitur.[17]

311. Quaenam est cohaerentia inter Officium recitatum et Missam celebrandam?

1. Recitans Officium votivum celebrare poterit: *a)* Missam votivam Officio (votivo) respondentem; *b)* aliam Missam votivam ex concessis a Leone XIII. Officio non respondentem, sed ritu stricte votivo cum Oratione secunda de votiva occurrente et tertia, quae aliunde secundo loco diceretur in Missa respondenti Officio diei;[18] *c)* aliam quamcunque votivam privatam cum Orationibus ut ad *b* praecedentem; *d)* Missam de Feria majore occurrente,[19] sed cum commemoratione Officii votivi;[20] *e)* Missam de Requie privatam. Ratio horum est, quia Officium votivum, de

---

[16] *Rub. gen.* miss. XVIII. n. 5.; *S. R. C.* 30. Jun. 1896 § IV. ad 2. n. 3922. — [17] *S. R. C.* 24. Nov. 1883 ad 2. n. 3597. — [18] Si quis recitaverit Officium de s. Joseph, poterit dicere Missam ex votivis ad libitum de Immaculata, dummodo omittat *Gloria* et *Ite Missa est*, cujus loco dicat *Benedicamus Domino* et dicat tres saltem Orationes ut supra ac ultimum Evangelium s. Joannis. *Eph. lit.* 1888 pag. 365. et 1889 pg. 538. 543. — [19] *Eph. lit.* 1891 pg. 689. — [20] In una Strigonien. propositum fuit dubium 8: „Recitans privatim Officium aliquod votivum Feriis Quadrag. Quatuor tempor. aut Vigiliarum, potestne celebrare Missam de Feria in colore violaceo? Et si affirmative, debetne omittere commemorationem Officii votivi illa Feria privatim recitati?“ *S. R. C.* die 30. Aug. 1892 ad 7. n. 3792. rescripsit: Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam.“

quo sermo, est ritus semiduplicis, qui admittit Missas votivas privatas et de Requie.

2. Recitans Officium feriale i. e. de Feria non privilegiata celebrare poterit: *a)* Missam de Feria, de qua Officium, sine commemoratione Officii votivi huic Feriae respondentis; *b)* Missam votivam quamcunque ex concessis a Leone XIII. sive Feriae respondentem[21] sive non respondentem, sed in utroque casu ritu stricte votivo i. e. sine *Gloria* et cum *Benedicamus Domino* in fine, exceptis Missis de Angelis et de B. M. V. in Sabbato, in quibus semper dicitur *Gloria* et *Ite Missa est.* *c)* Missas quascunque votivas privatas, pariter sine commemoratione Officii votivi Feriae respondentis; *d)* Missam de Requie. Ratio horum est, quia Officium feriale est ritus simplicis, qui admittit Missas votivas privatas et de Requie.

Tractatus VIII.

De Missis quibusdam peculiaribus.

Caput I.

De Celebrante Missam privatam coram Episcopo.

312. Quae hic notantur caeremoniae, observandae sunt in Missa privata coram Episcopo in sua dioecesi, etiam in ecclesiis Regularium, quomodolibet exemptis, coram Archiepiscopo in sua provincia, coram Patriarcha in suo primatu, coram Nuntio et Legato apostolico in territorio suae nuntiaturae seu legationis, coram Cardinali ubique terrarum,[1] coram Abbate benedicto in suo monasterio, et etiam coram Episcopo in oratoriis privatis, quamvis extra dioecesim,[2] si tamen dicti Praelati Missae non assistant sine habitu dignitatis suae.[3] Si Missa celebratur coram Praelato

---

[21] *Eph. lit.* 1888 pg. 365. ad 24.

[1] *Rit. cel.* miss. III. n. 2. — [2] *S. Alphonsus*, Lib. de caer. miss. cap. 16. n. 1. — [3] Cf. *S. R. C.* 22. Mart. 1862 ad 21. n. 3110.

extra territorium jurisdictionis suae, Celebrans nihil aliud observare debet, nisi quod accedens ad altare et recedens ab eodem in principio et fine Missae, transeundo ante Praelatum, ipsi caput coopertum profunde inclinet.[4]

Episcopus praesens Missae privatae per alium celebratae, genuflectit super genuflexorio sibi parato ante medium altaris, vel e regione in cornu Epistolae, nisi aliud situs loci suadeat,[5] v. g. in cornu Evangelii. De genuflexorio recole n. **127.** adnot.

313. — 1. Si Episcopus Celebrantem praevenerit, tunc more solito Celebrans accedit ad altare cum calice et cooperto capite. Transiens ante Episcopum, capite cooperto debitam eidem facit reverentiam (reg. gen. 7. n. **104.**), nisi expositum sit ss. Sacramentum.[6] Si genuflectat Episcopus super genuflexorio in facie altaris, Celebrans accedit ante infimum gradum tantillum versus cornu Evangelii, ne tergum vertat Episcopo, caput detegit et, facta altari debita reverentia, ascendit per gradus, et aptato calice apertoque missali descendit in planum ad cornu Evangelii, ubi consistens facie versa ad cornu Epistolae exspectat signum incipiendi, quo dato ab Episcopo, eamdem ac antea ei exhibet reverentiam. Erectus et conversus ad altare in cornu Evangelii, debitam altari facit reverentiam et more solito incipit Missam. — Si Episcopus non in facie altaris, sed a latere in cornu Epistolae vel Evangelii assistat, Celebrans in medio se sistere potest, quia tunc eidem terga non vertit et commode illi debitas inclinationes exhibere potest.

Si Celebrans ad altare accesserit ante adventum Episcopi, tunc accommodato calice apertoque missali, exspectat in plano a cornu Evangelii. Episcopo adveniente vertit se in eodem loco et debita reverentia ipsum salutat. Mox erectus exspectat signum incipiendi Missam, quo accepto, se gerit ut supra.[7]

---

[4] *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 40. — [5] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 30. n. 1. — [6] *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 6. n. 2928. — [7] Minister

2. Ad *Confiteor* Celebrans non dicit *Vobis fratres* nec *Vos fratres,* sed conversus ad Episcopum *Tibi Pater* et *Te Pater.*[8] More solito autem dicit *Misereatur* et *Indulgentiam.* Dicto *Oremus,* antequam altare ascendat, conversus ad Episcopum profundam ei facit inclinationem, deinde accedit ad medium altaris ante infimum gradum et incipiens *Aufer a nobis* ascendit per gradus Missam prosecuturus.

3. Finito Evangelio Celebrans non osculatur librum nec dicit *Per evangelica dicta etc.,*[9] sed ipso in medio altaris exspectante,[10] donec liber reportatus sit, Capellanus Episcopi vel, eo deficiente, minister Missae, missale apertum, nulla praemissa reverentia,[11] ad Episcopum defert,[12] ostendens ei initium Evangelii. Dicto ab Episcopo *Per evangelica dicta etc.* et libro osculato, Capellanus vel minister, facta Episcopo genuflexione, librum clausum ad altare reportat. Quo facto Celebrans Missam prosequitur more solito usque ad Communionem.

4. Pax non datur, nisi cum instrumento,[13] ubi in usu est. Et tunc finita prima Oratione ante Communionem, Celebrans osculatur altare, deinde instrumentum pacis ei porrectum a ministro genuflexo ad dexteram ejus, dicens *Pax tecum;* minister respondet *Et cum spiritu tuo,* atque instrumentum defert[14] Epi-

---

sicut alias genuflectit, scil. sub Confessione a sinistris Celebrantis. Quantum fieri potest, caveat, ne tergum vertat Episcopo. Perrecturus ab una parte ad alteram, transit post Episcopum in medio genuflexum et dum reverentia ei facienda est, genuflectere tenetur. *Herdt,* S. Lit. Prax. II. n. 39. — [8] Minister semper dicit *Tibi Pater* et *Te Pater* aliquantulum conversus ad Celebrantem. *Rit. cel.* miss. III. n. 9. — [9] *Rit. cel.* miss. VI. n. 2. — [10] *Martinucci,* lib. 1. cap. 23. n. 9. — [11] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 30. n. 2. — [12] Si plures adsint Praelati, missale defertur digniori dum taxat, nulli vero, si plures adsint aequales. Sed nec in hoc casu Celebrans librum osculatur nec dicit *Per evangelica dicta. Caer. Ep.* lib. 1. cap. 30. n. 3. *Herdt,* Prax. Pont. I. n. 288. a. — [13] *Caer. Ep.* l. c. — [14] Si plures adsint Praelati, primo datur digniori, deinde aliis juxta ordinem. Si plures adsint aequales, datur primo illi, qui primum locum occupat, vel ei, qui proximus est altari et aliis successive. *Herdt,* l. c. ad *b.* et S. Lit. Prax. II. n. 39 ad 5.

scopo osculandum sine reverentia dicens *Pax tecum,* cui respondet Episcopus *Et cum spiritu tuo;* dein minister Episcopo genuflectit. Celebrans interim Missam prosequitur.

5. Ad benedictionem populi Celebrans more solito dicit *Benedicat vos omnipotens Deus;* tum conversus ad populum, antequam benedicat, caput Episcopo profunde inclinat,[15] quasi licentiam benedicendi petens, nisi expositum sit ss. Sacramentum;[16] deinde capite erecto prosequitur *Pater et Filius et Spiritus Sanctus,* benedicens adstantes a parte, ubi non est Episcopus, scilicet a parte Evangelii, si Episcopus sit in medio vel in parte Epistolae.

6. Finito ultimo Evangelio, Celebrans in cornu Evangelii persistens, ad Episcopum se convertit eique caput profunde inclinat. Deinde vel ibidem exspectat, donec Episcopus discesserit, vel, si Episcopus moram faciat, ad medium altaris accedit, accepto calice descendit, et facta altari et Episcopo debita reverentia, in sacristiam revertitur.

7. Notat s. Alphonsus,[17] Sacerdotem celebrantem coram proprio Praelato diebus, quibus Orationem *ad libitum* dicere licet, non posse dicere Orationem pro seipso, sed convenire, ut Orationem pro Praelato (Episcopo) sumat.

Caput II.

De Celebrante Missam solemnem coram Episcopo.

314. — 1. Agitur hic de Missa solemni, quae celebratur coram Episcopo dioecesano, sicut dictum est n. **312.** Si Missa solemnis celebretur coram Episcopis extraneis, a Celebrante omnia ita peragenda sunt, ac si praesentes non essent. Verumtamen ante et post Missam nudo capite in transitu salutandi sunt.

Reverentia Episcopo sive in choro sive in throno assistenti Missae solemni a Celebrante non exhi-

[15] Rit. cel. miss. XII. n. 3. — [16] *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 6. n. 2928. — [17] Lib. de Caer. miss. cap. 5. n. 11. et cap. 16. n. 7.

betur nisi inclinatio,[1] licet non sit Canonicus, sed simplex Sacerdos, et licet ceteri omnes genuflectant. Si expositum sit ss. Sacramentum, nec inclinatio ei exhibetur in accessu, recessu et transitu. Vide n. **118.** ad 1. et 2.

315. Si Episcopus Missae solemni cum rochetto et mozzetta assistat sive in choro[2] sive, ex speciali privilegio, in throno,[3] non habet assistentiam Canonicorum, et ipse non imponit nec benedicit incensum, neque benedicit Subdiaconum post Epistolam neque Diaconum ante Evangelium neque aquam ad Offertorium neque populum in fine Missae; quae omnia ad Celebrantem spectant. Quapropter Celebrans omnia peragit sicut alias, nullo respectu habito Episcopi, ac si non adesset, excepta dumtaxat benedictione[4] populi in fine Missae, ante quam impertiendam Celebrans se vertit ad Episcopum sedentem in primo stallo chori eique caput profunde inclinat, quasi veniam petens, deinde benedicit a parte Episcopo opposita, sicut dictum est in numero praecedenti ad 5. Quod tamen intelligendum est de casu dumtaxat, si chorus sit ante altare; si enim stalla sint retro post altare, Celebrans benedictionem impertit more solito.

316. Si Episcopus Missae solemni assistat in throno cappa indutus vel pontificaliter paratus, assistunt ei saltem duo Canonici ut Diaconi assistentes in habitu chorali. Quibus addi potest Dignitarius ut Presbyter assistens. Celebrans in quovis casu, sive Episcopus assistat in cappa sive in pontificalibus, haec observet:

1. Si praesente jam Episcopo Celebrans cum Ministris ad altare supervenerit, facta altari debita reverentia, in eodem loco persistens se vertit ad Epi-

[1] Id est profunda corporis inclinatio ante et intra Missam usque ad Consecrationem exclusive (Cf. *S. R. C.* 13. Mart. 1700 ad 1. n. 2049. Rit. cel. miss. III. n. 2. 11.; *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 43. ad 3.), profunda capitis inclinatio autem post sumptionem sacrae Communionis. (Cf. Rit. cel. miss. XII. n. 3.) — [2] *S. R. C.* 24. Jul. 1638. n. 650. — [3] *S. R. C.* 23. Nov. 1906 De Chiapas (*Eph. lit.* 1907 pg. 134.) — [4] *Herdt*, Prax. Pont. II. n. 142. § 1.

scopum eique exhibet profundam corporis inclinationem, nisi expositum sit Sanctissimum,[5] quia tunc omittitur reverentia Episcopo praestanda. Si accedendo ad altare transeat ante Episcopum, in transitu profunde[6] sese ei inclinat capite aperto.

Si vero, quod certe decet, Celebrans ante adventum Episcopi ad altare accesserit, in scamno ad cornu Epistolae cum Ministris sacris sedet, exspectans adventum Episcopi. Quo adveniente, caput detegit, surgit cum Ministris, eique super genuflexorium procumbenti debitam facit corporis inclinationem. Dum Episcopus orat, detecto capite accedit retro post Episcopum versus ejus sinistram ibique stat[7] cum Ministris. Si Episcopus paratus cum pluviali, mitra et pastorali assistere velit, Celebrans non vadit ad eum, dum orat, sed ad scamnum persistit, donec Episcopus paratus a sede descendat ad incipiendam Missam.

2. Si Aspersio aquae benedictae facienda sit, Celebrans pluviali indutus ad altare accedit et facta eidem reverentia in infimo gradu genuflexus cantat *Asperges me* vel tempore paschali *Vidi aquam,* aspergens altare tantum. Mox surgens, manentibus Ministris sacris genuflexis ad altare, accedit ad Episcopum in sede et peragit omnia, quae dicta sunt n. **257.** Aspersione et Oratione conveniente absoluta factaque altari ac Episcopo reverentia, accedit ad scamnum in cornu Epistolae. Deposito ibi pluviali assumptisque casula et manipulo, revertitur ad altare ibique se sistit, ut dicetur.

3. Accedente Episcopo ad altare ad incipiendam Missam, Celebrans stat a sinistris ejus paulo post eum, simul cum eo altari faciens reverentiam eique respondens, ac si Episcopus celebraret. Infra *Confiteor* ad verba *Tibi Pater et Te Pater* convertit se ad Episcopum.[8] Dicto ab Episcopo *Indulgentiam,* Cele-

[5] *S. R. C.* 27. Febr. 1847 ad 6. n. 2928. — [6] *S. R. C.* 13. Mart. 1700 ad 1. n. 2049. — [7] Conf. *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 28. n. 1. — [8] *S. R. C.* 2. Sept. 1597 ad 5. n. 86.

brans inclinatione versus eum facta se retrahit[9] constituitque inter Diaconum et Subdiaconum et prosequitur cum ipsis *Deus, tu conversus etc.;* Diaconi vero assistentes, qui hucusque steterunt retro post Episcopum (vide n. **119.** ad 3.), accedunt hinc inde ad latera Episcopi, qui stans in eodem loco similiter cum iisdem recitat *Deus, tu conversus etc.*[10] Dicto *Oremus* ante *Aufer a nobis etc.*, Episcopus redit ad sedem, Celebrans vero, facta ei transeunti debita inclinatione, ad gradus altaris accedit et dicens *Oremus Aufer a nobis etc.* more solito ascendit per gradus.

4. Ante altaris incensationem Episcopus thus imponit, Celebrante interim exspectante, donec thuribulum allatum sibique ministratum fuerit sine osculis a Diacono, qui eum post altaris incensationem adolet duobus ductibus duplicibus, sive Episcopus sit paratus pontificaliter sive cappa tantum.

5. Nec Subdiacono post cantatam Epistolam nec Diacono ante Evangelium cantandum benedictionem impertit; item nec incensum imponit ante Evangelium nec librum osculatur nec dicit *Per evangelica dicta etc.* post Evangelium. Haec omnia enim peraguntur et dicuntur ab Episcopo assistente.[11] Incensatur autem Celebrans post cantum Evangelii a Diacono duobus ductibus duplicibus, nisi Episcopus assistat paratus cum pluviali et mitra, in quo casu Episcopus solus tribus ductibus duplicibus thurificatur.[12] Sive autem Celebrans incensetur sive non, exspectare tamen debet ad cantandum *Credo* aut *Dominus vobiscum,* donec Episcopus librum sit osculatus et incensationem acceperit.

6. Ad Offertorium Celebrans aquam non benedicit,[13] recitat tamen Orationem *Deus, qui humanae substantiae etc.*[14] manibus ante pectus junctis. Ipse

[9] *S. R. C.* 5. Mart.; 1870 ad 8. n. 3213. — [10] *S. R. C.* 14. Nov. 1676 ad 6. n. 1583. *Eph. lit.* 1905 pg. 109. — [11] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 9. n. 6. et 8. — [12] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 23. n. 13. — [13] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 9. n. 8. — [14] *S. R. C.* 27. Jan. 1883 ad 2. n. 3569. Episcopus benedicendo aquam, tantum dicere debet: *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti Amen. S. R. C.* ibid. Cf. *Eph. lit.* 1906 pg. 242.

nec imponit nec benedicit incensum, sed Episcopus; thurificat autem Oblata, Crucem et altare more solito et in fine duobus ductibus duplicibus adoletur.

7. De Pace danda relege n. **116.** et **117.**

8. Dicta Oratione *Placeat,* Celebrans non dicit *Benedicat vos etc.* nec benedictionem impertit populo; sed osculato altari immediate cum Ministris sacris ad cornu Epistolae se retrahit, ubi stans faciem suam vertit ad Episcopum eique caput profunde inclinat, dum Episcopus[15] solemniter benedicit. Accepta benedictione se erigit et signat, tunc, si indulgentia publicanda sit, se iterum inclinat Episcopo ad petendam licentiam eam publicandi, et Episcopo annuente[16] e libello praeparato eandem publicat. Quo facto per medium altaris debitis cum reverentiis accedit ad cornu Evangelii, ubi de more legit Evangelium.

9. Lecto Evangelio, vel in cornu Evangelii cum Ministris vertit se ad Episcopum debitam ei faciens reverentiam et exspectans, donec Episcopus discesserit, vel, dato signo[17] ab Episcopo, debitis cum reverentiis altari et Episcopo faciendis in Sacristiam discedit.

317. Si Episcopus extra Cathedralem in aliqua suae dioeceseos ecclesia Missae solemni assistere velit, paretur sedes a latere Evangelii, si loci situs id patiatur, elevata a solo tribus gradibus tapetibus tectis. Ante altare collocetur genuflexorium tapete coopertum et cum pulvinis, de quo genuflexorio lege n. **127.** adnot.

Si velit pontificaliter indutus Missae solemni assistere, supra altare parantur pluviale, stola, cingulum, alba, amictus et mitra, nisi in eo expositum sit ss. Sacramentum, quo in casu paramenta ponuntur in mensa juxta sedem, nisi Episcopus ea sumere velit

---

[15] *S. R. C.* 12. Sept. 1884 ad 1. n. 3618. — [16] *Caer. Ep.* lib. 2. cap. 9. n. 6. — [17] *Rit. cel.* miss. XII. 5. Solet Episcopus Celebrantem ejusque Ministros signare, tali modo indicans, eos posse abire. *Herdt,* l. c. n. 153.

in sacristia. Missale et bugia in credentia vel in dicta mensa collocantur.

Si solemniter excipiendus sit Episcopus in adventu suo, Clerus illius loci vel ecclesiae in habitu chorali i. e. in superpelliceis accedit ad portam ecclesiae. Ibi dignior[18] ecclesiae (parochus, rector ecclesiae) et non alius, licet adsit aliquis Canonicus cathedralis, in habitu chorali sine stola[19] genuflexus porrigit Episcopo aspergillum cum debitis osculis.[20] Episcopus aspergit primum seipsum, deinde digniorem Sacerdotem et ceteros de Clero genuflexos. Postea aspergillum a praefato Sacerdote digniore genuflexo cum osculis consuetis recipitur et Episcopus a Clero ad altare deducitur.

Si Episcopus rochetto et mozzetta indutus Missarum solemniis extra Cathedralem assistat, Celebrans se gerit, ut supra n. **315.** dictum est de assistentia Episcopi in choro. Si vero assistat cappa magna vestitus vel pontificaliter paratus, Celebrans observet, quae n. **316.** dicta sunt de assistentia hujusmodi in Cathedrali.

Caput III.

De duobus Capellanis in Missa privata ab Episcopo celebrata.

318. Regulae generales:

1. Ante altare paratur faldistorium seu genuflexorium, in quo Episcopus facit praeparationem ante et gratiarum actionem post Missam, volvente primo Capellano a dexteris folia canonis episcopalis,

[18] Cf. *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 15. n. 3.; *Herdt*, Prax. Pont. I. n. 129. *b*. In processionibus S. Marci et Rogationum Sacerdos ad ecclesiae fores praebens aquam lustralem Clero in gredienti non utatur stola violacei coloris. *S. R. C.* 9. Maji 1857 ad 4. n. 3043. — [19] *S. R. C.* 16. Apr. 1853 ad 31. 9. n. 3009. — [20] Quando vero totum Capitulum Episcopum comitatur ideoque capitulariter et cum indumentis canonicalibus proceditur, uti in processionibus in die s. Marci et Rogationem, per digniorem ex capitulo Cathedralis aspergillum Episcopo porrigitur. *S. R. C.* 18. Aug. 1884 ad 2. n. 3617.

sustinente altero a sinistris bugiam, utroque genuflexo. De genuflexorio recole n. **127.** adnot.

2. Convenit, ut Episcopus Missam privatam celebraturus paramenta sumat non in sacristia (nisi expositum sit Sanctissimum in altari), sed ex ipso altari, in quo celebrabit.[1]

3. In Missis privatis ordinariis Episcopus non utitur indumentis pontificalibus praeter crucem pectoralem, quam accipit ante stolam, et annulum. Manipulum non accipit simul cum reliquis paramentis ante crucem pectoralem, nisi in Missis de Requie, sed post Confessionem ad *Indulgentiam.*[2]

4. Remotis ab altari tabellis, in medio ante tabernaculum (Crucem) ponitur canon apertus et erectus. Finitis Secretis missale tollitur et ejus loco canon in pulpito collocatur usque ad Communionem, qua peracta iterum missale reponitur in pulpito, canon autem in medio altaris loco tabellae.

5. Episcopo Missam privatam celebranti convenientius ministrant duo Capellani superpelliceo induti absque stola, quorum primus regulariter assistit ad librum folia vertendo, textum indicando, librum transferendo, nisi sit impeditus; alter autem continuo sustinet bugiam, nisi alias sit occupatus, et tunc bugiam deponit in altari. Dum Episcopus stat in medio altaris hinc inde ei assistunt, primus a dexteris, secundus a sinistris; si vero Episcopus sit in cornu Epistolae, primus cum libro[3] assistit ad ejus dexteram, in cornu Evangelii autem ad ejus sinistram, secundus cum bugia vero in alterutra parte pro commoditate Episcopi.

6. Utrumque genu flectunt ad Confessionem, Elevationem et Benedictionem, in reliquis Missae partibus stant; juxta Celebrantem constituti genuflectunt cum eo, nisi dum sustinent librum vel bugiam. Quoad reliquas reverentias consulant regulas consuetas passim in hoc libro traditas.

---

[1] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 29. n. 1. — [2] *Rit. cel.* miss. I. n. 4. — [3] Sufficit, ut stet ad pulpitum cum libro imposito, quin ipse librum sustineat.

7. Occasione Missae privatae Episcopus ter manus lavat (praeter ablutionem digitorum post Communionem), nimirum: *a)* antequam paramenta accipiat, *b)* post Offertorium, *c)* post Communionem sumpta ablutione. Quibus in lotionibus cubicularius (familiaris) Episcopi ministrat aquam et pelvim, Capellanus primus vero mantile.[4]

319. Quaenam in functione specialiter sunt observanda?

1. Ad psalmum et confessionem reliquosque versiculos in principio Missae ambo Capellani hinc inde genuflexi in plano more solito Episcopo respondent. Ad *Indulgentiam* secundus surgit et manipulum de altari sumptum ad crucem lateralem osculatur, Episcopo ad crucem mediam (superiorem) osculandam praebet, brachio ejus sinistro imponit manumque ejus osculatus iterum in plano genuflectit. Reg. gen. 3.

2. Ad Introitum, Orationes, Epistolam, Graduale, Tractum Episcopo assistunt ad librum. Reg. gen. 5.

3. Ad *Gloria* et *Credo* hinc inde Episcopo assistunt, debitas cum eo exsequentes inclinationes et genuflexiones (reg. gen. 6.), non tamen recitantes cum eo.

4. Ad Evangelium Episcopo assistunt de more (reg. gen. 5.). Finito Evangelio primus ambabus manibus missale sublevat et Episcopo osculandum offert. Si adsint alii Episcopi vel Praelati liber ipsis osculandus non porrigitur, nisi adsit forsan aliquis Cardinalis vel princeps maximus (Imperator, Rex etc.), quibus idem Capellanus osculandum praebet librum, non utique illum Celebrantis, sed alium consimilem ad hoc praeparatum.[5]

5. Post *Et incarnatus est* vel, Symbolo non recitato, statim post finitum Evangelium, primus accedit ad credentiam calicem cum toto ornatu suo inde allaturus, subsequente eum mox familiari cum urceolis vini et aquae. Calice in cornu Epistolae collocato, Episcopo ministrat in oblatione panis et vini et deinceps usque ad Communionem explet omnia,

---

[4] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 29. n. 10. — [5] *Caer. Ep.* l. c. n. 9.

quae in Missis solemnibus a Diacono et Subdiacono expleri solent; attamen *Offerimus* cum Episcopo non recitat, calicis pedem vel brachium Celebrantis infra oblationem non sustinet, patenam sustinendam non tradit. Ad *Lavabo,* ministrante familiari aquam et pelvim, ipse Episcopo porrigit mantile (reg. gen. 7.). Secundus interim sustinet canonem, bugia in altari prope pulpitum deposita, deinde paululum recedit, ut locum praestet Episcopo ad medium altaris redeunti, mox accedit ad sinistram Episcopi, cui canonem sustinet usque ad legendas Secretas, ad quas legendas primus Capellanus cum missali accedit ad sinistram Episcopi, secundo interim bugiam sustinente.

6. Lectis Secretis primus missale de pulpito et pileolum de capite Episcopi tollit et facta genuflexione utrumque ad credentiam defert, dein redit ad dexteram Episcopi. Secundus vero canonem in pulpito collocat in loco missalis et ad Praefationem ac deinceps usque ad absolutam Communionem bugiam jugiter sustinet ad librum; verum infra utrumque *Memento,* bugia in altari deposita, paulo recedit, infra Consecrationem, bugia in altari relicta, in suppedaneo post Episcopum genuflectit et ad utramque Elevationem casulam in posteriori parte de more sublevat. Idipsum faciet etiam primus Capellanus.

7. Dicto a Celebrante *Agnus Dei,* si adsint alii Episcopi vel aliquis princeps maximus, Capellanus primus, facta de more genuflexione, sumit ex credentia instrumentum pacis[6] cum velo coloris Missae ejus manubrio appenso, et osculato a Celebrante altari, genuflexus ei instrumentum osculandum offert, cui dicenti *Pax tecum* respondet *Et cum spiritu tuo.* Mox surgit et genuflexione ss. Sacramento in altari facta, descendit ad Episcopos praesentes cum instrumento velo absterso, illudque singulis sine reverentia offert osculandum dicens *Pax tecum,* singulis respondentibus *Et cum spiritu tuo.* Quo facto genu-

[6] Ubi instrumentum pacis non est in usu, pacis osculum omittitur.

flexione Episcopis et altari exhibita, instrumentum defert ad credentiam.

8. Si sacra Communio sit distribuenda, primus genuflexus in ora suppedanei cornus Epistolae recitat *Confiteor*, surgit, sumit patenam, iterum genuflectit et, verbis *Domine non sum dignus* ab Episcopo tertio repetitis, accedit ad ejus dexteram et patenam mento Communicantium supponit.

9. Sumpto pretiosissimo Sanguine, allatis a familiari urceolis ad altare, primus Episcopo ministrat ad purificationem et ablutionem, qua sumpta ei pileolum imponit et mantile porrigit ad lotionem manuum sicut ad Offertorium. Interim i. e. dum Episcopus digitos abluit, secundus canonem apertum et erectum ponit in medio altaris, transfert legile ad cornu Epistolae eique imponit missale e credentia sumptum et cum bugia assistit Episcopo legenti Communionem. Primus vero, facta ab Episcopo manuum lotione, cum velo calicis accedit ad cornu Evangelii et extergit, componit ac defert calicem ad credentiam, genuflexione in transitu ante altare de more facta. Deinde redit ad altare ad Episcopi dexteram.

10. Ad benedictionem, ambo Capellani genuflectunt; post quam primus canonem assumit illumque in legendo ultimo Evangelio S. Joannis ante Episcopum sustinet, secundo interim assistente cum bugia.

11. Missa finita, Episcopus ante gradus altaris exuitur sacris vestimentis, quae ponuntur in altari, et praeparatur canon pro gratiarum actione facienda in genuflexorio.

Si unus tantum Sacerdos assistat, omnia quae supra de alterutro Capellano exposita sunt, quantum fieri potest, ipse perficit.

320. Si duo Clerici saltem tonsurati Episcopo assistant, omnia in praecedenti numero exposita expleant, sequentibus exceptis: *a)* patenam cum hostia Episcopo non tradant; *b)* calicem ante Offertorium non abstergant; *c)* aquam in calicem non infundant;

d) calicem Celebranti non tradant; *e)* calicem infra actionem i. e. ab incepto Canone usque ad ablutionem inclusive nunquam tangant, neque pallam ab eodem removeant aut super eum reponant; *f)* post ablutionem calicem non abstergant, sed tantummodo illum more solito componant, velo cooperiant cum bursa et ad credentiam deferant.[7]

321. Si Clericus sacra non sit tonsura initiatus,[8] poterit quidem ab Episcopo in Missa lecta uti minister assumi, sed eo in casu calix velatus ante Missam ad altare deferatur et more solito in medio mensae super corporale statuatur; Clericus vero non tonsuratus ita se gerat ut in Missis a simplice Sacerdote celebratis. Poterit autem ad missale assistere, folia vertere, bugiam sustinere; calix autem ab ipso Episcopo suo tempore abstersus et velatus ac in medio mensae collocatus, absoluta Missa, in sacristiam defertur per Clericum vel alium Sacerdotem.[9]

Caput IV.

De Missis Neosacerdotis.

322. — 1. Primae Missae Neosacerdotis, quae plerumque solemnis esse solet, sed non debet, ex laudabili consuetudine praemittitur solemnis invocatio Spiritus Sancti. Omnibus in primo gradu altaris genuflexis, Celebrans ipse stans intonat *Veni Creator Spiritus,* post intonationem statim et ipse genuflectit (vide n. **262.** reg. gen. 10.) et alternatim cum ceteris recitat residuum hymni, in cujus fine dicto ℣. *Emitte Spiritum tuum et creabuntur* (T. P. *Alleluja*) et ℟. *Et renovabis faciem terrae* (T. P. *Alleluja*), Celebrans solus assurgit et stans subdit Orationem *Deus qui corda etc.*

Si (in Dominicis) facienda sit Aspersio aquae benedictae, fiat post hymnum ante Missam per

[7] Omnia juxta decr. *S. R. C.* 14. Mart. 1906 ad 2. 3. 4. 5. 6. (*Eph. lit.* 1906 pg. 263.) — [8] Vide n. 66. notam 9. — [9] *S. R. C.* ibid. ad 7.; *Eph. lit.* 1906 pg. 270.

Celebrantem ipsum immediate ante expositionem Sanctissimi, si celebrandum sit coram exposito ss. Sacramento.

2. Ex consuetudine antiquissima fere ubique introducta licet Neomystae adhibere in prima Missa Presbyterum assistentem super superpelliceo pluviali[1] indutum, qui deferre potest stolam vel a principio Missae usque ad finem vel a Canone usque ad Communionem inclusive.[2] Omnino interdicitur Presbytero assistenti: aspergere populum ante Missam aqua benedicta, quod est ipsius Celebrantis; incensare Celebrantem, quod est officium Diaconi; potest tamen in distribuenda Communione infra Missam a dexteris Celebrantis sub Communicantium mento patenam tenere nuda manu. Ceterum Presbyter assistens semper praesto sit Celebranti, suggerendo illi submissa voce, vel modesto nutu indicando, si in aliquo forte vel memoriae lapsu vel alia de causa deficeret aut titubaret.[3] Ad librum stat in latere Celebrantis a medio altaris remotiori; opportune demonstrat Celebranti initium omnium et singulorum, quae ex libro sunt legenda et cantanda, manu a Celebrante remotiori, extensis et unitis digitis, vel solo digito indicando.[4]

3. Missa ipsa, sive privata sive solemnis, celebratur ritu consueto. In principio Missae ad Confessionem aliasque preces in plano faciendas, Presbyter assistens stat a dexteris Celebrantis, Diaconus autem a sinistris, a cujus sinistris se sistit Subdiaconus. Celebrans semper incensatur a Diacono, etiam post cantatum Evangelium. Presbyter assistens itidem incensatur a Diacono duobus ductibus duplicibus ante Subdiaconum. Pacem dat Celebrans soli Presbytero assistenti, seclusis aliis, quia non est Missa pontificalis; Presbyter assistens eam dat Diacono, hic Subdiacono, qui eam distribuit reliquis. Sacra Communio distribuatur intra Missam immediate post sumptionem pretiosissimi Sanguinis ritu n. **233.** vel **234.** descripto.

---

[1] *S. R. C.* 1. Dec. 1882 ad 2. n. 3564. — [2] *S. R. C.* 11. Jun. 1880 ad 7. n. 3515. — [3] *Caer. Ep.* lib. 1. cap. 7. n. 3. — [4] *Herdt*, S. Lit. Prax. II. n. 6.

Vide supra ad 2. Ad benedictionem in fine Missae Presbyter assistens medius inter Diaconum a dexteris et Subdiaconum a sinistris genuflectit in supremo gradu.

Post Missam pro gratiarum actione hymnus Ambrosianus cani potest. Omnibus ante altare quasi in gyro stantibus,[5] Celebrans more solito intonat *Te Deum* et adjungit versiculum cum Oratione. Hymnus praedictus post Missam canendus est semper in paramentis coloris paramentorum, in quibus Missa celebrabatur, licet in Missa color fuisset violaceus.[6] Si in fine danda sit benedictio cum Sanctissimo in ostensorio, Celebrans assumere debet pluviale[7] et velum humerale. Ad hujusmodi Missam fas quidem est oblationes recipere, at vetitum est in hunc finem ab altari discedere.[8]

323. Leo XIII. concedere dignatus est omnibus primae Missae Neosacerdotis adstantibus sequentes Indulgentias defunctis applicabiles: *a)* plenariam Neosacerdoti in ipsa die primae Missae, si peccata confessus fuerit et aliquam visitaverit ecclesiam ibique ad intentionem summi Pontificis oraverit; *b)* plenariam Neosacerdotis consanguineis usque ad tertium gradum inclusive, sub consuetis conditionibus; *c)* septem annorum septemque quadragenarum omnibus fidelibus ad mentem summi Pontificis pie orantibus.[9]

324. Tres Missae ab Episcopo injunctae, una de Spiritu Sancto, altera de B. M. V., tertia pro defunctis, sunt Missae votivae privatae ideoque non possunt celebrari nisi diebus a Rubricis permissis[10] et ritu votivo cum vel sine cantu. Videsis n. **307.** et **308.** Missa pro defunctis erit quotidiana cum Orationibus ibi positis. Sola Missae qualitas, non vero sacrificii applicatio praecipitur; licet ergo stipendium accipere[11] et ordinem invertere.[12]

---

[5] *S. R. C.* 27. Mart. 1779 ad 7. n. 2514. et 17. Sept. 1897 ad 2. n. 2965. — [6] *S. R. C.* 6. Febr. 1892 ad 7. n. 3764. — [7] *S. R. C.* ibid. ad 8. — [8] *Cavalieri*, tom. 5. cap. 13. decr. n. 8. — [9] Cf. *Eph. lit.* 1910 pg. 122. — [10] *S. R. C.* 11. Apr. 1840 ad 4. n. 2802. [11] S. Alphonsus, Theol. mor. tom. VII. n. 829. — [12] *Eph.lit.* 1904 pg. 421.

325. Formula benedictionis neosacerdotalis a S. R. C. approbata: *Oremus. Deus, qui charitatis dona per gratiam S. Spiritus tuorum fidelium cordibus infudisti, da famulis et famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis, ut te tota virtute diligant et quae tibi placita sunt, tota dilectione perficiant. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* (Postea dicatur:) *Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii † et Spiritus Sancti descendat super vos (te) et maneat semper. Amen.*

Caput V.

De Missa in aliena ecclesia.

326. Nomine alienae ecclesiae hic venit omnis ecclesia, licet intra limites propriae parochiae sita, quae utitur Directorio ab illo Celebrantis diverso. Quomodo Missa in hujusmodi ecclesiis ordinanda sit, definitur per sequens S. R. C. decretum: „Omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares quam regulares, ad ecclesiam confluentes vel ad oratorium publicum, Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio ejusdem ecclesiae vel oratorii conformes, sive illae in Romano sive in Regularium missali contineantur; exclusis tamen peculiaribus ritibus Ordinum propriis. Si vero in dicta ecclesia vel oratorio Officium ritus duplici inferioris agatur, unicuique ex Celebrantibus liberum sit Missam de Requie peragere, vel votivam, vel etiam de occurrenti Feria; iis tamen exceptis diebus, in quibus praefatas Missas Rubricae missalis Romani vel S. R. C. decreta prohibent.“ [1]

327. Ex quo decreto sequitur pro praxi:

1. Quivis Sacerdos, ad quemcunque Clerum pertineat et quacunque in ecclesia aliena Missam faciat, vetatur a Missa Officio suo conformi in aliena ecclesia dicenda, et jubetur eam conformare Officio ecclesiae alienae, sive sit de eodem Sancto vel Mysterio sive

[1] *S. R. C.* 9. Jul. 1895 confirm. 9. Dec. 1895 n. 3862.

non, sive sit color idem sive diversus,[2] quamvis eamdem Missam jam alias legerit, aut postea iterum lecturus sit.[3]

2. Ab hac regula excipitur unicus casus, si nempe in ecclesia aliena agatur Officium ritus semiduplicis vel simplicis. Tunc enim potest, sed non debet celebrare Missam vel Officio proprio[4] vel ecclesiae alienae conformem vel Missam de Requie vel votivam vel de Feria occurrente. Haec autem libertas cessat quibusdam diebus anni, in quibus ritus quidem duplici est inferior, sed dictae Missae alia de causa prohibentur, sicuti Missae votivae privatae et Missae quotidianae de Requie, quae prohibentur in Dominicis, infra Octavas necnon in Feriis et Vigiliis privilegiatis, licet ritus sit semiduplex vel simplex.

3. Dicta conformitas debet esse omnimoda et perfecta, ita ut Celebrans, Kalendario suo penitus neglecto, omnino illud ecclesiae alienae sequi teneatur, sive quoad Missae formulare, quod in diversis ecclesiis potest esse diversum (de Communi vel proprium), licet sit idem Officium,[5] sive quoad Orationes, etiam imperatas,[6] sivo quoad Symbolum[7] sive quoad Praefationem propriam. Nec potest amplius proprium suum ritum considerare, sive simplex sit sive semiduplex sive duplex, sed standum Kalendario ecclesiae, in qua celebrat, excepto unico casu ad 2.

4. Conformitas, de qua sermo, vi praesentis decreti extenditur etiam ad Missas Regularium proprias, licet in missali Romano haud contineantur, imo ad Missas de Beatis nondum canonizatis, dummodo ecclesiae, in qua Missa fieri debet, sint indultae. Ritus nihilominus Regularium proprii adhuc manent vetiti, quippe qui a praesente lege manifeste excluduntur.[8]

---

[2] *S. R. C.* 3. Jul. 1896 ad 3. n. 3924. — [3] *Eph. lit.* 1899 pg. 518. — [4] Sed non ritu votivo, quia Missa Officio proprio conformis, semper est festiva. *S. R. C.* 14. Mart. 1896 ad 5. n. 3892. — [5] *Eph. lit.* 1896 pg. 704. — [6] *S. R. C.* 5. Mart. 1898 n. 3985. — [7] *S. R. C.* 3. Jul. 1896 ad 3. n. 3924. — [8] Ritus e. g. Cisterciensis, Dominicanus etc. in nonnullis, esto parvi momenti, discrepat a ritu stricte Romano.

5. Dispositiones praefatae, sicut omnes et singulos Sacerdotes, tam saeculares quam regulares, non obstantibus quibuscunque privilegiis contrariis antea obtentis,[9] respiciunt, ita extenduntur etiam ad omnes ecclesias et oratoria publica,[10] minime vero ad oratoria privata,[11] in quibus Celebrans suo Kalendario sese conformare debet.

6. In oratoriis semipublicis,[12] de quibus nihil in decreto, Missae per se i. e. nisi ipsa pertineant alicui Congregationi proprium habenti Kalendarium, concordare debent cum Kalendario dioecesano.[13] Si alicubi (in nosocomiis, institutis etc.) plura habeantur oratoria, Kalendarium dioecesanum sequendum est tantum in oratorio principali, quod instar publici ad effectum memorati decreti habendum est;[13] in reliquis, quae tamquam privata oratoria censentur, sequendum est Kalendarium Celebrantis, e. g. regularis.

7. In oratoriis semipublicis alicui Congregationi addictis tam Sacerdotes illius Congregationis quam Sacerdotes exteri sequi tenentur Kalendarium Congregationis.[14] Oratorium dicitur alicui Congregationi addictum seu concreditum, si non solum quoad Mis-

[9] *S. R. C.* 8. Febr. 1896 n. 3883. — [10] Oratoria publica ea sunt, quae auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicata, benedicta vel etiam solemniter consecrata januam habent in via, vel liberum a publica via fidelibus universim pandunt ingressum. *S. R. C.* 23. Jan. 1899 n. 4007. — [11] Oratoria privata stricto sensu dicuntur ea, quae in privatis aedibus in commodum alicujus personae vel familiae ex indulto Sanctae Sedis erecta sunt. *S. R. C.* ibid. — [12] Oratoria semipublica sunt, quae pertinent ad seminaria et collegia ecclesiastica, ad pia instituta et societates votorum simplicium aliasque communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis, ad Domus spiritualibus exercitiis addictas, ad convictus et hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata, ad nosocomia, orphanotrophia, ad arces et carceres atque similia oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam, capellae in coemeteriis, dummodo in Missae celebratione non iis tantum ad quos pertinet, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat. *S. R. C.* ibid. — [13] *S. R. C.* 22. Maji 1896 n. 3910. — [14] *S. R. C.* ibid. et 11. Febr. 1910 ad 3. Canon. Reg. Later. Austr. (*Eph. lit.* 1910 pg. 265.) et 15. Dec. 1899 ad 2. n. 4051.

sam celebrandam sed etiam quoad regimen et curam loci Congregationi ipsi ab Episcopo commissum sit, ita ut nemo, Ordinario excepto, aliquod jus in illo exercere valeat.[15]

8. In oratoriis semipublicis, quibus quoad celebrationem Missae unus tantum Sacerdos addictus est, hic, si sit saecularis, tenetur sequi Kalendarium dioeceseos; si sit regularis, Kalendarium Ordinis, quatenus proprio gaudet, relinquere; et si quando celebrent exteri, hi debent se conformare Kalendario Sacerdotis ejusmodi Oratorio addicti, dummodo oratoria habenda sint publica (vide ad 6.), secus vero non.[16]

9. In oratoriis Religiosarum proprium Kalendarium non habentium, Missae, quae in iisdem a Religiosis, licet ejusdem sancti Fundatoris (e. g. utraque Familia s. Vincentii a Paulo), celebrantur, conformes esse debent Kalendario dioecesano, non Kalendario Religiosorum, etiam si oratorium respectivum aliis fidelibus minime pateat;[17] et privilegium, quo Religiosi juxta suum Kalendarium celebrare valeant, non conceditur.[18]

10. Regulares, qui parochiam aliquam in dioecesi administrant, tenentur in Missis servare Kalendarium Ordinis, si parochia sit monasterio vel domui religiosae incorporata, aut monasterii seu domus curae in perpetuum vel indefinitum tempus concredita, vel communitas apud ipsam parochialem ecclesiam divina peragit Officia; secus in Missis Kalendarium dioecesanum adhibeatur.[19]

Ex dictis ergo sequitur regula generalis: In ecclesiis et oratoriis publicis ac semipublicis quoad

---

[15] *S. R. C.* 3. Febr. 1905 Ord. s. Bened. (*Eph. lit.* 1905 pg. 156.) et 11. Febr. 1910 ad 3. cit. Cf. *Eph. lit.* 1898 pg. 56. IV. et 1910 pg. 101. 266. et 361. — [16] *S. R. C.* 27. Jun. 1896 ad 17. n. 3919. Cf. *S. R. C.* 11. Febr. 1910 ad 1. cit. — [17] *S. R. C.* 29. Jul. 1904 ad 6. Ord. Fratr. Min. Angl. (*Eph. lit.* 1904 pg. 584.) — [18] *S. R. C.* 17. Jul. 1896 ad 1. 2. n. 3927. — [19] *S. R. C.* 22. Apr. 1910 Secov. (Acta Apost. Sedis 1910 pg. 296.) et *Eph. lit.* 1910 pg. 365.

Missas celebrandas adhibendum est Kalendarium dioeceseos, in qua locus ipse reperitur, nisi ipsa pertineant alicui Congregationi, cui proprium concessum est Kalendarium.

Appendix.

Ritus celebrandi Missam privatam adnotationibus (in parenthesi) illustratus.

1. Sacerdos omnibus paramentis indutus (n. **145.** ad 5.), accipit manu sinistra (ad nodum) calicem, ut (n. **145.** ad 3.) praeparatum, quem portat elevatum ante pectus (non inferius), bursam manu dextera super calicem tenens (n. **147.** ad 2.) et facta (capite cooperto) reverentia Cruci vel Imagini illi, quae in sacristia erit (n. **147.** ad 3.), capite cooperto accedit ad altare, ministro cum missali praecedente, superpelliceum induto. Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. (De reverentiis faciendis procedendo ad altare vide n. **148—152.**)

2. Quum pervenerit ad altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum ministro porrigit et (manu iterum super calicem posita) altari seu Imagini Crucifixi desuper positae profunde se inclinat. Si autem in eo sit tabernaculum ss. Sacramenti, (in plano simpliciter) genuflectens debitam facit reverentiam (n. **153.**). Tunc ascendit ad medium altaris, ubi (nulla facta inclinatione) ad cornu Evangelii (prope medium) sistit calicem, (utraque manu velum calicis super bursam reflexum demittit bursamque in medio altari collocat et dexterâ) extrahit corporale de bursa (quam itidem dexterâ, sinistrâ interim super altare positâ, erectam collocat ad candelabra versus cornu Evangelii cum apertura ad altaris medium versa, nisi forte imago in ea depicta aliam positionem exigat). Corporale (subinde ambabus manibus totaliter) extendit (n. **145.** ad 4.) in medio altaris (ita, ut fimbria ejus anterior spatio unius digiti saltem distet a fronte mensae; si corporale sit ita amplum, ut pars posterior partim tegat tabellam, haec corporali superimponi potest), et super corporale calicem (sinistrâ ad nodum acceptum, dexterâ ipsi impositâ) velo (undequaque vel saltem in anteriori parte) coopertum collocat.

3. Collocato calice in altari (junctis ante pectus manibus, absque ulla reverentia praemissa), accedit ad cornu Epistolae (vertens dum incedit latus sinistrum ad altare, quod semper in similibus casibus observabit), missale super

cussino aperit, reperit Missam et signacula suis locis accommodat. Deinde (junctis ante pectus manibus, latere dextero altari obverso, quod in similibus casibus semper observandum) rediens ad medium altaris, facta primum Cruci reverentia (per mediocrem corporis inclinationem n. **193.**) vertens se ad cornu Epistolae (i. e. dextrorsum et aliquantulum e medio recedens) descendit post infimum gradum altaris (in planum), ut ibi faciat Confessionem.

Textus	Ritus
	4. Sacerdos quum primum descenderit sub infimum gradum altaris, convertit se (sinistrorsum) ad ipsum altare, ubi stans in medio, junctis manibus ante pectus, extensis et junctis pariter digitis et pollice dextero super sinistrum posito in modum crucis, (quod semper servatur, quando junguntur manus, praeterquam post Consecrationem), detecto capite, facta prius Cruci vel altari profunda (corporis) reverentia vel, si in eo sit tabernaculum ss. Sacramenti, facta (in primo gradu simplici) genuflexione erectus incipit Missam (n. **191.** ad 1. et **200.** ad 1.).
In nomine Patris † et Filii et Spiritus Sancti. Amen.	5. Stans igitur Celebrans ante infimum gradum altaris, producens manu dextera a fronte ad pectus signum crucis, dicit intelligibili (clara) voce *In nomine Patris etc.* Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcunque in alio altari Celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi Missam suam usque in finem (n. **202.** ad 2.). Quum seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus (n. **1.** et **155.**); in aliis benedictionibus (exsequendis observa dicta n. **155.** et **156.**).

Ritus	Textus
6. Postquam dixerit *In nomine Patris* jungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam *Introibo ad altare Dei.* Minister retro post eum ad sinistram genuflexus prosequitur *Ad Deum qui laetificat etc.* Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit et prosequitur cum ministro alternatim psalmum *Judica me Deus etc.* usque ad finem cum *Gloria Patri etc.* Quo finito repetit Antiphonam *Introibo etc.* cum ministro ut supra. Qui psalmus *(Judica)* nunquam praetermittitur nisi in Missis defunctorum (de Requie) et in Missis de Tempore a Dominica Passionis inclusive usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, in quibus semel tantum dicta Antiphona *Introibo* cum ministris, ut supra, Sacerdos statim subjungit *Adjutorium nostrum etc.* ut infra. Quum in fine Psalmi dicit *Gloria Patri etc.* caput Cruci (profunde) inclinat.	S. *Introibo ad altare Dei.* M. *Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.* S. *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo et doloso erue me.* M. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* S. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* M. *Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui laetificat juventutem meam.* S. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* M. *Spera in Deo; quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.* S. *Gloria Patri et Filio etc.* S. *Introibo ad altare Dei.* M. *Ad Deum, qui laetificat juventutem meam.* S. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* M. *Qui fecit coelum et terram.* S. *Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper*
7. Repetita Antiphona *Introibo,* dextera manu producens signum crucis a fronte ad pectus (n. **156.** ad 1.) dicit *Adjutorium nostrum etc.* Deinde altari se profunde inclinans, junctis manibus dicit *Confiteor* et prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a ministro dictum sit *Misereatur tui etc.* Quum incipitur a ministro *Confiteor* se erigit. Quum (infra Confessionem) dicit *Mea culpa* ter pectus dextera manu percutit	

Textus	Ritus
Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.	(n. **172.** ad 8.), sinistra infra pectus posita.
M. *Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam.*	
S. *Amen.*	
M. *Confiteor etc. (— tibi, Pater; — te, Pater).*	
S. *Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam.*	8. Facta a (ministro) Confessione, Celebrans stans respondet *Misereatur vestri etc.* Deinde (sinistra infra pectus posita et) producens manu dextera a fronte ad pectus signum crucis, dicit *Indulgentiam etc.* (n. **156.** ad 1.). Et stans (mediocriter n. **193.**) inclinatus junctis manibus prosequitur *Deus tu conversus* et quae sequuntur clara voce usque ad Orationem *Aufer a nobis etc.*, et quum dicit *Oremus* extendit et jungit manus (n. **172.** et n. **176.**).
M. *Amen.*	
S. *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.*	
M. *Amen.*	
S. *Deus tu conversus vivificabis nos.*	
M. *Et plebs tua laetabitur in te.*	
S. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.*	
M. *Et salutare tuum da nobis.*	
S. *Domine, exaudi orationem meam.*	
M. *Et clamor meus ad te veniat.*	
S. *Dominus vobiscum.*	
M. *Et cum spiritu tuo.*	
Oremus. Aufer a nobis, quaesumus, Domine, iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.	9. Dum dicit *Aufer a nobis* Celebrans (se erigit et) junctis manibus ascendit ad medium altaris et ibi (mediocriter n. **193.**) inclinatus, manibus item junctis super eo positis, ita ut digiti parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris

Ritus	Textus
partis tabulae seu mensae altaris tangant, residuo mannum inter altare et se retento, pollice dextero super sinistrum in modum crucis posito (n. **172.** ad 3.), secreto dicit *Oramus te Domine etc.* et quum (infra hanc orationem) dicit *quorum Reliquiae hic sunt* osculatur altare (n. **163.**) in medio, manibus hinc inde (extra corporale) super eo positis (n. **172.** ad 6.).	*Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.*
10. Osculato altari (erectus manibus junctis eamdem absolvit orationem et sine reverentia Cruci facienda) accedit ad cornu sinistrum id est Epistolae, ubi stans versus altare et producens a fronte ad pectus signum crucis, incipit intelligibili (clara) voce Introitum Missae et prosequitur junctis manibus. Quum dicit *Gloria Patri etc.*, tenens junctas manus, caput (profunde) inclinat versus Crucem. Quum (subinde) repetit Introitum, non se signat ut prius, et, eo repetito, junctis manibus ante pectus accedit ad medium altaris, ubi (nulla facta reverentia) stans versus illud similiter manibus junctis dicit eadem (clara) voce ter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison* et iterum ter *Kyrie eleison* alternatim cum ministro. Si minister vel qui intersunt Celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit. (Si in lectione Introitus occurrat ss. Nomen Jesu, Mariae vel Sancti, ad ejus prolationem fiat capitis inclinatio secundum regulas n. **194.** tra-	Introitus. *Benedicta sit sancta Trinitas atque indivisa unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.* Ps. 8. *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto, sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.* *Benedicta sit etc.* (usque ad *misericordiam suam* inclusive). S. *Kyrie eleison.* M. *Kyrie eleison.* S. *Kyrie eleison.* M. *Christe eleison.* S. *Christe eleison.* M. *Christe eleison.* S. *Kyrie eleison.* M. *Kyrie eleison.* S. *Kyrie eleison.*

Textus	Ritus
Gloria in excelsis Deo: et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam: Domine Deus, Rex coelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite, Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris: Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus; Tu solus Dominus: Tu solus Altissimus, Jesu Christe; cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.	ditas, quae inclinatio tamen omittitur infra crucem faciendam. Reg. gen. 1. n. **155.**) 11. Dicto ultimo *Kyrie eleison* Sacerdos stans in medio altaris et manus extendens elevansque usque ad humeros (n. **172.** reg. gen. 2. et n. **173.**) voce praedicta (i. e. clara) incipit, si dicendum sit, *Gloria in excelsis.* Quum dicit *Deo* jungens manus (ante pectus), caput Cruci (profunde) inclinat, quo erecto, stans junctis manibus ante pectus prosequitur (eodem vocis tono) usque ad finem. Quum dicit *Adoramus te, Gratias agimus tibi* et *Jesu Christe, Suscipe deprecationem nostram* et iterum *Jesu Christe,* caput Cruci (profunde) inclinat. Quum dicit in fine *Cum Sancto Spiritu,* seipsum a fronte ad pectus signat (n. **156.** ad 1.) interim absolvens *in gloria Dei Patris Amen,* (quin manus jungat in fine. Reg. gen. 6. n. **155.**).
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*	12. Dicto Hymno *Gloria* vel, si non sit dicendus, eo omisso, (immediate post ultimum *Kyrie*) Celebrans osculatur altare in medio, manibus hinc inde super eo, ut supra, extensis, tum (erectus) illis ante pectus junctis, et demissis ad terram oculis, vertit se (e medio non discedens) a sinistro latere ad dexterum (i. e. dextrorsum) versus populum, et extendens ac jungens (linea recta) manus ante pectus, dicit voce praedicta (i. e. clara): *Dominus vobiscum,* et junctis, ut prius, manibus, revertitur

Ritus	Textus
(non iterum ad medium altaris, sed immediate) per eamdem viam (sinistrorsum in cornu Epistolae) ad librum, ubi (linea recta manus) extendens et (statim) jungens ante pectus caputque (simul) Cruci (profunde) inclinans, dicit *Oremus*, tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat, quod in omni extensione manuum ante pectus servatur (n. **172.** reg. gen. 5.). Stans autem, ut supra, extensis manibus, dicit Orationem. (De capitis inclinationibus infra Orationes vide n. **194—197.** In Orationum conclusionibus observa dicta n. **207—209.** Tempore conclusionis folia non sunt vertenda, sed conclusione finita. Reg. gen. 9. n. **172.**) Si plures Orationes sint dicendae, idem in eis in voce, extensione manuum et capitis inclinatione observatur.	*Oremus.* *Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei, aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia majestatis adorare unitatem: quaesumus; ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.*
13. Si altare sit ad Orientem versus populum, (ita ut Celebrans ante se non solum Crucem altaris sed etiam populum habeat), Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad altare, quum dicturus est *Dominus vobiscum*, *Orate fratres*, *Ite Missa est* vel daturus benedictionem, sed osculato altari in medio, ibi expansis et junctis manibus, ut supra, salutat populum et dat benedictionem (in fine).	*Oremus.* *Deus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris: et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, praesta auxilium gratiae tuae; ut in exsequendis mandatis tuis, et voluntate tibi et actione placeamus. Per Dominum.*

Textus	Ritus
Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Romanos. *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula. Amen.* ℟. *Deo gratias.* Graduale. *Benedictus es, Domine, qui intueris abyssos, et sedes super Cherubim.* ℣. *Benedictus es, Domine, in firmamento coeli, et laudabilis in saecula.* *Alleluja, alleluja.* ℣. *Benedictus es, Domine, Deus patrum nostrorum, et laudabilis in saecula. Alleluja.*	14. Dictis Orationibus, Celebrans positis super librum vel super altare (vel legile) manibus ita, ut palmae librum (aliquo modo, saltem ex parte pollicis) tangant, vel, ut placuerit, librum tenens, legit Epistolam intelligibili voce, (in cujus fine vocem aliquantulum inflectendo caputque paululum ad ministrum convertendo, huic dat signum), et respondetur a ministro *Deo gratias.* (Si plures legendae sint Epistolae, post unamquamque respondendum est *Deo gratias*, nisi aliter notetur, quod, nisi respondeatur a ministro, suppleatur a Celebrante.) Et similiter stans eodem modo (eadem voce eademque manuum positione) prosequitur Graduale, *Alleluja* et Tractum ac Sequentiam, si dicenda sint. (Si infra Epistolam, praeterquam in titulo ejus, et in immediate sequentibus occurrant nomina inclinationem exigentia, observentur dicta n. **194—197.** inclusive; si sit genuflectendum, palmis super altare ita extensis, ut missale in medio sit, unicum genu flectit, quin caput demittat.) 15. Epistola cum reliquis recitata, Celebrans more solito (vide supra ad 3.) accedit ad medium altaris ibique stans junctis manibus ante pectus levatisque ad Deum (Crucifixum) oculis et statim demissis (n. **157.** et **158.**), tum profunde inclinatus (manibus altari non impositis) dicit se-

Ritus	Textus
creto *Munda cor etc.* et *Jube Domine etc., Dominus sit in corde meo etc.* (Si qua de causa Celebrans ipse missale ad cornu Evangelii transferre debeat, transiens ante medium caput profunde inclinat [n. **195.** ad 5.] et missali in loco suo posito redit in medium dicturus *Munda cor* ut supra). Quibus dictis vadit ad librum missalis (in cornu Evangelii), ubi stans (oblique i. e. per suam sinistram parum conversus ad populum, quod observandum est etiam in legenda Passione) versus librum (etiam oblique positum), junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce *Dominus vobiscum.* Deinde pollice dexterae manus signo crucis signat librum et seipsum (n. **156.**). Tum (dicto a ministro *Gloria tibi Domine*) junctis iterum manibus ante pectus, stans, ut supra, prosequitur (clara voce) Evangelium usque ad finem. Quo finito elevans (utraque manu) parumper librum (sine cussino vel pulpito, caput paulum inclinans) osculatur principium Evangelii, dicens *Per evangelica dicta* (et librum reponens prosequitur *deleantur nostra delicta*). Quum infra Evangelium nominatur Jesus caput versus librum (profunde) inclinat; et eodem modo versus librum genuflectit, quum in Evangelio est genuflectendum. (Lecto Evangelio conversus ad medium altaris, ambabus manibus cussinum vel pulpitum	Ante Evangelium: *Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* *Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis: ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.* *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* † *Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum.* *In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* *Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.*

Textus	Ritus
Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in coelum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria, judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum et vitam venturi saeculi. Amen.	cum missali prope corporale ita reponit, ut postea commode ex eo legere possit et junctis manibus accedit ad medium altaris, ubi caput non inclinat). 16. Dicto Evangelio, stans in medio altaris versus Crucem, elevans et extendens manus (uti ad Gloria), incipit (clara voce), si dicendum sit, *Credo.* Quum dicit *in unum Deum,* jungit manus (ante pectus) et caput Cruci (profunde) inclinat; quo erecto stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem. Quum dicit *Jesum Christum* caput (profunde) inclinat. Quum dicit *Et incarnatus est* usque ad *Et homo factus est* inclusive, (simpliciter et lente n. **199.** ad 3.) genuflectit. Quum dicit *Simul adoratur* caput Cruci (profunde) inclinat. Quum dicit *Et vitam venturi etc.* (sinistra infra pectus posita) producit sibi manu dextera signum crucis (n. **156.** ad 1.) a fronte ad pectus, (ad *Amen* autem manus non jungit n. **155.** reg. gen. 6.). 17. Dicto Symbolo, vel, si non sit dicendum, (immediate) post Evangelium Celebrans osculatur altare in medio (manibus hinc inde extensis extra corporale, et totaliter erectus) junctis manibus ante pectus ibidem (e medio minime discedens) a manu sinistra ad dexteram, ut supra, vertit se ad populum et extendens ac jungens manus (oculis demissis, clara voce) dicit *Do-*

Ritus	Textus
minus vobiscum, et junctis manibus revertitur per eamdem viam ad medium altaris, ubi extendens et (linea recta) jungens manus caputque (profunde) inclinans, dicit *Oremus:* tum junctis, ut prius, manibus, dicit (clara voce) Offertorium, et omnia, quae usque ad finem Missae in medio altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus altare, nisi ubi aliter ordinatur.	*Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Offertorium. *Oremus. Benedictus sit Deus Pater, Unigenitusque Dei Filius, Sanctus quoque Spiritus; quia fecit nobiscum misericordiam suam.*
18. Dicto Offertorio (velum calicis utraque manu ad extremitates posteriores apprehendens) discooperit calicem (et velum extra corporale in tres partes ita plicat, ut pars exterior pulcheriorque sola appareat, et plicatum ad dexteram prope corporale deponit, ut in decursu Missae possit palla super illud deponi et facilius accipi). Calicem detectum (manu sinistra super altare extra corporale posita, manu dextera ad nodum apprehensum) ad cornu Epistolae (extra corporale) sistit (ante velum plicatum in ea circa distantia, quantum brachium extendere potest, ac pollice et indice manus dexterae) amovet parvam pallam desuper hostiam (deponitque super velum calicis plicatum) et (sinistram super altare positam retinens, pollice, indice et medio digito manus dexterae) accipit patenam cum hostia (eamque ad medium altaris ante pectus allatam etiam sinistra acceptam ita) ambabus manibus usque ad pectus super corpo-	

Textus	Ritus
Suscipe, sancte Pater omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo, vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.	rale sustinet, (ut pollices utriusque manus sint subtus anteriorem, index et medius digitus utriusque manus autem subtus posteriorem partem patenae, reliquis digitis et palma utriusque manus junctis). Sic patenam sustinens, oculis ad Deum (Crucem) elevatis, secreta voce dicit *Suscipe Sancte Pater omnipotens aeterne Deus* (et statim oculis demissis in hostiam super patena prosequitur *hanc immaculatam hostiam etc*). Quo dicto, patenam utraque manu tenens (demittit prope corporale et, quin illud tangat) cum ea facit signum crucis super corporale (ante calicem) et (patenam ex parte remotiori paulum declinans) deponit hostiam circa medium anterioris partis corporalis (ubi praefatum signum crucis fecit) ante se, et (sinistra extra corporale posita) patenam ad manum dexteram aliquantulum subtus corporale. 19. Deinde (absque praemissa inclinatione capitis, manibus ante pectus junctis, vadit) in cornu Epistolae, accipit (manu sinistra ad nodum) calicem, purificatorio extergit (uti n. **86.** ad 2. pro Subdiacono dictum est), et (calice posito super altare) sinistra (adhuc) tenens illius nodum (ita ut ex ejus pollice purificatorium in duas partes aequales plicatum pendeat ad ipsius calicis pedem) accipit (dextera) ampullam vini de manu ministri et (in decenti

Ritus	Textus
quantitate) ponit vinum in calicem. Deinde (reddita ampulla vini ministro) eodem modo tenens calicem, producit signum crucis super ampullam aquae et dicit *Deus qui humanae etc.* et infundens parum (tres vel quatuor guttas) aquae in calice prosequitur *da nobis per hujus aquae etc.* (Quam orationem dum prosequitur, purificatorio indicem dexterum obvolvit eumque intra cuppam circumducendo guttas intra calicem forte dispersas abstergit, sinistra nodum calicis tenente. Dum dicit *Jesus Christus* caput versus Crucem profunde inclinat. Tandem purificatorium in duas partes aequales plicatum deponit juxta corporale super patenae partem corporali non coopertam.)	
20. Imposita aqua in calice et finita oratione praedicta (et admoto calice prope corporale, si nimium distet a medio altaris, more solito accedit ad medium, ubi sinistra super altare posita) accipit manu dextera (ad nodum) calicem discoopertum (eumque supra medium corporalis ante faciem allatum etiam sinistra sic apprehendit, ut pollex sit supra, reliqui digiti infra pedem) et stans ipsum ambabus manibus elevatum tenens (super locum, ubi postea in corporali deponendus est et cavens, ne cuppa ejus oculos excedat nec infra mentum deprimatur) intentis in Deum (Crucem per totam orationem) oculis offert,	*Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquae et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.*

Textus	Ritus
Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu divinae majestatis tuae pro nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.	(secreto) dicens *Offerimus tibi etc.* Qua Oratione dicta (demittit oculos et calicem), facit signum crucis cum calice (in aliqua distantia) super corporale (ambabus manibus, ut supra, adhuc illum tenens), et ipsum (aliquot digitorum spatio) post hostiam (ambabus manibus) collocat et palla cooperit (indice et medio digito sinistrae super pedem calicis retentis). Deinde junctis manibus super altare positis (n. **172.** reg. gen. 3.), aliquantulum (i. e. humerorum inclinatione) inclinatus dicit secreto *In spiritu humilitatis etc.* Postea erectus, elevans oculos (ad Crucem), manusque expandens easque in altum porrectas statim jungens ante pectus (secreto) dicit *Veni sanctificator etc.* Quum dicit *et benedic* signat manu dextera communiter (n. **156.** ad 2.) super hostiam et calicem, sinistra posita super altare (extra corporale).
In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.	
Veni, Sanctificator, omnipotens aeterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.	
	21. Tum junctis ante pectus manibus (absque praevia inclinatione) accedit ad cornu Epistolae, ubi stans (in suppedaneo latere sinistro ad altare converso), ministro aquam fundente, lavat extremitates digitorum pollicis et indicis (interim secreto) dicens psalmum *Lavabo etc.* cum *Gloria Patri etc.* Qui versus *Gloria Patri* praetermittitur in Missis Defunctorum et in Missis de Tempore a Dominica de Passione usque ad Sabbatum Sanctum inclusive. Lotis manibus
Ps. 25. *Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine.*	
Ut audiam vocem laudis et enarrem universa mirabilia tua.	
Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.	
Ne perdas cum impiis Deus animam meam et cum viris sanguinum vitam meam:	

Ritus	Textus
eas (linteo) tergit (et tunc vertit se ad altaris cornu et prosequitur psalmum usque ad finem i. e. usque ad *sicut erat in principio etc.* inclusive.) 22. Celebrans lotis (et tersis) manibus et illis ante pectus junctis, revertitur ad medium altaris, ubi (nulla facta reverentia) stans oculosque ad Deum (Crucem) elevans et statim demittens (n. **158.** ad 4.) manibus junctis super altare (n. **172.** reg. gen. 3.), aliquantulum (corpore mediocriter) inclinatus (n. **193.**) dicit secreto Orationem *Suscipe sancta Trinitas etc.* (infra quam omittuntur inclinationes ad nomina ibi occurrentia n. **189.** ad 2.). Qua dicta, (quin se erigat), manibus hinc inde extensis et super altare (extra corporale) positis, osculatur illud in medio (n. **163.**). Tum (totaliter erectus) junctis manibus ante pectus demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dexteram (i. e. dextrorsum) vertit se ad populum (quin e medio discedat) et extendens et jungens (n. **176.**) manus dicit voce aliquantulum elata (media) *Orate Fratres*, et secreto prosequens *ut meum ac vestrum sacrificium etc.* (quin subsistat conversus ad populum) perficit circulum, revertens, junctis manibus ante pectus, a manu dextera ad medium altaris. Et responso a ministro (vel, eo deficiente, a Celebrante ipso) *Suscipiat etc.* submissa voce dicit *Amen.* Et manibus	*In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.* *Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.* *Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.* *Gloria Patri et Filio et Spiritus Sancto.* *Sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.* *Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi, Domini nostri: et in honorem beatae Mariae semper Virginis et beati Joannis Baptistae et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et istorum et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.* *Orate Fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* ℟. *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.* Secreta. *Sanctifica, quaesumus, Domine Deus noster, per tui sancti*

Textus	Ritus
Nominis invocationem, hujus oblationis hostiam; et per eam nosmetipsos tibi perfice munus aeternum. Per Dominum.	ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio altaris versus librum dicit (voce secreta) absolute sine *Oremus* Orationem vel Orationes secretas (n. **205.** ad 12. et **210.** ad 2.).
Pro Dominica. Secreta.	
Hostias nostras, quaesumus Domine, tibi dicatas placatus assume: et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum, nostrum Jesum Christum, Filium Tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritui Sancti Deus	23. Perventus in conclusione ultimae Secretae ad verba *Per omnia saecula saeculorum* exclusive (morula interposita ad quaerendam Praefationem, vertit folia n. **172.** reg. gen. 9.) stans in medio altaris depositis super eo (extra corporale) hinc inde manibus extensis, dicit convenienti et intelligibili (clara) voce Praefationem (incipiens cum praefata conclusione). Quum dicit *Sursum corda* elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus (n. **175.**), ita ut palma unius manus respiciat alteram. Quum dicit *Gratias agamus Domino* jungit manus (linea recta) ante pectus. Quum dicit *Deo nostro* oculos elevat et statim Cruci caput (profunde) inclinat. Responso *Dignum et justum est* elevatis et extensis ut prius manibus prosequitur Praefationem (non omittens debitas inclinationes ad nomina Jesu et Mariae occurrentia n. **195.** et **196.**). Quum dicit *Sanctus* junctis ante pectus manibus (sed non altari impositis et corpore mediocriter inclinatus n. **193.**) voce mediocri (n. **168.**) prosequitur (Trisagion). Quum dicit *Benedictus etc.* erigit se et (manu sinistra infra pectus posita) signum crucis sibi pro-
Per omnia saecula saeculorum. ℟. *Amen.*	
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.*	
℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.*	
℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est.*	
Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Qui cum unigenito Filio tuo et Spiritu Sancto unus es Deus, unus es Dominus: non in unius singularitate personae, sed in unius Trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria, revelante te credimus . . .	
Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.	

Ritus	Textus
ducit a fronte ad pectus (n. **156.** ad 1.). 24. Finita Praefatione (factoque signo crucis, manus non jungit, sed dextera super altare extra corporale posita, sinistra aperit folium Canonis, deinde erectus) stans ante medium altaris manus (ante pectus jungit), extendit et aliquantulum (usque ad humeros) elevat, oculisque elevatis ad Deum et sine mora devote demissis, ac manibus junctis et super altare positis (n. **172.** reg. gen. 3.), (corpore) profunde inclinatus incipit Canonem, secreto dicens *Te igitur etc.* (Post verba *rogamus ac petimus* manus disjunctas ponit super altare, quod osculatur in medio, deinde erigens se) dicit *uti accepta habeas et bene† dicas* et stat junctis manibus ante pectus. Quum dicit *haec † dona, haec † munera, haec † sancta sacrificia* (sinistra extra corporale posita) dextera manu signat ter communiter super hostiam et calicem (n. **156.** ad 2.). Deinde extensis manibus ante pectus prosequitur *In primis etc.* Ubi dicit *una cum famulo tuo Papa nostro N.* exprimit nomen Papae (viventis cum minima capitis inclinatione versus librum), sede autem vacante praedicta verba omittuntur. Ubi dicitur *Et Antistite nostro N.* specificatur nomen Episcopi ordinarii (n. **197.** not. 24.) in propria dioecesi. (In imperio austriaco ex speciali indulto post Episcopum dioe-	*Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas haec † dona, haec † munera, haec † sancta sacrificia illibata — in primis, quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum: una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N. (et Imperatore nostro N. N.) et omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.*

Textus	Ritus
Commemoratio pro vivis. *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N. — et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae, tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.*	cesanum nominandus est etiam Imperator verbis *Et Imperatore nostro N. N.*) 25. Quum dicit *Memento Domine etc.* (quin manus prius junxerit) elevans et jungens manus usque ad faciem (quin eam tangat) vel pectus (n. **174.**) sic junctis manibus stat paulisper in quiete (spatio circiter unius Pater noster), demisso aliquantulum capite faciens commemorationem vivorum Christi fidelium ad suam voluntatem (n. **131.**).
Infra Actionem. *Communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper Virginis Mariae, Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi; sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.* *Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, Domine, ut placatus accipias, dies-*	26. Commemoratione vivorum facta, demissis et extensis, ut prius, manibus (erectoque capite), continuat *et omnium circumstantium quorum etc.* Similiter stans prosequitur *Communicantes.* Quum dicit (nomen Mariae caput mediocriter inclinat versus librum, deinde, quin caput elevet, conversus ad Crucem ad verba) *Jesu Christi* caput Cruci (profundius) inclinat, (ad nomen Sancti, cujus agitur Festum vel fit commemoratio caput inclinat ad librum, vel ad statuam aut imaginem, quae in principali loco altaris habetur. Cf. n. **194.** reg. spec. 2. et n. **197.**) Quando dicit *Per eumdem* jungit manus. (Si Missa habeat proprium *Communicantes*, omittitur illud, quod est in Canone, et dicitur proprium, quod assignatur post respectivam Praefationem.) 27. Quum incipit *Hanc igitur* expandit manus simul super Oblata, ita ut palmae sint apertae versus ac super ca-

Ritus	Textus
licem et hostiam (extremitate digitorum pertingente ad medium circiter pallae, quin eam tangat, juncto utroque indice ex parte eorum laterali et pollice dextero superimposito sinistro in modum crucis). Sic tenet manus (cubitos interim non in altum elevans), usque ad verba *Per Christum Dominum nostrum* exclusive. Tunc enim jungit manus (ad pectus eas retrahens) et prosequitur *Quam oblationem etc.*; et quum dicit *bene † dictam, adscri † ptam, ra † tam* (sinistra super altare extra corporale posita) communiter (n. **156.** ad 2.) signat ter super hostiam et calicem simul. Deinde (prompte subjungens verba *rationabilem acceptabilemque facere digneris*, sinistra super altari retenta, dexteram lente retrahit versus pectus super hostiam) quum dicit *ut nobis Cor † pus* separatim signat semel super hostiam tantum; et quum dicit *et San † guis* semel super calicem tantum. Deinde elevans et jungens manus ante pectus (n. **174.**) prosequitur *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi* (ad duo ultima verba profunde) inclinans caput Cruci.	*que nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quaesumus, bene † dictam, adscri † ptam, ra † tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis Cor † pus et San † guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.*
28. Dum dicit secreto, ut prius, *Qui pridie quam pateretur*, extergit (leviter ad oram corporalis hinc inde) extremitatem utriusque pollicis et indicis, et prosequens *accepit panem etc.* (hostiam ex parte sinistra leviter premens, ut eam ex parte altera paululum	*Qui pridie, quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens bene † dixit, fregit deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes.*

Textus	Ritus
	elevatam commodius apprehendat, id quod semper observatur, quoties Hostia prae manibus accipienda est) accipit pollice et indice dexterae manus hostiam et eam cum illis ac indice et pollice sinistrae manus (reliquis digitis utriusque manus extensis et junctis) tenens (ad inferiorem oram super corporale aliquantulum erectam) elevansque ad coelum oculos et statim demittens dicit *et elevatis oculis etc.*, caputque aliquantulum (id est profunde) inclinans dicit *tibi gratias agens* et tenens Hostiam inter pollicem et indicem sinistrae manus, dextera producit signum crucis super eam dicens *bene † dixit* (et iterum eam tenens ambabus manibus, ut antea, prosequitur) *fregit deditque discipulis suis etc.*
Hoc est enim Corpus meum.	29. Quum autem finierit haec verba, cubitis super altare positis (quin corporale manibus tangat) stans capite inclinato, distincte, reverenter et secreto profert verba consecrationis (n. **170.**) *Hoc est enim Corpus meum* super hostiam. Quibus prolatis (totaliter se erigit) tenens Hostiam inter pollices et indices super altare, reliquis manuum digitis extensis et simul junctis, (simpliciter) genuflexus eam adorat (manibus Hostiam tenentibus interim super anteriorem corporalis limbum positis). Tunc se erigens, intentis in Hostiam oculis, illam recta linea super corporale in altum sic elevat,

Ritus	Textus
ut ea a populo conspici et adorari possit; et mox ipsam per eamdem viam ad corporale demittit et sola manu dextera reverenter reponit in eodem loco, unde eam levavit et deinceps pollices et indices non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere vel tractare debet usque ad ablutionem digitorum post Communionem. Reposita Hostia super corporale, (simpliciter) genuflexus ipsam veneratur.	
30. Adorato Sacramento surgit et (digitis tribus ultimis sinistrae manus pedi Calicis superpositis, ne evertatur) discooperit Calicem, in quem (fricando super labium) extergit digitos, interim dicens *Simili modo postquam coenatum etc.* Deinde ambabus manibus (inter indices pollicibus junctos et reliquos digitos) accipiens Calicem juxta nodum infra cuppam et aliquantulum (quatuor circiter digitorum spatio ab altari) illum elevans et statim deponens dicit *accipiens et hunc praeclarum calicem etc.* Quum dicit *item tibi gratias agens* caput (profunde) inclinat; quum dicit *bene † dixit* sinistra Calicem infra cuppam tenens, dextera signat super eum; et prosequens *deditque discipulis suis etc.* ambabus manibus tenet calicem (a corporali parum elevatum) videlicet sinistra pedem (ita ut index et pollex juncti sint supra, reliqui digiti infra pedem calicis) dextera nodum infra cuppam.	*Simili modo, postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens bene † dixit deditque discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes.* *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* *Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Textus	Ritus
	Post verba *bibite ex eo omnes* cubitis super altare positis et capite inclinato, (statim) profert attente, continuate et secreto (n. **170.**) verba consecrationis Sanguinis *Hic est enim Calix etc.* usque ad *remissionem peccatorum* inclusive. Quibus dictis, reponit Calicem super corporale dicens secreto *Haec quotiescunque feceritis etc.* (simpliciter) genuflexus Sanguinem reverenter adorat. Tum se erigit et accipiens Calicem discoopertum ambabus manibus, ut prius (i. e. sinistra ad pedem, dextera ad nodum), elevat eum (linea recta super corporale, ita ut a populo conspici et adorari possit), oculis interim intentis in Calicem elevatum. Mox (eadem linea recta) ipsum reverenter reponit super corporale in locum pristinum (cavendo, ne manipulo Hostiam tangat), et manu (sinistra super pedem Calicis posita) dextera palla (intra indicem pollici junctum et reliquos digitos dexterae manus acceptâ) cooperit ac (manibus super corporale extensis) simpliciter genuflexus Sacramentum veneratur.
Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in coelis gloriosae ascensionis: offerimus praeclarae majestati tuae de tuis donis ac datis Hostiam † puram, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam, Panem † sanctum vitae aeternae et Calicem † salutis perpetuae.	31. Reposito Calice et adorato, stans ante (medium) altaris, extensis manibus ante pectus (n. **172.** reg. gen. 5.) dicit secreto *Unde et memores etc.* Quum dicit *de tuis donis ac datis*, jungit manus ante pectus; et quum dicit *Hostiam † puram, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam*, manu sinistra posita super altare

Ritus	Textus
intra corporale, dextera signat ter communiter super Hostiam et Calicem et semel super Hostiam tantum et semel super Calicem tantum dicens *Panem † sanctum vitae aeternae et Calicem † salutis perpetuae;* deinde stans, ut prius, extensis manibus prosequitur *Supra quae propitio etc.* Quum dicit *Supplices te rogamus etc.* (profunde) se inclinat ante medium altaris, manibus junctis super illo positis (n. **172.** reg. gen. 3.). Quum dicit *ex hac altaris participatione* (antequam haec verba pronuntiet) osculatur (in medio ante Hostiam) altare (n. **163.** reg. 1—3) manibus hinc inde super corporale positis (statimque se erigit). Quum dicit *sacrosanctum Filii tui* jungit manus et dextera signans semel super Hostiam et semel super Calicem, sinistra super corporale posita, dicit *Cor † pus et San † guinem sumpserimus* et cum dicit *omni benedictione † coelesti et gratia repleamur* seipsum signat a fronte ad pectus (n. **156.** ad 1.), sinistra posita infra pectus. Quum dicit *Per eumdem* jungit manus (ante pectus).	*Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* *Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae majestatis tuae, ut quotquot ex hoc altaris participatione sacrosanctum Filii tui Cor † pus et San † guinem sumpserimus omni benedictione coelesti et gratia repleamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.*
32. Quum dicit *Memento Domine famulorum famularumque tuarum etc.* extensis et junctis manibus ante pectus (et dein) usque ad faciem elevatis (n **176.** ad 4.) et intentis oculis ad Sacramentum super altare, facit commemorationem fidelium defunctorum eodem modo ut dictum est de commemoratione vivorum (aliquantulum	Commemoratio pro defunctis. *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N., qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis.* *Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.*

Textus	Ritus
Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus: cum Joanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitur admitte. Per Christum Dominum nostrum.	orans pro eis n. **131.** ad 4.). Qua commemoratione facta, stans ut prius (demissis et) extensis manibus prosequitur *Ipsis Domine etc.* et in fine ad *Per eumdem Christum* jungit manus et caput (profunde) inclinat.
Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis et praestas nobis.	33. Quum dicit *Nobis quoque peccatoribus* (haec tria praecise verba), vocem aliquantulum elevat (n. **168.**) et dextera manu pectus sibi percutit (n. **172.** reg. gen. 8.) sinistra posita super corporale et prosequitur secreto *famulis tuis etc.* stans manibus extensis ut prius. (Ad nomina Sanctorum in hac Oratione occurrentia caput inclinat sicut n. **197.** ad 1. dictum est). Quum dicit *Per Christum Dominum nostrum* manus jungit ante pectus (easque junctas tenet usque ad *Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas* inclusive), deinde (sinistra super corporale posita) manu dextera ter signans communiter super Hostiam et Calicem dicit *sancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis et praestas nobis.* Postea (sinistra super pedem Calicis posita) manu dextera discooperit Calicem et (simpliciter) genuflexus (manibus super corporale de more extensis) Sacramentum adorat. Tum se erigit et reverenter accipit (ut supra ad 28. dictum est) Hostiam inter pollicem et indicem dexterae manus, et cum ea super Calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter a labio ad labium (quin ipsum Hostia tangat) di-

Ritus	Textus
cens *Per † ipsum et cum † ipso et in † ipso.* Et similiter cum Hostia signat bis inter Calicem et pectus, incipiens a labio Calicis (Hostiam non demittendo versus corporale) interim dicens *est tibi Deo Pa † tri omnipotenti in unitate Spiritus † Sancti.* Deinde tenens manu dextera Hostiam super Calicem, sinistra Calicem (ad nodum), elevat eum aliquantulum (non ultra palmae altitudinem) simul cum Hostia (secreto) dicens *omnis honor et gloria*, et statim utrumque deponens, Hostiam collocat super corporale et digitos (fricando super Calicem) extergit, ut supra; ac pollices et indices ut prius jungens, Calicem palla cooperit et (simpliciter) genuflexus Sacramentum adorat.	*Per ip † sum et cum ip † so et in ip † so est tibi Deo Patri † omnipotenti, in unitate Spiritus † Sancti omnis honor et gloria.*
34. Cooperto Calice adoratoque Sacramento erigit se et manibus (adhuc ex genuflexione) extensis hinc inde super altare intra corporale positis, dicit intelligibili (clara) voce *Per omnia saecula saeculorum* et (responso a ministro *Amen*) quum dicit *Oremus* jungit (ante pectus) manus caput (profunde) inclinans. Quum incipit *Pater noster* extendit manus (uti ad Orationes) et, stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem. Responso a ministro *Sed libera nos a malo* et a Celebrante submissa voce *Amen*, manu dextera, pollice et indice non disjunctis (reliquis digitis purificatorio patenae	*Per omnia saecula saeculorum.* ℟. *Amen.* *Oremus.* *Pater noster, qui es in coelis, sanctificetur . . . . . Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo. Amen.*

Textus	Ritus
	imposito applicitis) patenam aliquantulum (in parte concava) purificatorio extergit eamque (purificatorio paulum a corporali remoto) accipit inter indicem (pollici junctum) et medium digitum (dexterae manus) ac super altare (extra corporale, concava ejus parte ad medium altaris conversa) erectam tenens, sinistra super corporale posita, dicit secreto *Libera nos etc.*
Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris; et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea et omnibus Sanctis — da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccatis simus semper liberi et ab omni perturbatione securi.	35. Antequam dicat *Da propitius pacem* (sinistra infra pectus posita) dextera manu elevat patenam de altari et seipsum cum ea signat signo crucis, dicens *Da propitius pacem in diebus nostris* (n. **156.** ad 1.). Deinde patenam ipsam osculatur (n. **165.**) et prosequens *ut ope misericordiae tuae etc.* (indice sinistro hinc premens Hostiam et illinc ei paulum elevatae) submittit patenam Hostiae, quam indice sinistro accommodat super patenam (illamque utraque manu ad pedem Calicis in ora collocat), discooperit Calicem et (simpliciter) genuflexus Sacramentum adorat. Tum se erigit (sinistro indice ad oram superiorem patenae deducit et in extremitate superiori) accipit Hostiam inter pollicem et indicem dexterae manus et cum illis ac pollice et indice sinistrae manus super Calicem tenens reverenter frangit per medium, interim dicens *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum* (caput profunde inclinans) *Filium tuum,*
Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum,	

Ritus	Textus
et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dexterum tenet, ponit super patenam; et prosequens *Qui tecum vivit et regnat* de alia media, quam sinistra manu (adhuc super Calicem) tenet, frangit cum pollice et indice dexterae manus particulam (ex ejus inferiori parte), et eam inter ipsos dexterae manus pollicem et indicem retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit mediae Hostiae super patenam positae, interim dicens *in unitate Spiritus Sancti Deus;* et particulam Hostiae, quam in dextera retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili (clara) voce dicit *Per omnia saecula saeculorum* ℟. *Amen* et cum ipsa particula signat ter a labio ad labium Calicis (quin eum tangat) dicens *Pax † Domini sit † semper vobis † cum.* Responso per ministrum *Et cum spiritu tuo* particulam, quam dextera manu tenet, immittit in Calicem dicens secreto *Haec commixtio etc.* (caput profunde inclinans ad *Jesu Christi.* Si particula sacra e manibus decidat ante immissionem in Calicem, aliam frangat et more solito in Calicem mittat). Deinde pollices et indices super Calicem aliquantulum tergit et jungit, Calicem palla cooperit et (simpliciter) genuflexus Sacramentum adorat, surgit et stans junctis ante pectus manibus (altare non tangentibus) capite (pro-	*Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.* *Per omnia saecula saeculorum.* ℟. *Amen.* *Pax † Domini sit † semper vobis † cum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.*

Textus	Ritus
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis. *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.* *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: dona nobis pacem.*	funde) inclinato versus Sacramentum, dicit intelligibili voce *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, et dextera percutiens sibi pectus (n. **172.** reg. gen. 8.) sinistra super corporale posita dicit *miserere nobis* et deinde non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, quum dicit secundo *miserere nobis*, quod et tertio facit, quum dicit dona nobis pacem (n. **182.** et **185.**).
Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris: qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen. *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas, qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.*	36. Tunc manibus junctis supra altare positis (n. **172.** reg. gen. 3.) oculisque ad Sacramentum intentis, (mediocriter) inclinatus dicit secreto tres Orationes ante Communionem: *Domine Jesu Christe, qui dixisti etc. Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi etc. Perceptio Corporis tui etc.* Quibus dictis (se erigit et simpliciter) genuflectens Sacramentum adorat et statim surgens dicit secreto *Panem coelestem accipiam et nomen Domini invocabo.* Quo dicto (indice sinistro ambas s. Hostiae partes adducit ad superiorem patenae oram easque) manu dextera accipit (in superiori parte) de patena et collocat inter pollicem et indicem sinistrae manus (ita conjunctas, ut rotundam Hostiae figuram servent). Deinde dextera patenam inter eumdem indicem et medium (inserit et Hostiae) supponit et eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super patenam (quatuor circiter digitis a corporali elevatam) inter pectus et Calicem, pa-

Ritus	Textus
rum (i. e. mediocriter) inclinatus, (sinistro cubito altari non imposito) dextera tribus vicibus percutit pectus suum (n. **172.** reg. gen. 8.), interim tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata (n. **168.**) *Domine non sum dignus* et secreto prosequitur *ut intres etc.* Quibus tertio dictis (se erigit ac pollice et indice dextero partem Hostiae dexteram sinistrae imponit) ex sinistra ambas partes praedictas Hostiae accipit (prope inferiorem apicem) inter pollicem et indicem dexterae manus et cum illa supra patenam (in sinistra retentam et a corporali paulum elevatam) signat seipsum signo crucis, ita tamen, ut Hostia non egrediatur limites patenae, (secreto) dicens *Corpus Domini nostri etc.* usque ad *Amen* inclusive, ad *Jesu Christi* caput profunde inclinans. Deinde mediocriter inclinatus, cubitis super altare positis, reverenter easdem ambas partes (patenam iis supponendo, simul) sumit. Quibus sumptis, deponit ut antea patenam super pedem Calicis (et super illam, si opus sit, manus extergit) et erigens se, junctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit (n. **172.** reg. gen. 4.) et aliquantulum (per spatium unius Pater noster) quiescit in meditatione ss. Sacramenti. Deinde depositis manibus dicit secreto *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mi-*	*Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam: qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.* *Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.* *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.* *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.* *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?*

Textus	Ritus
	hi? et interim (manu sinistra super pedem Calicis posita, dextera) discooperit Calicem, genuflectit manibus super corporale extensis), surgit, accipit (dextera) patenam, inspicit corporale et colligit fragmenta (ducendo ter quaterque patenam supra corporale, ubi Hosta jacuit, ac etiam, si opus sit, corporale e parte sinistra anteriori paululum elevando). Patenam quoque (in sinistram e parte, in qua fragmenta collecta non sunt, translatam et super os Calicis sustentam) diligenter cum pollice et indice dexterae manus extergit et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat. (Si Hostia consecrata in Calicem delapsa sit, Celebrans, quin aliquid reiteret quoad Consecrationem, Missam prosequatur, faciendo caeremonias et signa consueta cum residua parte Hostiae, quae non est madefacta, si commode potest. Si vero tota est madefacta, non est extrahenda, sed omnia, ut *Per ipsum, Pax Domini, Domine non sum dignus,* dicenda sunt omittendo signa, et Celebrans pariter Corpus et Sanguinem sumere debet, se signans cum calice et dicens *Corpus et Sanguis Domini n. J. Chr. custodiant etc.* omittendo meditationem alias post sumptionem s. Hostiae praeceptam.) 37. Post extersionem patenae, junctis pollicibus et indicibus, Calicem dextera manu infra nodum accipit, sinistra

Ritus	Textus
patenam, dicens *Calicem salutaris accipiam etc.* et signans se signo crucis cum Calice dicit *Sanguis Domini nostri etc.* (caput ad nomen *Jesu Christi* profunde inclinat) et manu sinistra supponens patenam Calici (id est subtus mentum) stans reverenter sumit totum Sanguinem cum particula in Calice posita. Quibus sumptis, (absque meditatione interposita) dicit secreto *Quod ore sumpsimus etc.* et (interim) super altare porrigit Calicem ministro (stanti) in cornu Epistolae (sinistra cum patena interim super corporale posita), quo (ministro) vinum fundente se purificat (circumagendo nempe vinum in calice, ut dispersae in eo colligantur Species et, sinistra patenam sub mento sustinente, vinum sumendo per eamdem calicis partem, per quam sumpserat ss. Sanguinem), deinde (patena super corporale posita, accipiens ambabus manibus calicem ad cuppam, indices autem et pollices super os calicis tenens, se confert ad cornu Epistolae, ubi calicem tenens super altare) vino et aqua (hac in majori quantitate) abluit pollices et indices super calicem (et etiam alios digitos, si forte ss. Hostiam tetigerint), quos (calice prope corporale posito) abstergit purificatorio, interim (i. e. sub ablutione et abstersione) dicens *Corpus tuum Domine etc.* (Reversus subinde ad medium altaris sine reve-	*Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.* *Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.* *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.* *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.*

Textus	Ritus
	rentia, dextera manu ad nodum accipit calicem in parte Epistolae relictum et purificatorium manu sinistra mento supponens, ut prius purificationem, sic nunc) ablutionem sumit et (calice super corporale posito) extergit os et calicem purificatorio (uti de Subdiacono n. **88.** ad 2. dictum est). Quo facto purificatorium extendit super calicem et desuper (sinistra) patenam ac (dextera) super patenam parvam pallam ponit; et (sinistrâ calice extra corporale versus cornu Evangelii collocato) plicato (n. **145.** ad 4.) corporali, quod reponit in bursam, cooperit calicem velo et bursam desuper ponit et (calicem sinistra ad nodum apprehensum, dextera super bursam posita) collocat in medio altaris (ita, ut pars anterior velo sit totaliter cooperta) ut in principio Missae.
Communio. *Benedicimus Deum coeli, et coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.*	38. Deinde Celebrans (absque reverentia in medio facienda junctis ante pectus manibus accedit ad cornu Epistolae et ibi) stans junctis manibus legit (clara voce) Antiphonam, quae dicitur Communio; qua lecta, junctis itidem manibus ante pectus, vadit ad medium altaris et eo osculato vertit se ad populum a manu sinistra ad dexteram (i. e. dextrorsum se volvens, quin e medio discedat) et dicit *Dominus vobiscum* (ut supra ad **12.**) et per eamdem viam redit ad librum, dicit Orationes post Communionem eo-
Dominus vobiscum. ℟ *Et cum spiritu tuo.*	

Ritus	Textus
dem modo, numero et ordine, ut supra dictae sunt Collectae. Quibus finitis (et non antea) claudit librum (ita ut ejus apertura respiciat medium altaris; si vero aliud Evangelium ex eo sit legendum, relinquit illum apertum) et (tunc) jungens manus ante pectus, revertitur ad medium altaris, ubi eo osculato vertit se (ut prius) ad populum et dicit ut supra *Dominus vobiscum*, quo dicto, stans junctis manibus ante pectus (et oculis demissis) versus populum dicit, si dicendum est, *Ite Missa est* et per eamdem viam revertitur ad altare. Si vero non sit dicendum, dicto *Dominus vobiscum*, revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium altaris, ubi stans versus illud, junctis ante pectus manibus, dicit *Benedicamus Domino.* 39. In Quadragesima autem a Feria IV. Cinerum usque ad Feriam IV. majoris hebdomadae in feriali Officio, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat *Dominus vobiscum* stans in eodem loco ante librum dicit *Oremus, Humiliate capita vestra Deo!* caput inclinans (ita nempe: ad *Oremus* manus extendit et jungit et caput inclinat de more, dein junctis manibus et capite profunde inclinato versus librum dicit *Humiliate capita vestra Deo* (n. **195.** ad 12., n. **205.** ad 11., n. **210.** ad 1.) et extensis manibus subjungit eadem voce	Postcommunio. *Proficiat nobis ad salutem corporis et animae, Domine Deus noster, hujus Sacramenti susceptio, et sempiternae sanctae Trinitatis ejusdemque individuae unitatis confessio. Per Dominum nostrum etc.* Pro Dominica. Postcomm. *Tantis, Domine, repleti muneribus: praesta, quaesumus; ut et salutaria dona capiamus, et a tua nunquam laude cessemus. Per Dominum nostrum.* *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* *Ite Missa est.* ℟. *Deo gratias.* vel *Benedicamus Domino.* ℟. *Deo gratias.*

Textus	Ritus
	Orationem super populum ibidem positam, qua finita (accedit ad medium altaris) osculatur altare, et vertens se ad populum dicit *Dominus vobiscum* et alia ut supra.
	40. Dicto *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, Celebrans ante medium altaris junctis manibus super eo (n. **172.** reg. gen. 3.) et capite (profunde) inclinato, dicit secreto *Placeat tibi etc.* Quo dicto, extensis manibus hinc inde super altare positis, ipsum in medio osculatur. Tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad coelum (Crucem) oculos et manus, quas extendit, (elevat et statim ante pectus) jungit (n. **173.**), caputque Cruci (profunde) inclinans (ad vocem *Deus*) dicit voce intelligibili (clara) *Benedicat vos omnipotens Deus*, et junctis manibus (ante pectus) ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum a sinistro latere ad dexterum (dextrorsum), extensa (et elevata) manu dextera junctisque digitis, et manu sinistra infra pectus posita, semel benedicit populo dicens: *Pater et Filius † et Spiritus Sanctus.* ℟. Amen; et (statim manus jungens) circulum perficiens accedit ad cornu Evangelii, ubi (clara voce) dicto *Dominus vobiscum*, (sinistra super altari vel libro posita) pollice dextero signans primum signo crucis altare seu librum in principio Evangelii, deinde frontem, os et pectus dicit *Initium* vel *Sequentia*
Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae et praesta, ut sacrificium, quod oculis tuae majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.	
Benedicat vos omnipotens Deus: Pater et Filius † et Spiritus Sanctus. ℟. *Amen.*	
Dominus vobiscum. ℟. *Et cum spiritu tuo.*	

Ritus	Textus
S. Evangelii etc. et junctis manibus legit Evangelium. Quum dicit *Et Verbum caro factum est* (manibus hinc inde super altare positis) genuflectit versus cornu Evangelii et surgens prosequitur ut prius; quo finito (librum claudit cum apertura versus medium altaris, si ex eo legerit; et) minister stans a parte Epistolae respondet *Deo gratias!*	† *Sequentia s. Evangelii secundum Lucam.* *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est etc.* ℟. *Deo gratias.*
41. Quibus omnibus absolutis, Sacerdos (pergit ad medium altaris) accipit sinistra Calicem, dexteram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum altaris et ibi in medio vertens se ad illud, caput (profunde n. **154.** ad 4.) inclinat, vel, si in eo est tabernaculum ss. Sacramenti (simpliciter) genuflectit (in plano); et facta reverentia, accipit biretum a ministro, caput cooperit, ac praecedente eodem ministro, eo modo, quo venerat, redit in sacristiam, interim dicens Antiphonam *Trium puerorum* (quae ad libitum duplicatur justa ritum Officii vel Missae et tempore paschali additur *Alleluja*) et canticum *Benedicite.* Si vero sit dimissurus paramenta ad altare (n. **145.** ad 7.), finito Evangelio praedicto, (accedit ad medium altaris factaque ibi profunda capitis inclinatione, iterum redit ad cornu Evangelii), ibidem paramentis se exuit et dicit Antiphonam *Trium puerorum* cum reliquis, ut suo loco ponuntur.	Quando non habetur ultimum Evangelium proprium, dicitur in fine: † *Initium s. Evangelii secundum Joannem.* *In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum . . . . . Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratia et veritatis.* ℟. *Deo gratias.*

Ordo servandus in celebrandis Missis votivis privatis.

Missa votiva	Color	Missa	Glor.	Orationes	Credo	Praefatio	Bened. Dno
De SS. Trinit.	Alb.	Propr.	Omitt.	Ut infr. *a)*	Omitt.	Propr.	Bened. Dno
De Spiritu Sto.	Rub.	Propr.	Omitt.	Ut infr. *a)*	Omitt.	Propr.	Bened. Dno
De SS. Sacram.	Alb.	Propr.	Omitt.	Ut infr. *a)*	Omitt.	De Nativ.	Bened. Dno
De Passion. Dni	Viol. *(e)*	Propr.	Omitt.	Ut infr. *a)*	Omitt.	De Cruce	Bened. Dno
De S. Cruce	Rub.	Propr.	Omitt.	Ut infr. *a)*	Omitt.	De Cruce	Bened. Dno
De B. M. V.	Alb.	Propr.	In Sabb. et inf. Oct. B. M. V. Gloria	Ut infr. *b)*	Omitt.	Propr.	In Sabb. et inf. Oct. B. M. V. Ite M. e.
De Ss. Angelis	Alb.	Propr.	Gloria	Ut infr. *a)*	Omitt.	Ut infr. *d)*	Ite M. est
De Ss. Apostol.	Rub. *(f)*	Propr.	Omitt.	Ut infr. *c)*	Omitt.	Propr.	Bened. Dno
Pro quacun. necessit.	Viol.	Propr.	Omitt.	Ut infr. *a)*	Omitt.	Ut infr. *d)*	Bened. Dno
Pro Infirmis	Viol.	Propr.	Omitt.	Ut infr. *a)*	Omitt.	Ut infr. *d)*	Bened. Dno
Pro Sponsis	Alb.	Propr.	Omitt.	Ut infr. *a)*	Omitt.	Ut infr. *d)*	Bened. Dno
De Sanctis	Ut in Festo	Propr. vel de coi	Omitt.	Ut infr. *a)*	Omitt.	Propr. si adsit vel ut infr. *d)*	Bened. Dno

a) Or. 1. Miss. vot., 2. Off. curr., 3. vel de Oct., Fer. maj. (si occurrat tempore Adv. Quadrag. Quat. Temp. etc.) vel Vigil. vel Simplicis occurr., vel A cunctis, vel de B. M. V. pro divers. temp.

b) Or. 1. & 2. ut supra ad (a), 3. de Spiritu Sancto.

c) Ut supra ad (a), sed in Miss. votiv. Ss. App. Petri et Pauli, quando dicenda esset Or. A cunctis, ejus loco dic. Or. Concede.

d) De Oct. curr. vel de tempore, alioquin communis.

e) In Missis votivis de Instrumentis Passionis Domini adhibetur color rubeus, ubi Missae propriae in eorum Festis indultae sunt; aliter violaceus.

f) Excepta Missa votiva s. Joannis Ap. et Ev. extra tempus paschale, s. Petri ad Vincula utriusque ejus Cathedrae et Conversionis s. Pauli in quibus adhibendus est color albus.

	Celebrans	Diaconus
Ingressus ad altare.	1. Omnibus paratis, si voluerit, capite detecto thus imponet dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis Amen*, illudque benedicet nihil dicens. Signo dato a Caeremoniario, caput detectum profunde inclinat Cruci sacristiae et infime Ministris salutantibus. Biretum imponit et progreditur ad altare post Ministros sacros.	1. Sacris vestibus indutus, si thus imponendum sit, capite detecto parum inclinatus Celebranti naviculam et cochlear cum osculis ministrat dicens: *Benedicite Pater reverende.* Cochleari cum osculis recepto et navicula Thurifer rario restituta, caput detectum simul cum aliis profunde inclinat Cruci sacristiae et mediocriter Celebranti. Capite cooperto progreditur ad altare ante Celebrantem.
Initium Missae.	2. Ad altare biretum traditDiacono et facta Cruci altaris profunda corporis inclinatione, vel ss. Sacramento incluso simplici genuflexione in plano, peragitAspersionem aquae benedictae (n. **256.**), si facienda sit, et incipit Missam more solito. Ad verba Confessionis *Vobis fratres* et *Vos fratres* profunde inclinatus convertit se aliquantulum ad Diaconum deinde ad Subdiaconum et similiter sub *Misereatur vestri*, sed cum parva tantum capitis inclinatione.	2. Ad altare caput detegit et paululum recedens ante gradus, si accessus fiat a parte Epistolae, transitum praebet Celebranti. Cum osculis consuetis accipit biretum Celebrantis, quod simul cum suo tradit Caeremoniario. Genuflectit in plano a dexteris Celebrantis et, si facienda sit Aspersio aquae benedictae, observat dicta n. **83.** ad 2., secus statim se signat et alternatim cum Celebrante stans dicit psalmum *Judica* cum Confessione et versiculis in exordio Missae praescriptis. Ad *Misereatur tui* paululum inclinatus convertit se ad Celebrantem, ad *Tibi Pater* et *Te Pater* in Confessione idem facit cum profunda corporis inclinatione.

Ritus Missae solemnis.

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
1. Sacris vestibus indutus, caput detectum simul cum aliis profunde inclinat Cruci sacristiae et mediocriter Celebranti. Capite cooperto pregreditur ad altare ante Celebrantem.	1. Si imponendum sit thus, Thuriferarius stans a dexteris Diaconi thuribulum ministrat Celebranti. Dato a Caeremoniario signo, omnes caput profunde inclinant primo Cruci sacristiae dein Celebranti. Praecedit Thuriferarius cum thuribulo, sequuntur duo Acolythi cum candelabris accensis deinde Caeremoniarius.
2. Ad altare caput detegit et, si accessus fiat a parte Evangelii, paululum recedit, ut transeat Celebrans. Ante gradus altaris a sinistris Celebrantis constitutus biretum deponit et genuflectit in plano, se signat cum Celebrante eique respondet. Intra Confessionem et *Misereatur tui* se gerit uti Diaconus. Si facienda sit Aspersio aquae benedictae, observat dicta n. **83.** ad 2.	2. Acolythi, si comitantur Crucem, sine reverentia directe accedunt ad credentiam ibique deponunt candelabra et incepta Missa in genua procumbunt. Si vero non comitantur Crucem, ad altare se sistunt hinc inde in angulis graduum et simul cum ceteris simpliciter genuflectunt in plano, deinde accedunt ad credentiam. Cf. n. **47.** ad 1. Thuriferarius ingressus presbyterium subsistit ad sinistram aditus, donec reliqui transierint, quo facto accedit retro post Celebrantem. Facta simul cum ceteris genuflexione simplici in plano, accedit ad credentiam, ubi medius inter Acolythos genua submittit. Caeremoniarius se sistit ad dexteram Diaconi in cornu Epistolae. Facta cum reliquis simplici genuflexione in plano, bireta disponit in sedibus, de-

	Celebrans	Diaconus
Incensatio	3. Dicto *Oremus* ascendit ad altare, quo osculato, ad cornu Epistolae conversus, sinistra pectori admota, ter injicit thus in thuribulum dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis Amen* illudque benedicit nihil dicens. Thuribulo accepto, ad altare se convertit et, facta Cruci profunda capitis inclinatione vel Sanctissimo incluso simplici genuflexione, Crucem incensat tribus ductibus simplicibus vel duplicibus dein iterata inclinatione vel genuflexione ut antea, altare incensat modo n. **258.** ad 3. exposito. Incensatione altaris finita, thuribu-	3. Dicto a Celebrante *Oremus* a dexteris ejus ascendit ad altare sine ulla reverentia. Ad impositionem thuris parum inclinatus Celebranti cum osculis ministrat naviculam cum cochleari dicens: *Benedicite Pater reverende.* Cochleari post impositionem sub osculis consuetis recepto et simul cum navicula Caeremoniario restituto, thuribulum cum osculis Celebranti tradit. Ante et post incensationem Crucis genuflectit et similiter infra incensationem, quotiescunque transit ante medium altaris. Celebrantem incensantem concomitatur a dexteris, sinistra posteriorem partem casulae elevans, dextera pectori admota. Recepto cum osculis post incensationem altaris thuribulo, stans in plano ad cornu Epistolae Celebrantem incensat tribus ductibus duplicibus ante et

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
	inde genuflectit in plano ad cornu Epistolae. Infra Aspersionem aquae benedictae omnes genuflectunt; post aspersionem altaris et Ministrorum sacrorum surgunt, antequam Celebrans accedat ad chorum. In fine adjuvant, Caeremoniarius Celebrantem, Acolythi Ministros, in induendo manipulos. Ad psalmum, Confessionem et preces in exordio Missae submissa voce Celebranti respondent, se signant, inclinant, pectus percutiunt, sicut ritus exposcit.
3. Dicto a Celebrante *Oremus* a sinistris ejus ascendit ad altare sine ulla reverentia. Infra impositionem thuris stat post tergum Celebrantis, facie ad eum versa. Ante et post incensationem Crucis et quotiescunque infra incensationem transit ante medium altaris, simpliciter genuflectit. Celebrantem incensantem concomitatur a sinistris, dextera posteriorem partem casulae elevans, sinistra pectori admota. Post incensationem altaris per cornu Epistolae descendit in planum cum Diacono, a cujus sinistris stat infra incensationem Celebrantis, inclinationes debitas ante et post cum eodem faciens.	3. Dicto post Confessionem a Celebrante *Oremus*, omnes surgunt. Caeremoniarius sine genuflexione praemissa comitatur Thuriferarium per gradus Epistolae ad Celebrantem et assistit ad incensi impositionem. Infra incensationem altaris missale cum cussino removet, post incensationem iterum reponit. Thuriferarius a dexteris Caeremoniarii sine genuflexione conscendit suppedaneum, ubi stans ministrat thuribulum Celebranti thus imponenti. Quo imposito thuribulum tradit Diacono sine osculis et sine genuflexione descendit. Finita incensatione thuribulum a Diacono recipit et ante altare genuflexione facta in sacristiam reportat. Ad altare reversus et genuflexione facta, ad credentiam se sistit.

	Celebrans	Diaconus
	lum reddit Diacono nihil dicens, a quo subinde incensatur stans in suppedaneo ad cornu Epistolae.	post profunde caput inclinans et thuribulum Thuriferario restituit.
Introitus.	4. Ad missale conversus legit Introitum ac in eodem loco etiam *Kyrie* more solito. Quo recitato ad medium altaris accedit ibique manibus ante pectus junctis exspectat finem cantus. Si sit sedendum attendat dicta n. **253.** ad 5.	4. Assistit Celebranti legenti Introitum stans a dexteris ejus in secundo gradu, se signat, inclinat et *Kyrie* recitat alternatim cum eo. Cum Celebrante itidem accedit per secundum gradum ad locum suum ante medium altaris. Si sit sedendum observet dicta n. **80.** ad 11.
Gloria.	5. Cantu *Kyrie* expleto intonat *Gloria*, quem Hymnum submissa voce prosequitur cum Ministris sacris. Quo recitato, si non sedeat, stat in loco suo manibus ante pectus junctis et caput inclinans ad cantum eorum, quae inclinationem exigunt. Si sedeat, observet dicta n. **253.** ad 5.	5. Ad vocem *Deo* in intonatione Hymni angelici caput profunde inclinat et sine reverentia praecedente vel subsequente ascendit ad dexteram Celebrantis, quocum prosequitur submissa voce Hymnum. Inclinat caput ad verba tum recitata tum cantata inclinationem exigentia. In fine Hymni recitati se signat. Si non sit sedendum, Hymno recitato sine reverentia ad locum suum redit vel juxta Celebrantem persistit usque ad finem cantus. Si sessio fiat, observet dicta n. **80.** ad 11.
Orationes	6. Post cantatum *Gloria* osculatur altare, cantat *Dominus vobiscum*, accedit ad cornu Epistolae et cantat Orationem vel Orationes.	6. Ad *Dominus vobiscum* stat in loco suo retro post Celebrantem, quem sine ulla reverentia praemittenda sequitur in eodem gradu ad cornu Epistolae, ubi se sistit retro post Celebrantem caput inclinans ad verba inclina-

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
	Acolythi stant immobiles ad credentiam usque ad Evangelium a Diacono cantandum exclusive.
4. Stat a dexteris Diaconi in plano. Se signat, caput inclinat et *Kyrie* recitat alternatim cum Celebrante. Quo recitato per planum accedit ad locum suum ante medium altaris simul cum Celebrante et Diacono. Si sit sedendum observet dicta n. **80.** ad 11.	4. Se signant et caput inclinant cum Celebrante. Infra sessionem Celebrantis et Ministrorum sacrorum stant.
5. Ad vocem *Deo* in intonatione Hymni angelici caput profunde inclinat et sine reverentia praecedente vel subsequente ascendit ad sinistram Celebrantis. In omnibus se gerit sicut Diaconus. Si fiat sessio, observet dicta n. **80.** ad 11.	5. Caput inclinant et se signant cum Celebrante et Ministris sacris. Caeremoniarius dat signum sedendi vel surgendi, si opus sit. Infra sessionem Celebrantis et Ministrorum sacrorum stant.
6. Ad *Dominus vobiscum* stat in loco suo retro post Celebrantem in plano. Deinde sequitur sine reverentia Diaconum et Celebrantem ad cornu Epistolae in plano, ubi intra Orationes easdem exsequitur inclina-	6. Caeremoniarius cantato a Celebrante *Dominus vobiscum* accendit ad altare in cornu Epistolae et Celebranti ad Orationes assistit.

	Celebrans	Diaconus
		tionem exigentia, sed non respondet *Amen* ad Orationes.
Epistola.	7. Legit Epistolam cum Graduali voce submissa et in eodem loco stans exspectat Subdiaconum post cantatam Epistolam accedentem, cui ante se in cornu Epistolae genuflexo dexteram super librum positam osculandam praebet et benedictionem impertit, nihil dicens.	7. Circa finem ultimae Orationis accedit ad dexteram Celebrantis, cui assistit in legenda Epistola, post quam dicit *Deo gratias.* Post Graduale paulum recedit et dat locum Subdiacono post cantatam Epistolam ad Celebrantem accedenti et benedictionem petenti.
Evangelium.	8. Data Subdiacono benedictione, per suam sinistram se vertens accedit ad medium altaris, ubi de more dicit *Munda cor meum etc.* Transit ad cornu Evangelii ad legendum submissa voce Evangelium, quo lecto nec librum osculatur nec dicit *Per evangelica dicta deleantur etc.*	8. Accipit librum Subdiaconi, disponit signacula pro legendo Evangelio et, librum clausum ambabus manibus ante pectus elevatum tenens, descendit in planum ante medium altaris, ibique in medio infimo gradu genuflexione facta, ascendit suppedaneum et librum deponit in medio altaris cum apertura versus cornu Evangelii. Ibi manibus ante pectus junctis persistit a dexteris Celebrantis Evangelium legentis.
	9. Lecto Evangelio accedit ad medium altaris, imponit thus sicut ante Introitum, thuribulum vero non	9. Celebranti post lectum Evangelium thus imponenti ministrat naviculam more solito, dicens: *Benedicite Pater reverende.* Navicula Caere-

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
tiones ac Diaconus, sed non respondet ad Orationes.	
7. Accepto cum debita inclinatione a Caeremoniario libro Epistolarum, in medio infimo gradu simpliciter genuflectit et illico adit cornu Epistolae retro post Celebrantem in plano, ubi, silente choro et musica, cantat Epistolam. Qua cantata iterum genuflectit in medio infimo gradu et accedens per planum ad Celebrantem in cornu Epistolae exspectantem, genuflexus coram eo in ultimo vel penultimo gradu manum ejus in libro Epistolarum positam osculatur et benedictionem accipit. Assurgit et librum tradit Diacono.	7. Caeremoniarius circa finem ultimae Orationis, relicto missali super cussino, librum Epistolarum de credentia acceptum debita cum inclinatione tradit Subdiacono, cui se adjungit a sinistris et in plano ante medium altaris simplici genuflexione facta accedit ad cornu Epistolae eique adstat in cantanda Epistola. Qua finita dicit *Deo gratias* et iterata cum Subdiacono ante medium altaris in plano genuflexione simplici, eum comitatur ad Celebrantem in cornu Epistolae ad recipiendam benedictionem. Recole n. **64.** ad 4.
8. Accipit missale Celebrantis et cum cussino transfert ad cornu Evangelii in transitu genuflexione facta in medio infimo gradu. Celebranti legenti Evangelium assistit a sinistris respondens ad ea, ad quae est respondendum, non autem se signans aut inclinans neque genuflectens, si missale sustineat.	8. Thuriferarius in promptu habeat thuribulum et naviculam cum cochleari.
9. Dicto *Laus tibi Christe* accommodat missale cum cussino versus medium altaris et stat ad impositionem thuris sicut ante In-	9. Caeremoniarius et Thuriferarius, lecto a Celebrante Evangelio, ascendunt ad altare ad imponendum thus, ut ante Introitum. Thuribulum

	Celebrans	Diaconus
	accipit, sed conversus ad altare junctis ante pectus manibus expectat Diaconum benedicendum. Cui benedictionem impertit conversus ad ipsum manibus junctis dicens: *Dominus sit in corde tuo etc.* (n. **258.** ad 8.), et dexteram libro impositam osculandam praebet, sinistra pectori applicita. Deinde sine ulla reverentia accedit ad cornu Epistolae et ad altare conversus expectat initium cantus Evangelii.	moniario restituta in medio supremo gradu adgeniculatus et mediocriter inclinatus dicit: *Munda cor etc.* Assurgit et sumpto de altari libro utroque genu flexus in suppedaneo versus Celebrantem dicit: *Jube, Domne, benedicere.* Benedictione accepta nihil respondet, sed, osculata manu Celebrantis in libro posita, surgit et inclinatione Celebranti facta, descendit in planum ad dexteram Subdiaconi.
	10. Cantato a Diacono *Dominus vobiscum* vertit se ad Diaconum et se signat. Ad nomen Jesu caput inclinat Cruci altaris, ad nomen Mariae vel Sancti, cujus fit Missa vel commemoratio, versus librum Diaconi (si Imago eorum sit in loco principali altaris, versus altare) et si sit genuflectendum, genuflectit etiam versus altare.	10. Finito cantu chori genuflectit cum aliis et accedit ad locum Evangelii cantandi. Librum apertum tradit Subdiacono et stans oblique sicut Celebrans ad Evangelium in Missa privata, facie ad Subdiaconum conversa cantat: *Dominus vobiscum* et librum ac seipsum signans: *Sequentia* vel *Initium etc.* Incensat librum in medio, ad sui sinistram et sui dexteram cum inclinatione capitis ante et post et cantat Evangelium. Infra cantum inclinationes et genuflexiones occurrentes facit versus librum.
	11. Cantato Evangelio allatum sibi a Subdiacono librum	11. Evangelio cantato manu dextera digitis extensis et junctis indicat Subdiacono

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
troitum. Incenso imposito sine reverentia facienda descendit in locum suum ante gradus altaris, ubi paulisper versus cornu Evangelii recedens expectat Diaconum.	tamen non traditur Diacono, sed, thure imposito, sine genuflexione ambo descendunt ad credentiam. Acolythi cum candelabris accensis et Thuriferarius cum thuribulo Caeremoniario duce accedunt ad medium ante gradus altaris, ubi, genuflexione simplici facta, ita se sistunt, ut triplex series efficiatur, prima Ministrorum sacrorum, secunda Caeremoniarii et Thuriferarii, tertia Acolythorum.
10. Finito cantu chori genuflectit cum Diacono et accedit ad locum Evangelii cantandi, ubi stat medius inter duos Acolythos facie versa ad Diaconum utraque manu circa inferiorem partem tenens librum elevatum ante faciem, nullam faciens intra cantum Evangelii reverentiam.	10. Ministris sacris genuflectentibus, omnes genuflectunt et accedunt ad locum Evangelii cantandi. Acolythus I. se sistit a dexteris, Acolythus II. a sinistris Subdiaconi librum tenentis, facie ad Diaconum conversa, nullam facientes reverentiam toto tempore. Thuriferarius stat a sinistris Diaconi, Caeremoniarius a dexteris ejusdem, ambo genuflectentes, si opus sit, versus altare, et caput inclinantes ad nomen Mariae vel Sancti versus librum (vel versus altare, si in eo adsit eorum Imago), ad nomen Jesu autem versus altare.
11. Evangelio cantato librum apertum supra brachium sinistrum demissum	11. Caeremoniarius dicto post Evangelium *Laus tibi Christe* ducit Acolythos ad creden-

	Celebrans	Diaconus
	Evangeliorum osculatur, utraque manu illum ex parte inferiori apprehendens et dicens: *Per evangelica dicta etc.* Deinde ter a Diacono incensatur et accedit ad medium altaris, ubi nullam facit reverentiam.	initium textus Evangelii et paulum se retrahens Subdiacono transeunti dat locum. Accipit thuribulum, incensat Celebrantem tribus ductibus duplicibus et ascendit in locum suum, ubi simpliciter genuflectit eodem tempore, quo Subdiaconus in suo loco.
Credo.	12. Stans in medio altaris intonat *Credo*, si dicendum sit, et prosequitur cum Ministris, inclinans se et genuflectens tam ad recitationem quam ad cantum verborum, quae has exigunt reverentias.	12. Ad vocem *Deum*, dum intonatur Symbolum, caput profunde inclinat et sine reverentia praecedente vel subsequente ascendit ad dexteram Celebrantis, quocum prosequitur Symbolum inclinans se, genuflectens et in fine se signans sicut Celebrans.
	13. Si non sit sedendum, ad verba cantus *Descendit de coelis* cum Ministris sine reverentia descendit ad penultimum gradum et in ora suppedanei utrumque flectit genu cum profunda capitis i. e. capitis et modica humerorum inclinatione ad verba cantanda: *Et incarnatus* usque ad *homo factus est* inclusive. Deinde	13. Si non sit sedendum, apud Celebrantem persistit, et suo tempore cum ipso descendit ad penultimum gradum ibique in ora suppedanei utrumque genu flectit cum profunda capitis (cf. n. **85.** ad 5.) inclinatione ad verba: *Et incarnatus* usque ad *homo factus est* inclusive. Deinde ascendit cum Celebrante iterum ad altare, genuflectit, via breviori ad credentiam descendit, indeque bursam cum corporali usque

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
viâ rectâ absque ulla reverentia per gradus anteriores defert ad Celebrantem, cui indicat initium Evangelii osculandum. Libro osculato et clauso, Celebranti sese inclinat, descendit et librum tradit Caeremoniario, dein accedit ad locum suum, ubi simpliciter genuflectit eodem tempore, quo Diaconus in suo loco.	tiam in transitu recipiens a Subdiacono librum a Celebrante osculatum. Acolythi post Evangelium transeuntes ante medium altaris in plano simpliciter genuflectunt simul cum Caeremoniario et candelabra deponunt in credentia. Thuriferarius cantato Evangelio thuribulum sine osculis tradit Diacono eique Celebrantem thurificanti adstat a sinistris debitas cum eodem faciens inclinationes. Postremo abit cum thuribulo, genuflexione simplici in plano ante medium altaris facta.
12. Ad vocem *Deum*, dum intonatur Symbolum, caput profunde inclinat et sine reverentia praecedente vel subsequente ascendit ad sinistram Celebrantis, ubi se infra recitationem gerit sicut Diaconus.	12. Ad *Credo* caput inclinant, genuflectunt et se signant, sicut Celebrans et Ministri ad altare.
13. Si non sit sedendum, persistit a sinistris Celebrantis, quocum ad cantum verborum *Descendit de coelis* ad penultimum gradum descendit et in ora suppedanei genuflectit cum profunda capitis (cf. n. **85.** ad 5.) inclinatione sicut Celebrans et Diaconus, quibuscum iterum revertitur ad altare ibique permanet usque ad verba *Et vitam venturi* cantata, quo tempore cum Diacono descendit ad	13. Si non fiat sessio, Caeremoniarius, si opus sit, ad cantum verborum *Descendit de coelis* Celebrantem et Ministros invitat ad genuflectendum in ora suppedanei, reliquos vero ad genuflectendum in plano, eosque post cantata verba *homo factus est* monet, ut surgant. Similiter potest Caeremoniarius admonere etiam Diaconum, ut post illa verba sumat bursam de credentia, sed

	Celebrans	Diaconus
	iterum ascendit ad altare sine reverentia ibique persistit manibus ante pectus junctis.	ad oculos elevatam via longiori defert ad altare, genuflexione facta in medio infimo gradu. Collocata bursa versus cornu Evangelii ad candelabra, corporale in medio mensae explicat et persistit ad altare usque ad verba *Et vitam venturi* a choro cantata, quo tempore cum Subdiacono revertitur ad locum suum retro post Celebrantem sine reverentia.
Sessio.	14. Si sit sedendum, post recitatum Symbolum pergit ad sedes et observat dicta n. **253.** ad 5. Ad cantum verborum: *Et incarnatus est etc.* detectum caput profunde inclinat, quin surgat. In Natali Domini et Annuntiatione B. M. V. attendat dicta n. **258.** ad 10.	14. Si sit sedendum, observet dicta n. **80.** ad 11. Ad verba cantata: *Et incarnatus est etc.* caput detectum inclinat. In Natali Domini et Annuntiatione B. M. V. accedit cum Celebrante et Subdiacono ad gradus altaris ibique genuflectit. Relege dicta n. **85.** ad 6.
	Cantatis verbis praefatis, caput cooperit et persistit in sessione.	Cantatis verbis *homo factus est* assurgit et facta Celebranti capitis inclinatione, pergit Caeremoniario duce ad credentiam, unde bursam cum corporali ut supra ipse solus defert ad altare, non omittens debitas reverentias faciendas tum Celebranti in transitu tum altari in accessu et recessu.
	Finito cantu Symboli accedit more solito ad altare ad locum suum. Relege n. **258.** ad 10.	Corporali in medio altari explicato et genuflexione simplici altari facta, redit ad sedem et sedet usque ad finitum cantum, deinde accedit ad altare cum Celebrante et

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
locum suum in plano sine reverentia.	ad altare redeuntem non comitatur.
14. In sessione imitatur Diaconum.	14. Si sit sedendum, Caeremoniarius Celebrantem et Ministros, si opus sit, invitat ad sessionem. Infra sessionem stant et caput inclinant, sicut Celebrans et Ministri sacri. Ad verba cantata *Et incarnatus est etc.* in genua procumbunt, deinde iterum stant.
Assurgit simul cum Diacono et stat in loco suo ad sedem capite detecto, biretum manibus ante pectus tenens, usque ad reditum Diaconi.	Caeremoniarius, cantato versiculo *Et incarnatus est etc.* accedit ad Diaconum, quem capitis inclinatione invitat ad capiendam bursam de credentia; ad altare autem eum non comitatur.
Reverso Diacono iterum sedet, finito cantu accedit cum Celebrante ad altare cum genuflexione simplici in primo gradu et persistit in loco suo in plano.	Caeremoniarius sub finem cantus dat signum surgendi et accedendi ad altare.

	Celebrans	Diaconus
		Subdiacono, genuflectit simpliciter in primo gradu et ascendit ad locum suum.
Offertorium.	15. Osculato altari cantat *Dominus vobiscum* atque *Oremus* et voce submissa legit Offertorium.	15. Ad *Oremus* a Celebrante cantatum caput profunde inclinat et sine alia reverentia ascendit ad dexteram Celebrantis.
	Accipit patenam cum hostia e manibus Diaconi, offert de more hostiam et patenam partialiter recondit sub corporali.	Calicem a Subdiacono allatum detegit, pallam prope corporale deponit, patenam cum hostia Celebranti cum osculis consuetis tradit ita, ut in traditione brachium suum sinistrum sit sub brachio dextero Celebrantis.
	Dum Diaconus infundit vinum, stat manibus junctis ante pectus.	Extersum a Subdiacono calicem sinistrâ unacum purificatorio accipit ad nodum et statim vinum infundit.
	Dicto a Subdiacono: *Benedicite Pater reverênde*, sinistrâ super altare posita, dexterâ signum crucis efformat super ampullam aquae dicens: *Deus, qui humanae etc.* Deinde acceptum e manibus Diaconi calicem offert more solito.	Aqua a Subdiacono infusa, abstergit purificatorio guttas cuppae intus adhaerentes et purificatorium in loco suo deponit. Calicem dexterâ ad cuppam, sinistrâ ad pedem apprehensum cum osculis consuetis tradit Celebranti. Infra oblationem calicis, sinistrâ pectori admotâ, dexterâ brachium Celebrantis vel pedem calicis sustentat, secreto cum Celebranti dicens: *Offerimus tibi etc.*

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
15. Ad *Oremus* a Celebrante cantatum simpliciter genuflectit in infimo gradu et pergit ad credentiam, ubi velum humerale ipsi imponitur. Deponit velum calicis, quem parte dexterâ veli humeralis totaliter contegit et manu dextera insuper posita, sinistra ad nodum apprehensum defert ad altare (simul cum bursa, si non sit dictum Credo).	15. Caeremoniarius, cantato a Celebrante *Oremus*, accedit ad Subdiaconum, quem inclinatione capitis invitat, ut accedat ad credentiam, ubi ei velum humerale imponit et ad credentiam remanet.
A dexteris Diaconi constitutus calicem extergit purificatorio et utrumque tradit Diacono, cui etiam ampullam vini ministrat dexterâ, sinistrâ pectori admota.	Acolythus I., Subdiaconum calicem deferentem secutus, sine praevia genuflexione ampullas aquae et vini super pelvicula defert ad altare.
Accipit ampullam aquae eamque parumper elevatam Celebranti ostendens aliquantulum inclinatus dicit: *Benedicite Pater reverende.* Benedictione a Celebrante data, paucas gutias aquae infundit in calicem. Recipit ampullam vini a Diacono, utramque reddit Acolytho.	Thuriferarius in promptu habeat thuribulum et naviculam cum cochleari. Acolythus I. ampullas aquae et vini cum pelvicula ad credentiam refert absque genuflexione.
Dextera accipit patenam a Diacono sibi oblatam, quo auxiliante tum manum tum patenam veli humeralis extremitate cooperit et descendit in planum retro post Celebrantem, ubi, genuflexione simplici in pri-	

	Celebrans	Diaconus
		Calicem palla cooperit et patenam in dexteram Subdiaconi ita tradit, ut pars concava Subdiaconum respiciat. Deinde patenam manumque Subdiaconi veli humeralis extremitate cooperit.
Incensatio.	16. Dicto *Veni sanctificator etc.*, thus imponit sicut ad Introitum, sed cum speciali formula. Videsis n. **258.** ad 12.	16. Celebranti thus imponenti ministrat naviculam cum cochleari parum inclinatus dicens: *Benedicite Pater reverende*, uti ante Introitum.
	Deinde incensat Oblata, Crucem, Altare, demum ipse incensatur more solito. Vide ibid.	Toto incensationis tempore comitatur Celebrantem a dexteris ejus, sinistra elevans posteriorem partem casulae, dextera pectori admota. Infra incensationem Oblatorum extremitatem manus dexterae ponit super pedem calicis, ne evertatur. Ante incensationem Crucis calicem dextera amovet versus cornu Epistolae intra corporale; Cruce incensata eum reponit iterum in medio corporali. Genuflectit ante et post incensationem Crucis et quotiescunque transit ante medium altaris.
Lavabo.	17. Incensatur a Diacono, statim lavat manus stans in eodem loco suppedanei, deinde redit ad medium	17. Finita incensatione altaris Celebrantem incensat tribus ductibus duplicibus sicut ad Introitum, deinde chorum, si adsit, sicut n. **95.**

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
mo gradu facta, consistit sustinens patenam elevatam usque ad finem Orationis Dominicae, sinistra brachium dexterum infra cubitum sustentante.	
16. Infra impositionem thuris stat immobilis in loco suo.	16. Caeremoniarius et Thuriferarius ascendunt ad Celebrantem, cui ministrant ad impositionem incensi, sicut ad Introitum.
Pari modo stat infra incensationem.	Caeremoniarius amovet missale sicut ad Introitum et permanet in cornu Evangelii, ut suo tempore Celebranti assistat in legendis Secretis et Praefatione, vel redit ad credentiam, uti n. **64.** ad 7. dictum est. Thuriferarius post incensatum Celebrantem comitatur Diaconum ad incensandum chorum, si adsit. Redux ad altare, post incensatum a Diacono Subdiaconum, Diaconum ipsum stans in eodem loco incensat duobus ductibus, deinde assistentes ad credentiam unico ductu simplici, postremo, genuflexione ante medium altaris facta, populum tribus ductibus simplicibus inclinatione ante et post facta. Genuflexione ad altare repetita, abit cum thuribulo.
17. Celebrante (et choro, si adsit) incensato sine genuflexione se vertit ad Diaconum, a quo incensatur. Deinde iterum absque ge-	17. Acolythi interim Celebranti incensato ministrant ad *Lavabo*, primus stans a dexteris cum aqua et pelvicula, secundus stans a sinistris pri-

	Celebrans	Diaconus
	altaris et prosequitur Missam de more.	dictum est. Redux ad altare (vel, deficiente choro, statim post incensatum Celebrantem) incensat Subdiaconum duobus ductibus. Postremo ipse in loco suo, praemissa genuflexione versus altare, a Thuriferario incensatur. Deinceps stat in loco suo et respondet ad *Orate fratres.*
Praefatio.	18. Dictis Secretis cantat Praefationem. Qua cantata humeris inclinatis more solito cum Ministris dicit *Sanctus etc.*	18. Infra Praefationem stans in loco suo caput inclinat cum Celebrante. Circa finem ascendit sine ulla reverentia ad dexteram Celebrantis, quocum mediocriter inclinatus submisse dicit Trisagium et se signat. Deinde accedit ad sinistram Celebrantis in transitu simpliciter genuflectendo in medio supremo gradu.

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
nuflexione vertit se ad altare et suo tempore respondet ad *Orate fratres.*	mi cum manutergio et patella, caput inclinantes ante et post. Post lotionem omnia ad credentiam reportant ibique stant manibus junctis ante pectus. Dum incensantur vertunt se versus Thuriferarium incensantem cum capitis inclinatione ante et post incensationem.
18. Infra Praefationem caput non inclinat. Post eam ascendit ad sinistram Celebrantis sine ulla reverentia et se gerit sicut Diaconus; attamen non se signat in fine. Deinde absque reverentia descendit in locum suum, ubi non genuflectit.	18. Caeremoniarius assistit Celebranti ad librum in cantanda Praefatione, qua finita et dicto cum Celebrante et Ministris sacris ad altare *Sanctus*, absque genuflexione praemissa descendit per gradus laterales Evangelii et transit ad credentiam, in transitu ante medium altaris genuflexione simplici facta in plano. Ad credentiam in genua procumbit. Thuriferarius finita Praefatione etiam genua submittit usque ad Consecrationem exclusive. Funalia ferentes ante finem Praefationis accedunt in sacristiam ad accipienda funalia, quae ad *Sanctus* deferunt ad altare, sicut dictum est n. **49.** et **50.** Acolythi ad Sanctus genuflectunt ad credentiam. Si autem non adsint speciales Clerici ad portanda funalia deputati, Acolythi Missae cum luminaribus ad *Sanctus* accedunt ad altare sicut dictum est n. **47.** ad 8. Acolythus l. campanulam pulsat ad *Sanctus*, nisi per alium hoc fiat.

	Celebrans	Diaconus
Canon.	19. Missam prosequitur ritu consueto.	19. Ad *Quam Oblationem etc.* ad dexteram Celebranti transiens simpliciter genuflectit in medio supremo gradu. Mox in genua procumbit.
Consecratio.	20. Fiunt omnia sicut in Missa privata.	20. Dum Celebrans ante et post unamquamque elevationem genuflectit, capite profunde inclinato ipse adorat, infra elevationem se convenienter gerit, ut n. **87.** in nota dictum est. Ad elevationem ss. Hostiae sinistra posteriorem partem casulae Celebrantis aliquantulum elevat, dextera pectori impositâ. Celebrante a genuflexione surgente, assurgit, calicem detegit et palla super altare posita, iterum genuflectit ut antea.
	Elevat Calicem ut in Missa privata et prosequitur Missam de more usque ad *Pater noster.*	Ad elevationem Calicis se gerit ut ad elevationem ss. Hostiae. Dum Celebrans Calicem demittit surgit, pallam Calici imponit, cum Celebrante genuflectit et accedit ad ejus sinistram, ubi iterum genuflectit et ad librum assistit.
		Ad verba Celebrantis *Per quem haec omnia* genuflectit, transit ad ejus dexteram, detegit Calicem et cum Celebrante genuflectit.
		Ante Orationem Dominicam, postquam Celebrans digitos suos super calicem ex-

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
19. Quo tempore Diaconus ante elevationem genuflectit in suppedaneo, genuflectit et ipse Subdiaconus utroque genu in medio infimo gradu.	19. Caeremoniarius paulo ante Consecrationem sine benedictione stans thus injicit in thuribulum a Thuriferario praesentatum. Deinde genua submittit.
20. Ad genuflexionem Celebrantis ante et post unamquamque elevationem genuflexus caput profunde inclinat, patena demissa ad pectus. Intra utramque elevationem convenienter capite erecto ss. Hostiam et Calicem aspicit. Vide n. **87.** notam.	20. Thuriferarius, thure a Caeremoniario imposito, genuflectit utroque genu in cornu Epistolae in infimo gradu altaris. Infra elevationem vero unamquamque s. Speciem ter incensat, scilicet dum Celebrans genuflectit, dum s. Speciem elevat, dum eam iterum deponit, caput profunde inclinans ante et post trinam incensationem.
	Acolythus I. infra utramque elevationem campanulam pulsat, nisi per alium hoc fiat, vel nisi intortitium ferat.
Calice a Celebrante deposito surgit et stat ut antea.	Elevatione absoluta omnes surgunt et deinceps stant.
	Thuriferarius abit cum thuribulo, genuflexione simplici in medio ante altare facta.
	Funalia ferentes vel Acolythi, genuflexione simplici ante altare facta, redeunt in sacristiam, funalia deponunt et iterum revertuntur ad altare, ante cujus gradus genuflexionem simplicem faciunt et ad loca sua se conferunt.
	Caeremoniarius, postquam Diaconus a sinistra ad dexteram Celebrantis transierit, accedit per planum ad medium altaris retro post Subdiaconum, genuflectit, transit ad cornu Evangelii, accedit per gradus laterales ad sini-

	Celebrans	Diaconus
		terserit, Calicem iterum cooperit et genuflectit simul cum Celebrante, a cujus dexteris permanet usque ad inceptum *Pater noster*.
Pater noster.	21. Cantat *Per omnia saecula saeculorum. Oremus. Praeceptis salutaribus etc.* et *Pater noster*, in cujus fine patenam a Diacono ministratam accipit eâdemque se signat, ut in Missa privata.	21. Incepto *Pater noster* genuflectit et redit ad locum suum retro post Celebrantem, ubi non genuflectit. Ad verba Celebrantis: *Et dimitte nobis etc.* genuflectit in loco suo et ascendit ad dexteram Celebrantis, ubi non genuflectit. Patenam a Subdiacono acceptam interius exteriusque purificatorio extergit, verticaliter erectam cum parte concava versus medium altaris collocat super purificatorium et utraque manu mediante purificatorio circa inferiorem partem hinc inde sustinet et suo tempore cum osculis consuetis Celebranti tradit, purificatorio relicto in loco suo.
	Cantat *Per omnia saecula etc.* et *Pax Domini etc.* Reliqua fiunt de more.	Hostia a Celebrante super patenam positâ, Calicem detegit et genuflectit cum Celebrante; particulam in calicem immissa, Calicem cooperit et iterum genuflectit cum Celebrante.
Agnus Dei.	22. Capite inclinato dicit *Agnus Dei.* Deinde mediocriter inclinatus recitat tres Orationes ante Communionem, quarum prima recitata, altare osculatur, deinde convertit se absque genuflexione ad Diaco-	22. Dicit voce submissa, capite profunde inclinato, simul cum Celebrante ter *Agnus Dei*, dextera pectus percutiens ad *Miserere nobis* et *Dona nobis pacem.* Deinde in genua procumbit in suppedaneo juxta Celebrantem, quo sese inclinante ad osculandum altare, surgit et simul

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
	stram Celebrantis, quocum genuflectit et cui assistit ad librum usque ad *Agnus Dei* inclusive.
21. Dicente Celebrante: *Et dimitte nobis etc.* genuflectit in primo gradu et ascendit ad dexteram Diaconi eique porrigit patenam adhuc velatam. Deinde velum humerale deponit, genuflectit et descendit ad locum suum in plano, ubi non genuflectit, neque cum Celebrante.	21. Acolythus I. ad finem *Pater noster*, facta genuflexione simplici accedit per gradus cornus Epistolae ad Subdiaconum, de cujus humeris accipit velum humerale, quod repetita genuflexione defert ad credentiam ibique plicatum deponit.
Ad *Pax Domini*, genuflectione in medio infimo gradu facta, ascendit ad sinistram Celebrantis, quocum iterum genuflectit.	Caeremoniarius dicto a Celebrante *Pax Domini* sine genuflexione paululum recedit a libro, ut locum det Subdiacono supervenienti.
22. Dicit submissa voce, capite profunde inclinato simul cum Celebrante ter *Agnus Dei* dextera pectus percutiens ad *Miserere nobis* et *Dona nobis pacem.* Deinde simpliciter genuflectit et redit ad locum suum retro post Celebrantem in plano, ubi non genuflectit.	22. Ad *Agnus Dei* omnes caput inclinant et pectus percutiunt. Caeremoniarius dicto in suppedaneo a sinistris Subdiaconi *Agnus Dei*, genuflectit simul cum Subdiacono, iterum accedit ad librum et finita a Celebrante prima Oratione ante Communionem, facta ge-

	Celebrans	Diaconus
	num, cui dat Pacem ritu praescripto n. **258.** ad 14. Data Pace ad altare conversus Orationes prosequitur, ut in Missa privata.	cum eo osculatur altare extra corporale, manibus non super altare positis, sed ante pectus junctis, et accipit Pacem a Celebrante, capitis inclinatione ante et post facta. Deinde genuflectit et descendit ad dexteram Subdiaconi, cui sine praevia inclinatione aut genuflexione dat Pacem sicut n. **87.** ad 3. dictum est. Inclinatione Subdiacono et genuflexione ad altare facta ascendit ad sinistram Celebrantis, cui assistit ad librum.
Communio.	23. Ad *Domine non sum dignus* et ad sumptionem ss. Corporis et Sanguinis se gerit ut in Missa privata.	23. Genuflectit cum Celebrante. Ad *Domine non sum dignus* humeros inclinat nihil dicens neque pectus percutiens. Dum Celebrans sumit Christi Corpus et Sanguinem paulo regressus corpus profunde inclinat, non autem tempore intermedio.

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
Pacem accipit a Diacono caput ei inclinans ante et post. Genuflexione simplici simul cum Diacono post acceptam Pacem in primo gradu facta, si chorus non adsit, dat Pacem Caeremoniario, quocum iterum genuflectit et ad dexteram Celebrantis ascendit. Vide n. **87.** ad 3. Si chorus adsit, facta post acceptam Pacem cum Diacono genuflexione, comite Caeremoniario tendit in chorum, ubi Pacem distribuit, sicut n. **100.** dictum est. Reversus ad altare genuflectit in medio infimo gradu et dat Pacem Caeremoniario, tum genuflexione repetita ascendit ad dexteram Celebrantis.	nuflexione descendit per gradus laterales Evangelii ante altare retro post Subdiaconum, ubi exspectat, donec ab eo Pacem accipiat cum debita inclinatione ante et post. Pace accepta, simul cum Subdiacono genuflectit in plano. Si chorus non adsit, dat Pacem ceteris assistentibus inferioribus. Si chorus adsit, data a Diacono Pace Subdiacono, genuflectit cum Subdiacono eumque per cornu Epistolae concomitatur ad chorum. Inde reversus per cornu Evangelii genuflectit in medio ante gradus altaris et accipit Pacem a Subdiacono, quam, repetita genuflexione, distribuit Thuriferario vel primo ex assistentibus ad credentiam et Clericis in chori scamnis. Vide n. **64.** ad 10. Deinde stat ad credentiam. Thuriferarius Pacem accipit a Caeremoniario et dat assistentibus ad credentiam. Acolythi Pacem accipiunt a Thuriferario vel immediate a Caeremoniario secundum circumstantias.
23. Imitatur Diaconum. Finita Celebrantis meditatione post sumptionem ss. Corporis, Calicem detegit et cum Celebrante genuflectit.	23. Ad *Domine non sum dignus* omnes mediocriter sese inclinant, quin pectus percutiant. Infra sumptionem ss. Corporis et Sanguinis profunde se inclinant, non autem tempore intermedio. Caeremoniarius monet Acolythum I. de ampullis aquae et vini ad altare deferendis.

	Celebrans	Diaconus
Purificatio et Ablutio.	24. Purificatio fit de more. Ad faciendam Ablutionem non discedit e medio, sed in eodem loco persistens convertit se ad Subdiaconum pro abluendis digitis. Calicem ipse non abstergit neque componit.	24. Ablutione digitorum a Celebrante facta, missale cum cussino per penultimum anteriorem gradum transfert ad cornu Epistolae in transitu genuflectens in medio supremo gradu.
Communio et Postcommunio.	25. In cornu Epistolae legit Antiphonam, quae inscribitur Communio, qua lecta redit ad medium altaris, quo osculato cantat *Dominus vobiscum* et reversus ad cornu Epistolae cantat Postcommuniones.	25. Libro translato statim descendit in secundum gradum retro post Celebrantem, quocum lecta Communione accedit in secundo gradu ad medium altaris et inde iterum ad cornu Epistolae. Deficiente Caeremoniario assistit Celebranti ad librum tum ad Communionem tum ad Postcommuniones. Quoad *Humiliate capita vestra* in Feriis Quadragesimae vide n. **88.** ad 3.
Ite Missa est.	26. Ad altaris medium reversus et cantato de more *Dominus vobiscum* subsistit versus populum nihil dicens, donec Diaconus absolverit *Ite Missa est.* — Si ca-	26. Cantata Postcommunione redit cum Celebrante ad medium altaris, ubi cantato a Celebrante *Dominus vobiscum* sine praevia genuflexione ad populum conversus cantat *Ite Missa est* vel ad ad altare conversus *Benedi-*

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
24. Ad *Quod ore sumpsimus* infundit vinum in Calicem, ad *Corpus tuum Domine* vinum et aquam stans a dexteris Celebrantis. Ampullis redditis, purificatorium super digitos Celebrantis ponit. Deinde transit ad cornu Evangelii in transitu genuflectens in medio infimo gradu eodem tempore, quo et Diaconus transeundo ad cornu Epistolae genuflectit in medio supremo gradu. Extergit et componit Calicem, quem defert ad credentiam, in transitu genuflectens in medio infimo gradu. Deinde redit ad altare retro post Celebrantem. Relege n. **88.** ad 4.	24. Acolythus I., dum Celebrans colligit fragmenta in corporali, affert ampullas aquae et vini de credentia ad altare, genuflexione in plano facta, easque ministrat Subdiacono et postmodum iterum reportat ad credentiam absque genuflexione. Caeremoniarius vel ipse vel per Acolythum II., dum Celebrans ablutionem sumit, velum calicis de credentia transfert ad cornu Evangelii utraque manu elevatum, transeundo ante medium altaris in plano genuflectens et per gradus laterales ascendens. Velo deposito in altari, descendit et eadem via, repetita ut supra genuflexione, ad credentiam redit.
25. Ad lectionem Communionis et cantum Postcommunionis stat retro post Celebrantem in plano et vadit ad medium altaris per planum, quando Celebrans idem facit in suppedaneo.	25. Caeremoniarius, translato a Diacono missali, sine genuflexione ascendit ad cornu Epistolae et Celebranti assistit ad librum tum ad Communionem tum ad Postcommuniones, indicans ei Orationes et vertens folia. Orationibus finitis librum claudit, vel, si ultimum Evangelium ex eo legendum sit, apertum relinquit et descendit.
26. Stat in loco suo retro post Celebrantem et Diaconum in plano. Si missale transferendum sit, post cantatum a Diacono *Ite Missa est* ascendit ad cornu Epistolae, missale inde delaturus.	26. Stant immobiles.

	Celebrans	Diaconus
	nendum sit *Benedicamus Domino*, post *Dominus vobiscum* vertit se ad altare et submissa voce dicit praefata verba.	*camus Domino* aut *Requiescant in pace.*
Benedictio.	27. Dicto *Placeat* et osculato altari, clara voce dicit benedictionem populi ut in Missa privata. Deinde perficiendo circulum immediate accedit ad cornu Evangelii.	27. Infra benedictionem genua submittit in ora suppedanei a dexteris Subdiaconi et caput profunde inclinat, deinde se signat et dicit *Amen.*
Evangelium et Finis.	28. Legit ultimum Evangelium more solito. Quo lecto redit ad medium altaris et inde in planum, ubi facta Cruci profunda capitis inclinatione vel Sanctissimo incluso simplici genuflexione in plano, capite cooperto, praeeuntibus Ministris revertitur in sacristiam, ubi Cruci caput profunde, Ministris vero parum inclinat. Postremo sacras vestes deponit.	28. Ad Evangelium stat in secundo gradu, se signat, caput inclinat et genuflectit, quando opus est, deinde cum Celebrante accedit ad medium altaris et inde in planum, ubi, reverentia ut ante Missam facta, caput cooperit et eo ordine, quo venerat, in sacristiam redit. Ibi caput detectum profunde inclinat Cruci, deinde mediocriter Celebranti. Postremo vestes sacras deponit.

Subdiaconus	Caeremoniarius, Thuriferarius, Acolythi
27. Infra benedictionem genua submittit in ora suppedanei a sinistris Diaconi et caput profunde inclinat, deinde se signat et dicit *Amen*. Si liber sit transferendus, eum deponit in cornu Evangelii vel ante acceptam benedictionem, deinde genuflectit in ora suppedanei, vel post benedctionem, quo in casu eum in accipienda benedictione genuflexus tenet utraque manu.	27. In genua provoluti caput profunde inclinant et erecto capite se signant dein assurgunt.
28. Ad Evangelium assistit Celebranti sicut ad primum Evangelium, sed si tabellam vel missale sustineat, non se signat neque genuflectit. Finito Evangelio dicit *Deo gratias*, accedit cum Celebrante ad medium altaris et inde in planum, ubi, reverentia ut ante Missam facta, caput cooperit et eo ordine, quo venerat, redit in sacristiam. Ibi facta Cruci capitis detecti profunda, Celebranti mediocri inclinatione, vestes sacras deponit.	28. Ad *Et Verbum caro factum est* omnes genuflectunt. Deinde Thuriferarius et Acolythi cum candelabris suis (et Crucifer, si adsit) collocant se ante altare in linea recta facie ad altare conversa et genuflectunt simpliciter una cum Ministris sacris, nisi adsit Crucifer, quia tunc Acolythi minime genuflectunt, deinde redeunt in sacristiam eo ordine, quo venerant. Caeremoniarius post *Verbum caro factum est* accipit bireta, eaque sustinens exspectat Celebrantem et Ministros ante infinum gradum. Genuflectit cum iis in plano, biretum Celebrantis tradit Diacono, illud Diaconi et Subdiaconi his ipsis. Quo facto omnes in sacristiam redeunt, ordine quo venerant.

Tabula I.

In qua delineatur Ordo incensandi Oblata per modum Crucis.



Tabula II.

In qua continuatur Ordo incensandi Oblata per modum circuli.



Ordo incensandi Altare.



Statio in Missa pontificali ad Confessionem:

Credentia — Gremiale — Syrmifer. — Acol. I. — Thurif. — Acol. III. — Credentia

Subd. — Diac. — Ep. — Presb. ass.

Caer. — Diac. ass. I. — Diac. ass. II.

Bug. — Liber — Bac. — Mitra

Statio in Missa pontificali ante Evangelium priusquam Diaconus accedat ad thronum ad accipiendam benedictionem Episcopi:

Diac. ass. II. — Thronus — Diac. ass. I.

Subd. — Diac.

Thur. — Caer.

Acol. II. — Acol. I.

Presb. assist.

Statio in Missa pontificali ad thronum infra benedictionem Diaconi ante Evangelium.



Statio in Missa pontificali infra cantum Evangelii.



Statio in Missa pontificali post Orate fratres.



Statio in Absolutione ad tumbam absente corpore.

Cancelli Cancelli

Aditus

Thurif. Aqua Liber

Celebrans

Diaconus

Caerem.

Acol. II. Subd. Cruc. Acol. I.

Statio in Absolutione ad tumbam praesente corpore Sacerdotis:

Cancelli | Aditus | Cancelli

Crucif.

Acol. I. Subdiac. Acol. II.

O O O

O △

O Diaconus Celebrans O

Caerem O O Thurif.

Liber Aqua.

Pars tumbae ad Celebrantem conversa est locus pedum defuncti.

Praesente corpore laici defuncti statio fit eodem modo ac absente corpore.

Index alphabeticus.

Numerus indicat paginam.

A.

Abacus vide *Credentia.*

Abbas. Abbatibus reverentia debetur per genuflexionem in suae jurisdictionis ecclesiis 149. Missa coram Abbate benedicto in sua ecclesia 175. Celebrans coram Abbate benedicto 396. 399.

Ablutio digitorum. Quo loco fit in Missa solemni 319. coram exposito Sanctissimo 349.

Absolutio defunctorum. Quid 369. Quando fieri debet, quando potest ibid. A quonam facienda ibid. An licita sit post Missam diei 370. Absolutio ad tumbam ibid. super pannum 374. ad feretrum 374. Absolutio ad tumbam facta ab Episcopo 378. coram Episcopo 369.

Acolythus. Eorum officium in genere 45. sq. Adjuvant Ministros sacros in induendis vestibus 46. et post Aspersionem aquae in induendis manipulis 48. 104. Quomodo accendunt cereos super altare 46. Quando genuflectunt et stant infra Aspersionem aquae 48. Quomodo accedunt ad altare sine Crucifero 47. cum Crucifero ibid. Eorum officium in Missa solemni 47. sq., in Missa solemni de Requie 52., in Missa pontificali de Requie 377., in Absolutione ad tumbam 53. super pannum ibid. Quando assistunt ad cantum Evangelii sine candelabris 45. Vide *Clericus.*

Administrator dioeceseos. Nominandus non est in Canone 236. not. 24.

Adoratio Crucis feria VI. Parasceves, quomodo facienda 9.

Alba. Quomodo induitur 202. In distribuenda Communione extra Missam Alba adhiberi non potest 282. not. 14.

Altare. Progressus Celebrantis per ecclesiam ad altare 206. sq. Accessus ad altare et recessus ab eodem 210. Reverentiae a Celebrante faciendae altari ante quod transit 208. in quo celebraturus est 210. Vide *Reverentia, ministri sacri, inferiores.*

Amictus. Quomodo imponitur 202. Osculatur crux in eo picta 203. Assumitur super rochettum a Presbytero assistente 162. nisi in Missa Neosacerdotis 410. itidem a Diaconis assistentibus 163.

Ampullae vide *Urceoli.*

Angeli. Ad nomina Angelorum fit capitis inclinatio in Missa 236. Dicitur Gloria in eorum Missis votivis privatis 390.

Apostoli. Missa votiva omnium Apostolorum 384.; eadem ss. Pe-

Aspersionem aquae benedictae 302. et Absolutionem ad tumbam Episcopo absente 369. Vide *Inclinatio, Genuflexio.*

Cerei vide *Candela.*

Ceroferarii vide *Acolythus, Funalia.*

Chirothecae. Quando Episcopo imponuntur 152. quomodo osculandae 145.

Chorus. Quomodo accedendum in chorum 31. sq. quomodo se ibi gerendum generatim 31. sq. Quando ibi standum, sedendum, genuflectendum in variis Missis 34. sq. infra Tertiam cantandam 38. — Quomodo et a quo incensatur chorus in Missis solemnibus 137. sq. in Missis pontificalibus 138. Quomodo et a quo ibi Pax distribuitur in Missis solemnibus 142. sq. in Missis pontificalibus 143. sq. in Missis coram Episcopo 165. 168. Salutationes chori omittuntur coram Exposito 353. Vide *Salutatio.*

Ciborium vide *Pyxis.*

Circuli Canonicorum 178.

Clericus. Ex causa rationabili potest Subdiaconi vice fungi in Missa 87. Clericus in Missa cantata 78. sq. Duo Clerici assistentes in Missa cantata 84. Clerici incensantur unico ductu in communi 132. 136. quomodo accipiunt Pacem 142. quomodo asperguntur 305. An liceat Clericis vasa sacra tangere 297. Quomodo accedunt in chorum 31. sq. quomodo se ibi gerunt generatim 31. sq. quomodo in variis Missis 34. sq. Eorum officium in induendo Episcopo ante Missam pontificalem 151. Vide *Acolythus, Intortitia, Ministri inferiores.*

Cochlear. Osculum cochlearis naviculae omittitur in Missis et functionibus in colore nigro et coram Exposito 146. Ubi ponitur cochlear calicis 201. not. 5.

Coena Domini Feria V. Communio 274. not. 12.

Collecta. Quid 241. Unde nomen 241. not. 1. Collecta pro Imperatore 267. Vide *Oratio.*

Color. Color stolae concionatoris 203. not. 11. in exercitio Viae Crucis 203. not. 11. in administranda Communione 282. in Communione infirmorum 282. not. 16. stolae Sacerdotis accipientis Communionem 274. bursae pro Communione distribuenda 282. veli humeralis in benedictione cum Sanctissimo 328. paramentorum in functionibus coram Sanctissimo 327. in iisdem functionibus, si immediate sequantur aliud officium liturgicum 327. stolae et pluvialis in Aspersione aquae benedictae 303. sq. Color in Missis votivis de Passione 395. Quando permittitur color violaceus in Missis de Requie 359.

Commemoratio. Quid 15. 241. sq. Commemorationes de praecepto 242. Commemoratio Sanctissimi 255. sq. Vide *Oratio.*

Commemoratio omnium fidelium defunctorum. Pro quibus in ea applicandae Missae 189. Quando in ea permittitur color violaceus 359.

Communicantes. In Missis votivis 386.

Communio. Generatim 273. sq. Infra Missam 277. sq. Non licet Celebranti extra conspectum altaris infirmis dare communionem 273. Extra Missam 279. sq. In Coena Domini 274. not. 12. Ad altare expositionis 275. Stolae color 282. Communio Monialium 274. not. 8. Benedictio post Communionem 284.

Concede Oratio. Quae 247.

Concio in Missa solemni 314. Concio funebris 368. 377. Usus bireti infra concionem 12. Concio coram Sanctissimo exposito 314. coram Episcopo 314. Color stolae 203. n. 11.

Conclusio orationum 248. sq.

Concurrentia. Quid 14.

Confessio. Statio infra Confessionem in Missa pontificali. Vide tabellam in fine.

Consecratio. Verba consecrationis quomodo proferenda 221. Particulae consecrandae 286. 289. sq. Hostia ostensorii consecranda 291. sq. Si omissa fuerit consecratio hostiae pro expositione, quid faciendum 328. Consecratio erronea 222. dubia 287. not. 9. conditionata 188. Vide etiam *Intentio. Hostia.*

Corporale. Quomodo complicatur vel explicatur 202. Extra bursam deferri non licet 202. Post Communionem distributam non super altare reliquendum, nec intra tabernaculum reponendum 284. not. 34. Ss. Sacramento semper substerni debet 325. A quo lavandum est 298. A quo tangi licet 298.

Credentia. Ubi et quomodo praeparanda 102. Quae pro Missa solemni in ea deponuntur 101.

Credo in Missis votivis privatis nunquam dicitur 392. neque in Missis de Requie 360. 363.

Crucifer. Ejus Officium 42. in Absolutionibus defunctorum 45. 371. 374. 378. Vide *Crux.*

Crux. Crux major et minor, quomodo formanda 1. sq. 211. sq. quomodo in benedictione alicujus rei vel personae 214. quomodo in ultimo Evangelio coram Exposito 350. quomodo in in Missis de Requie ad Introitum 363. Quomodo verba distribuenda in singulis signationibus 214. Vide *Crux, Benedictio.*

Crux altaris. Quando et quomodo oculi ad eam elevandi in Missa 216. Inclinationes versus Crucem 233. In incensatione tres ei debentur ductus 134. Modus incensandi Crucem in Missa 309. 317. Reverentiae faciendae in adoratione Crucis in Parasceve 9.

Crux Domini. Transeuntes ante Reliquiam s. Crucis palam expositam simpliciter genuflectunt 7. 208. 210. 239.

D.

Dalmatica. Quomodo induitur 95.

Deus, qui humanae substantiae. In Missis de Requie 363. 365. et in Missis solemnibus coram Episcopo 402.

Diaconus. Quomodo induitur 95. Ejus officium in Missa solemni 102. sq. in Missa pontificali 152. sq. in Missis coram Episcopo 164. 170. sq. in Missa solemni coram Exposito 352. sq. in expositione et repositione Sanctissimi publica 334. 337. sq. in Missa de Requie 364. sq. 376. in Absolutione ad tumbam 371. 378.

Diaconi assistentes. Eorum officium generatim 163. 176. quoad mitram imponendam et deponendam 158. sq. in Absolutione Episcopi ad tumbam 378. sq. Quando incensantur 138. 176. Ab Episcopo accipiunt Pacem 144. 176.

Dies propria et translata 16. assignata 17. reposita 17. mutata 18. fixa, impedita 18, libera 19. vacua 19. tamquam propria 19. natalitia et quasi-natalitia 22. octava 29. Dies obitus seu depositionis 360. not. 2.

Dies irae, quando dicit debet, quando non 362.

Domine non sum dignus. Quomodo dextera ponitur ad haec verba 229.

Dominica. Variae species 21. Officium Dominicae anticipatae impedit officium votivum per annum 394.

E.

Ecclesia aliena vide *Missa.*

Elevatio. Quid faciendum Celebranti incipienti vel finienti Missam, si fiat elevatio in altari vicino 240. Quid, si infra distributionem Communionis in eodem altari fiat elevatio 274. Infra utram que elevationem oculi in Sacramentum intendantur 36. not. 14. 119. not. 1. 217.

Episcopus. Quando ad ejus nomen caput inclinandum in Missa 236. Nomen ejus dicendum in Canone 236. not. 24. Oratio pro eligendo Episcopo 265. not. 2. Soli Episcopo competit titulus „Reverendissimus" 147. Quoties in Missa pontificali lavat manus 148. Dum lavat manus quinam genuflectunt ib. Coram Episcopo ordinario ab omnibus, exceptis Canonicis, genuflectitur 149. Coram Episcopo extraneo caput inclinatur ibid. Assistentia Episcopi in choro 164. 400. in throno 165. 366. 400. in benedictione cum Sanctissimo 342. Absolutio Episcopi ad tumbam 369. 378. Missa privata coram Episcopo 396. Quomodo excipitur extra suam Cathedralem 404. Assistentia Episcopi extra Cathedralem in rochetto et mozzetta 165. 404. Observanda in Missis solemnibus coram Episcopo extraneo 175.

Epistola. Quomodo cantatur a Lectore vel Celebrante in Missa cantata 82. 85. 321. 323.

Et incarnatus est. Quomodo ad haec verba genuflectitur in Missa privata 239. in Missa solemni sine sessione 112. 315. in eadem Missa cum sessione 113. 315. in Natali Domini et Annuntiatione B. M. V. 114. 315. in Missa cantata 324. Quomodo se gerit chorus 35. quomodo Ceroferarii 49. quomodo Caeremoniarius 76. quomodo Clerici in Missa cantata 85.

Eucharistia vide *Communio, Expositio, Benedictio.*

Evangelium. In Missis de Requie et votivis semper dicitur ultimum Evangelium s. Joannis 360. 386. — *Laus tibi Christe.*

Excommunicati. An pro iis Missa applicari possit 185.

Expositio ss. Sacramenti. Quid publica, quid privata 330. 332. Ritus privatae 331. publicae solemnis 333. Pro expositione duae hostiae consecrandae 328. quid, si consecratio pro expositione omissa fuerit 328. sq. In expositione quot candelae accendendae 325. Missa privata cum expositione 346. sq. eadem solemnis 351. Tempore expositionis prohibentur Missae de Requie in quibusdam altaribus 329.

F.

Femina. An possit ministrare in Missa privata 89.

Feria. Quid et quotuplex 20. Missa de feria (ferialis) 182. Recitans officium de feria, quasnam Missis celebrare potest 396.

Feria V. in Coena Domini, Communio 274. not. 12.

Feria VI. Parasceves. Adoratio Crucis 9.

Feriatio. Quid 23.

Festum. Quid 22. Eorum distinctio 23. Festorum translatio 16. assignatio 17. repositio 17. mutatio 18. simplificatio 26.

Flectamus genua. In Missa privata a Celebrante genuflectitur 239. in solemni a Diacono et Subdiacono 107. Quomodo se gerit Celebrans in Missa solemni 312. Quomodo genuflectitur coram Exposito ad ista verba 346.

Formulare Missae. Quod adhibendum in variis Missis votivis 382. sq. in Missa de Requie Neosacerdotibus injuncta 411.

Fragmenta hostiae adhaerentia ante Missam digitis destringenda sunt 202. Non consecrantur fragmenta hostiarum tempore consecrationis extra corporale dispersa 190. Quid, si post ablutionem vel post Missam remanserint fragmenta in altari 195. Quid, si in Communione distribuenda fragmentum aliquod dilabatur extra ciborium 276. sq.

Funalia vide *Intortitia.*

Fundator Ordinis a Regularibus estne nominandus in Oratione *A cunctis* 261.

G.

Genuflexio. Simplex extra Missam 6. sq. intra Missam 237. sq. Genuflexio duplex extra Missam 8. sq. intra Missam 240. Celebrans quomodo genuflectit progrediendo per ecclesiam 206. ante altare majus 208. ante altare quodcunque, si Missa ibi sit post Consecrationem 208. Quomodo genuflectit, si transit ante Reliquias s. Crucis, ss. Sanguinis, Instrument. Passionis 7. 208. sq. Quomodo et quando Celebrans genuflectit in adventu ad altare 210. in recessu ab eodem ib. Quomodo genuflectit Celebrans si, antequam incipiat vel postquam finierit Missam, fiat elevatio in altari vicino 240. quomodo, si intra ejus Missam Sacramentum extrahatur vel reponatur in eodem altari 240. — Genuflexiones a Celebrante et Ministris sacris faciendae in Missis coram Exposito 325. 344. 352. Genuflexione a Ministris sacris faciendae in Missa solemni 97. sq. Conspectus genuflexionem a Ministris sacris faciendarum in Missis solemnibus 126. sq. — Genuflexiones faciendae ante Episcopum 40. 149. Genuflexiones duplices in Missis de Requie et feriar. 32. 41. 376. Genuflexio ante Cr ucem altaris majoris feria sexta Parasceves et Sabbato sancto 8.

Genuflexorium. 179.

Gloria in excelsis. Sexies infra hunc hymnum fit capitis inclinatio a Celebrante 234. a choro 35. a Caeremoniario 74. a Ministris sacris 107. Quando dicitur in Missis votivis solemnibus 388. quando in Missis votivis privatis 390. semper in Missis votivis mixtis 394. Quando intonatur in tono de B. M. V. 311. not. 19.

Gloria Patri. Quomodo dicitur 4. Ad Introitum et post psalmum *Lavabo* in Missis de Requie omittitur 362. sq.

Graduale in Missis votivis 386.

Gratiae status requiritur in Celebrante 192.

Gratiarum actio post Missam non omittenda 196. Missa votiva pro gratiarum actione 385.

Gremiale. Ejus usus et minister 55.

H.

Hostia. Quomodo ante Missam praeparanda 202. Intentio in ejus consecratione 189. sq. 290. 291. Quid, si Celebrans in sumptione hostiae advertat, eam esse corruptam ideoque in valide consecratam 195. Quid, si Hostia delabatur in terram 276. in mappam 277. vel in vestes 277. Quando et quomodo mentaliter offertur 287. — Hostia pro ostensorio consecranda 291. Quid, si ejus consecratio omissa fuerit 328. — Hostiae minores consecrandae 286. 289. Quid, si aliqua delabatur in terram, in mappam vel in vestes communicantium 276. Vide *Fragmenta.*

Humerale vide *velum.*

Humiliate capita vestra. Quomodo dicitur in Missa privata 235. in Missa solemni 124. 319.

Hymnus angelicus vide *Gloria. Ambrosianus* (Te Deum) canitur stando 327. 411. *Veni Creator* ad primam stropham genuflectendo 409.

I.

Imago. Quomodo incensantur Imagines Sanctorum et B. M. V. extra Missam 136. quomodo infra Missam solemnem 310. 318.

Incensatio. Quomodo fit generatim 131. sq. Quot ductus debentur Reliquiis et Imaginibus B. M. V. 136. Incensatio in modum crucis, quomodo fit 374. — Quomodo in *Missa solemni* fit incensatio 131. sq. 309. sq. in Missis pontificalibus 138. coram Episcopo 165. sq. Incensatio in *Missis coram Exposito* 354. 357. *In Missis de Requie* 364. sq. Quid, si Episcopus assistat Missae de Requie 366. Incensatio in Absolutione ad tumbam 373. — Vide *Thuriferarius.*

Incensatores. Quomodo incedunt et incensant 71.

Incensum. An sit inponendum in sacristia ante Missam solemnem 299. Imponitur a Celebrante et Episcopo cum, a reliquis sine benedictione 64. Omittitur benedictio incensi, si solum Sanctissimum sit incensandum 146. 326.

Inclinatio. Quotuplex 3. Quando fit extra Missam 3. sq. Quando in Missa 230. sq. Quando in via ad altare 208. sq. in accessu et recessu ab altari 210. sq. Quas inclinationes Ministri sacri cum Celebrante faciunt 98. Inclinationes in choro 34. 35. Celebrans et Ministri in accessu ad altare magistratui inclinant caput coopertum 301. Quaenam inclinationes omittuntur coram Exposito 353.

Instructio Clementina. Quid 256. not. 1.

Instrumentum. Pacis instrumentum, quid 140. Quibus et quomodo datur Pax per instrumentum 142. 144. 398. Instrumentis Passionis Domini, quaenam reverentia iis debetur 208. 211. Missa votiva de Instrumentis Passionis Domini 381. Omittitur commemoratio Sanctissimi in Missis Instrumentorum Passionis 258.

Intentio. Requiritur in Celebrante 189. sq. Vide *Applicatio.*

Intortitia. Quot et quando ad altare deferuntur 50. 53.

Introitus. In Missa de Requie 363. In Missis votivis 385.

Ite Missa est. A Celebrante in Missa solemni non dicitur 320. Quando in tono de B. M. V. can-

tatur 124. not. 7. Quando dicitur in Missis votivis 386. 389.

J.

Jejunium. Celebrans debet esse jujunus 193. sq. Quando excusatur a jejunio 194.

Judica. Hic psalmus omittitur in Missis de Requie 362. Dicitur in Missis votivis etiam tempore Passionis 385.

K.

Kalendarium sequendum in ecclesia aliena 412. sq.

Kyrie eleison. Ubi dicitur in Missa solemni 311. in Missa cantata 323. sq. Quomodo in choro 34.

L.

Laici. Quomodo incensantur 136. Quomodo iis datur Pax 142. 144. Quaenam vasa sacra iis attingere licet 298. Quaenam lintea 298. An permittenda iis lotio corporalium etc. 298.

Laus tibi Christe dicitur etiam post Evangelium in Missis de Requie 363.

Lavabo. In Missis coram Exposito 349. 358. de Requie 52. 363. 367. 377.

Lector. Ejus officium in Missa cantata 80. 82. 321. 323.

Lintea. A quibus tangi et lavari possunt 298.

Lotio manuum. Fieri debet ante celebrationem Missae 201. Post Missam non est de praecepto 201. Quoties in Missa pontificali 148. Mantile Pontifici ministratur a Presbytero assistente 162. Vide *Lavabo.*

Lotio corporalium etc. fieri non debet a laicis et monialibus 298.

Lumen fidei vide *Bugia.*

Lunula ostensorii. Quomodo hostia in ea consecratur 291. Quomodo purificatur 295.

M.

Magistratus. Quomodo et quando incensatur 134. 136. Quomodo et quando ei datur Pax 142. 144. Quomodo a Celebrante et Ministris sacris salutatur in accessu ad altare 301.

Manipulus. Quomodo aptandus a Celebrante 203. Quando et quomodo assumendus a Ministris sacris 95. ab Episcopo in Missa pontificali 153. in eadem Missa de Requie 375. Extra Missam non est manipuli usus 95. not. 3. Clericus munere Subdiaconi fungens non utitur manipulo 87.

Maria B. V. Inclinatio ad ejus nomen 4. 235. Ejus Missae votivae in genere 381. sq. Quoad Gloria 384. 390. Quoad Orationes 391. Reliquiae et Imagines B. M. V. duobus ductibus incensantur 136.

Matutinum cum Laudibus. An ante Missam dicenda 195.

Meditatio. Post sumptionem Sanguinis non instituenda 228. not. 18.

Memento vivorum et mortuorum 187. 217.

Minister in Missa privata 89. sq. In accipienda Communione 274. Quomodo se gerere debet in Missa coram Episcopo 397.

Ministri inferiores. Eorum officium etc. generatim 40. sq. Assistentes Episcopo assistenti 176. sq. Eorum oscula in traditione rerum 145. sq. Quomodo

dant et accipiunt Pacem 140. sq. — Minister de gremiali 55. de libro 57. de bugia seu candela 59. de mitra 60. de baculo 62.

Ministri sacri. Qui sunt 95. Eorum officium generatim 97. sq. Vide *Diaconus, Subdiaconus.*

Missa. Variae species 180. Fructus Missae 183. Eorum applicatio 184. sq. Praeparatio ad Missam et gratiarum actio 196. An liceat quaedam omittere, mutare, addere in Missa 198. sq. Quantum temporis impendi debet ad absolvendam Missam 200. Missae Neosacerdotis 409. Missa in aliena ecclesia 412. Missa coram ligno s. Crucis, coram Reliquia ss. Sanguinis 239. Vide *Applicatio, Celebrans.*

Missa privata. Stricte et non stricte privata 180. not. 1. Praeparanda ad eam 201. Preces praescriptae post eam 269. sq. Minister serviens in Missa privata 89. sq.

Missa solemnis. Quid 181. An debeat thus imponi ante eam 299. Quae cantantur in ea 300. Quando et quomodo fit sessio in ea 99. sq. 300. sq. Quomodo salutandi in accessu et recessu magistratus 301. quomodo chorus 320. sq. Praeparanda ad Missam solemnem 101. Ministri sacri in Missa solemni 102. sq. Celebrans in Missa solemni 308. sq.

Missa cantata. Quid 321. Missa cantata cum uno 81. vel duobis Clericis 84. sq. In ea omittitur incensatio 321. Pax non datur nissi cum instrumento 322. Lector in ea 82. 85. 321. 323. Quae in ea cantatur 321. Officium Celebrantis in ea 322. sq.

Missa coram Exposito. Quomodo et quando in ea genuflectendum 345. 346. 352. sq. quomodo caput inclinandum 346. Commemoratio Sanctissimi in his Missis 255. — Ritus hujus Missae *privatae* 346. — Ritus Missae *solemnis* coram Exposito 351. Quando et quomodo genuflectunt Ministri sacri 352. Quando et quomodo Celebrans 345. sq. Omittendae omnes salutationes chori et Episcopi 353. Quae inclinationes non omittuntur ibid. Omittuntur omnia oscula reverentialia 353. Quomodo fit Aspersio aquae benedictae ibid. 354. Vide *Benedictio.*

Missa de Requie. Quando licet eas celebrare in colore violaceo 359. Durante expositione prohibenturne hae Missae 329. Quando dicitur *Dies irae* 362. Qualis sit palla in his Missis 360. Numerus orationum 360. sq. — Ritus Missae *privatae* 362. Missa injuncta Neosacerdoti 411. Ritus Missae solemnis de Requie 364. pontificalis 375. Ministri inferiores 41. 52. 70. 376. Quid, si Episcopus ei assistat 366.

Missa pontificalis. Generatim in ea observanda 147. Tertia cantanda ante Missam pontificalem Episcopi 150. sq. Quomodo Episcopus induitur 151. 375. Ritus 152. Ordo incensationis in ea 138. Quomodo datur Pax 143. sq. Missa pontificalis de Requie 375. Vide *Episcopus, Presbyter assistens, Diaconi assistentes.*

Missa coram Episcopo. Ritus hujus Missae privatae 397. Minister in tali Missa 397. not. 7. 8. Quid si plures adsint Praelati 398. not. 12. 14. — Missa *solemnis* coram Episcopo assistente in choro 164. 400. in

throno cum cappa vel pontificaliter parato 170. 400. sq. in rochetto et mozzeta extra cathedralem 165. 403. Ordo et modus incensationis ad Offertorium 165. Ordo Pacis dandae 168 sq. Reverentiae Episcopo assistenti praestandae 169. sq. Assistentia Episcopo praesenti praestanda 175. Observanda in Missa solemni coram Episcopo extraneo 175. 403.

Missa votiva. Quid et quotuplex 379. Quid requiritur, ut celebrari possit 380. Obligatio eam celebrandi 380. Quae esse possunt votivae 381. sq. Formularia 383. sq. Ritus generatim 385. sq. Missa votiva solemnis 387. sq. privata 389. sq. ad libitum seu per annum seu *mixtae* 392. sq. Recitans officium votivum per annum, qualem Missam celebrare potest 395. Recitans officium feriale, qualem Missam celebrare potest 396. Quibus non datur optio inter officium votivum et feriale 393.

Missale. Missale aperire non licet ministro servienti 92. Apertum in altari collocandum ante Missam cantatam 81. 84. et solemnem 101.

Mitra. Quotuplex 60. Ejus minister, ubi stat ad altare, ad thronum, ubi incendit in via ibid. A quo imponitur et deponitur 158. Quando Celebrans ea utitur 61. 159. coram Exposito cessat ejus usus 61. 158. Quando imponitur et deponitur in Missa pontificali 158. in benedictione apostolica 160. Quid, si Celebrans duabus utatur mitris 159. not. 4. et 5.

Moniales non possunt abluere corporalia etc. 298. Earum Communio 274. not. 8. Non possunt immediate servire ad altare 89.

Munda cor. Quomodo dicitur a Celebrante 227. 231. Dicitur a Diacono in supremo gradu in Missa solemni 109. in infimo gradu in Missa pontificali 154.

Mutatio. M. festi quid 18. An liceat quaedam mutare in Missa 198. Si una oratio eadem cum alia, posterior mutanda 246. Voces *natalitia, festivitas, solemnitas* mutantur in oratione ad libitum 264. et in Missis votivis 383.

N.

Nativitas Domini. Quomodo ad *Et incarnatus est* in Missa solemni genuflectendum est in hoc Festo 114. 315. Quomodo dicuntur preces post Missas privatas praescriptae in hoc Festo 271.

Navicula. A quo ministratur 64. sq. 166.

Neosacerdos. Prima Missa ejus 409. Indulgentiae in ea lucrandae 411. Non potest dici tamquam votiva solemnis 387. Missae ab Episcopo Neosacerdotibus injunctae 411. Formula benedictionis neosacerdotalis 412.

Nomen. Inclinatio ad Nomen Jesu, ss. Trinitatis 4. 234. Mariae 4. 235. etiam in oratione *A cunctis* 263. Sanctorum 4. 235. non autem in oratione *A cunctis* 263. nec in oratione *ad libitum* 264. Papae viventis et Episcopi dioecesani 236. An in orationibus cognomina Sanctorum sint exprimenda 246.

O.

Oblatio mentalis. Quomodo et quando facienda 287.

Occurrentia. Quid 15. Ejus Effectus ibid.

Octava. Quid et quotuplex 28.

Oculi. Clerici et Sacerdotes oculis demissis incedere debent 40. 217. Quomodo et quando elevandi in celebratione Missae 216. sq. quando in Sanctissimum intenduntur 217.

Officium. Quid 13. Ejus translatio 16. Missa concordet cum officio 412.

Oratio. Celebrans Missae praemittat orationem 196. An liceat ex auctoritate privata in Missa addere Orationes 242. Quando a Rubricis hoc permittitur 243. not. 7. Quotuplices in Missa 241. Oratio principalis dicitur primo loco 245. Orationum numerus in Missis de Requie 360. sq. in Missis votivis solemnibus 388. in Missis votivis privatis 391.

Oratio ss. Sacramenti quando habet breviorem quando longiorem conclusionem 255. Quando sumi debet, potest, omittitur 256. sq. Oratio XL horarum 255. not. 1.

Oratio A cunctis 260. sq.

Oratio ad libitum. 263. sq.

Oratio imperata. 265. sq.

Oratio pro Imperatore. 267. sq.

Oratio super populum. Vide *Quadragesima.*

Oratorium. Publicum, semipublicum, privatum 414. nota. Missa inibi 414. Missa coram Episcopo in oratorio privato extra dioecesim 396.

Osculum. Quae vestes osculandae 203. Deosculatio altaris 218., patenae 219., missalis 218. Osculum manus et instrumentorum quomodo fit 145. Oscula reverentialia et ritualia 146. 353. 364.

Ostensorium. Depositio ostensorii cum hostia renovata in tabernaculo 292. 343. Vide *Expositio, Repositio, Benedictio.*

P.

Palla. A quo tangi et lavari permittitur 298. Qualis sit 202. 360.

Palma. In accipiendis palmis benedictis prius palmae osculandae 146.

Palmatoria vide *Bugia.*

Papa. Ad ejus nomen in Canone vel Oratione caput inclinatur 236.

Paramenta. Ubi induenda. 205. 405. Ubi exuenda post Aspersionem aquae benedictae 306. ubi coram Episcopo ibid. ubi ante Absolutionem ad tumbam 371. Quomodo Episcopus paramentis induitur 151. 405.

Particulae. Vide *Hostia, Fragmenta.*

Passio. Quomodo stat Celebrans Missam privatam in legenda Passione Domini 213. not. 10.

Patena. Quomodo osculanda 219. Quomodo Communio distribuitur ex patena 279. Instrumentum Pacis non potest esse 140.

Patronus. Differentia inter Patronum loci et Paronum seu Titularem ecclesiae 260. not. 5. Ejus nomen exprimendum in oratione *A cunctis* 260.

Pax. Quomodo et quo ordine datur 140. sq. 142. 144. in Missis coram Episcopo 168. sq.

Per evangelica dicta etc. Non dicuntur in Missa solemni a Celebrante Evangelio lecto 313. sed Evangelio cantato 314. Nec dicuntur in Missis de Requie Nec in Missis coram Episcopo 398. 402.

Planeta plicata, quid et quando adhibetur 130.

Pluviale. Quinam ex ministris inferioribus eo indui possunt 40. not. 1. Presbyter assistens eo induitur super rochetto et amictu 162. 410. Pro expositione privata Sanctissimi pluviale non praescribitur 331. sed pro expositione solemni 333. Praescribitur etiam pro benedictione impertienda cum ostensorio 340. Episcopus ad Tertiam induitur pluviali 151. non autem pro benedictione apostolica 160.

Praeparatio ad Missam nunquam penitus omittenda 196.

Preces. An preces in induendis vestibus sint dicendae 204. An liceat Celebranti post Missam propria auctoritate recitare aliquas preces 272. Quomodo dicuntur preces post Missam a Leone XIII. praescriptae 270. sq.

Presbyter assistens. Quomodo induitur 162. 410. Ejus officium in Missa pontificali 162. in Missa Neosacerdotis 410. Ejus officium quoad incensationes ac Pacem dandam et accipiendam in Missis coram Episcopo 165. sq. 175.

Processio. Genuflexiones infra processionem 7. Thuriferarius in processionibus 71. Crucifer in iisdem 43. sq. In processionibus ss. Sacramenti, Reliquiarum s. Crucis aliorumve Instrumentorum Passionis Domini incedendum est capite detecto 12. Quid in aliis processionibus 11. 12. Quomodo excipitur Episcopus in processione s. Marci extra Cathedralem 404. not. 18.

Prostratio. Quid 8.

Purificatio. Vide *Pyxis.*

Purificatorium. Quomodo calici imponitur 201. A quo tangendum et lavandum 298.

Pyxis. Benedictio cum ea post Communionem 284. sq. Quoties purificanda 293. Quomodo fit purificatio, si duae adsint pyxides 294. quomodo, si una adsit 295. An liceat pyxidem extrahere ex tabernaculo pro expositione 332. sq. An liceat cum ea benedictionem impertire 331.

Qu.

Quadragesima. Oratio super populum in feriis Quadragesimae 243. 247. 250.

R.

Regulares. In oratione *A cunctis* Patronum vel Fundatorem sui ordinis nominare nequeunt 261. Electio Generalis vel Provincialis est causa sufficiens ad celebrandam Missam votivam solemnem 387.

Reliquiae. Quae sunt insignes 5. Iis expositis debetur capitis inclinatio minima 5. 209. Reliquiae s. Crucis et ss. Sanguinis et Instrumentorum Passionis Christi palam expositae debetur genuflexio simplex in accessu, recessu et transitu 7. 208. 210. 239. Iisdem non palam expositis debetur tantum capitis inclinatio 209. Reliquiis Sanctorum expositis non insignibus nulla debetur reverentia 209. Reliquiae B. M. V. et Sanctorum duobus ductibus incensantur 136. Reliquiae s. Crucis in incensatione debentur tres ductus 134. Expositio Reliquiarum 7. not. 21.

Remonstrantia vide *Ostensorium.*

Renovatio hostiarum. Vid. *Hostia.*

Repositio festorum. Quid 17.

Repositio ss. Sacramenti. Post expositionem privatam 331. sq. solemnis 337.

Requiescant in pace. 360. 372.

Reverentia. Quid 3. Vide *Genuflexio*, *Inclinatio*, *Reliquiae*, *Salutatio.*

Ritus. Quid, quotuplex 13.

Rubrica. Praeceptivae, directivae 197.

S.

Sacerdos. Vide *Celebrans.*

Sacramentum. Vide *Benedictio*, *Communio*, *Expositio.*

Sacristia. Si sit post altare, quomodo egrediendum 206.

Salutatio. Chori salutatio ante et post Missam solemnem 47. not. 2. 103. not. 2. 320. Salutatio laicorum 34. 209. 301. Omittitur coram exposito Sanctissimo 41. 169. 209. 326. 353.

Sancti. Vide *Imagines Reliquiae*, *Statuae*, *Nomen.*

Sanguis. An post ejus sumptionem meditatio instituenda 228. not. 18. In Festo ss. Sanguinis omittitur commemoratio Sanctissimi in Missis coram Exposito 258. Missa ss. Sanguinis potest celebrari tamquam votiva 381. Vide *Reliquiae.*

Scotula. Vide *Bugia.*

Septem Dolorum B. M. V. Missa votiva dici potest 381.

Sequentia in omnibus Missis votivis omittitur 386.

Sermo. Vide *Concio.*

Sessio. In Missa solemni 99. 300. An in Missa coram Exposito sedere liceat 355. Sessio in Missa cantata 322. In Absolutione ad tumbam Episcopus sedet et sedere possunt Assistentes 378. Quando sedetur in choro 37.

Simplificatio. Quid. Ejus effectus. Festa simplificata 26.

Spiritus S. Conclusio Orationum de Spiritu Sancto 249.

Statuae Sanctorum non sunt collocandae super altare tempore expositionis 355. Quomodo incensatur in Missa solemni 310. 318. extra Missam 136. In Missis coram Exposito eorum incensatio omittitur 355.

Stola. Stolam induendam semper osculatur Celebrans 204. Subdiaconus ea non utitur 95. neque Presbyter et Diaconi assistentes 162. 163. neque Rector ecclesiae in exceptione Episcopi 404. Color stolae concionatoris 203. not. 11. in exercitio Viae Crucis ibid. in administranda Communione extra Missam 282. in Communione infirmorum 282. not. 16. stolae Sacerdotis accipientis Communionem 274. In Communione Coenae Domini suppletur stola per Pluviale, Planetam et Dalmaticam 274. not. 12. Stola latior, quando induitur a Diacono quando deponitur 131.

Subdiaconus. Ejus officium in Missa solemni 102. sq. In Missa *de Requie* 364. Ejus locus in Absolutione ad tumbam absente corpore 371. praesente corpore 374. Ejus Officium ad Tertiam 151. in Missa pontificali 153. sq. in Missis coram Episcopo 170. sq. Quando Crucem defert Subdiaconus Missae, quando alius Subdiaconus 43. Quando Clericus Subdiaconi vicem obire potest 87. Ejus genuflexiones 126.

Symbolum vide *Credo.*

Syrma. Syrmifer. Quid. Quomodo defertur. Ejus usus Feria VI. in Parasceve 57.

T.

Tantum ergo. 326. 331. 337. 341.

Tertia ante Missam pontificalem 151.

Thuribulum. Quomodo tenetur infra impositionem thuris 65. Quomodo traditur Celebranti a Diacono 105. Thuribuli ductus simplex et duplex 132. Quae simplici, quae duplici ductu incensantur 132. Ductuum numerus 134. Vide *Incensum.*

Thuriferarius. Ejus officium in genere 63. sq. Ejus officium in Missa solemni 66. in Missa pontificali 69. in Missa de Requie 70. in processionibus 71. Episcopo assistenti sive pontificaliter parato sive cappa induto ad impositionem thuris semper ministrat thuribulum 166. Vide *Incensatores.*

Thurificatio vide *Incensatio.*

Thus vide *Incensum*, *Thuribulum.*

Titularis vide Patronus.

Tractus. In Missis votivis 386.

Translatio Quid translatio festorum, officiorum 16.

Tumba. Absolutio ad tumbam absente corpore 370. praesente corpore 374. per Episcopum peracta 369. 378.

Tunicella induitur a Subdiacono 95. ab Episcopo 152.

U.

Urceoli. In Missis solemnibus urceolos vini et aquae ad Offertorium et post Communionem Acolythus primus offert ad altare 49. 51.

V.

Vasa sacra. A quibus tangi possunt 296. sq.

Velum calicis. Quomodo calici imponendum 202. In Missis solemnibus de Requie a Subdiacono calix velo suo coopertus affertur ad altare pro Offertorio 365. In Missis solemnibus velum calicis post purificationem a Caeremoniario vel Acolytho transfertur a credentia ad cornu Evangelii 51. 78.

Velum humerale. In benedictionibus cum Sacramento semper adhibendum est et semper albi coloris sit oportet 328. 340. In benedictionibus pyxis totaliter eodem cooperienda est 332. Velo humerali Subdiaconi omnia in credentia posita cooperienda sunt 102. not. 5.

Veni Creator Spiritus. Ad primum stropham genuflectendum est 327. 409.

Vestes. Vide *Paramenta.*

Via Crucis. Color stolae in exercitio viae Crucis 203. ad 11.

Vidi aquam. Tempore paschali haec antiphona dicitur loco *Asperges me* et intonatur a Celebrante genuflexo 303.

Vigilia. Quid, unde nomen, ritus, divisio 27.

Vox. Vox clara, media, secreta 220.

COBISS %042%00
NARODNA IN UNIVERZITETNA KNJI2NICA
000000436154

In eadem Libraria catholica

Labaci (Laibach) in Austria

prostat opusculum:

Missae de Requie

juxta Rubricas a Leone Papa XIII reformatas et Decreta S. Rituum Congregationis novissima,

accedit appendix

de Missis in altari privilegiato.

Tractatus liturgicus in usum Cleri concinnatus

a

JOSEPHO ERKER,

Canonico Ecclesiae Cathedralis Labacensis.

Cum approbatione Reverendissimi Ordinariatus Labacensis.

Labaci 1903.

Pretium: Cor. 1·— = *M* 1·— = Fr. 1·—.